BSB Bayerische StaatsBibliothek
MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Novi Testamenti Aeditio postrema

Basileae 1532

Res/B.lat. 98
urn:nbn:de:bvb:12-bsb00028161-6
VD16 B 4253

BSB

B. Cat. 98

BSB




0
5
10
20
30
40
50mm
60mm
-2
-1
30°
BSB Bayerische StaatsBibliothek
© 2007 digitalfoto-trainer.de

BSB

NOVI TE

STAMENTI AEDITIO PO

strema, per Des. Eraſmum Ro/

terodamum.

BASILEAE IN OFFICINA

Frobeniana, Menſe Auguſto,

ANNO

M. D. XXXII

DILECTO FILIO ERASMO
Roterodamo, ſacræ Theologiæ
profeſſori.

A S

LEO PP X

DILECTE *fili ſalutem, & apoſtolicam benedictionẽ. Valde nos delectarũt lucubrationes tuæ in teſtamentũ nouũ iam primũ æditæ: non tam quia noſtro nomini dicatæ fuerant, quàm quod nõ uulgari, ſed noua & inſigni quadã eruditione præſtabãt, omniumq; doctorum calculo plurimũ laudabãtur. Quas nuper à te recognitas, & pluribus additis annotationibus locupletatas, illuſtratasq; fuiſſe certiores facti, non mediocriter gauiſi fuimus: ex prima illa æditione, quæ abſolutiſſima uidebatur, coniecturam faciẽtes, qualis hæc futura, quantumúe boni ſacræ Theologiæ ſtudioſis, ac orthodoxæ fidei noſtræ ſit allatura. Macte igitur iſtius animi tui eſto, ac publicæ utilitati ſtudens, operi tam ſancto, ut in lucem exeat, ſedulo inuigila. Dignam quidem tot laborũm mercedem ab ipſo deo relaturus: à nobis uero meritam commendationem, & cunctis Chriſti fidelibus perpetuam laudem conſecuturus. Datũ Romæ apud ſanctum Petrum. Sub annulo piſcatoris. Die X. Septemb. Anno M. D. XVIII. Pontificatus noſtri anno ſexto.*

B S B
MÜNCHEN
VW | 95 | 95

ERASMVS

ROTERODAMVS PIO LE CTORI S. D.

OTIES *iam dictum, ob quorundã calumnias mihi & hic repetẽdum, optime lector, hac uersione non damnari mihi uulgatam æditionẽ, quã nunc utitur ecclesia Romana, sed ut illa sit emẽdatior, magisq; perspicua: quod in Græcorum codicibus habebatur, id à me bona fide redditum: qui si quãdo uariant, ibi nos ueterem orthodoxorũ interpretationẽ secuti sumus, aut ubi cætera paria sunt, id prætulimus, quod cũ Latinis codicibus consentiret. Hoc in præsentia monuisse uisum est satis. Qui plura desiderat, legat apologiam, quam magno opere præfiximus: ac facessat calũnia. Legamus igitur ardentibus studijs Euangelium, sed non tantũ legamus, uerum etiam uiuamus. Euangelium pacis dictum est à propheta. Cauendum ne nostro uitio nobis sit Euangelium discordiæ. Non est aliud, non est nouum. Vnum & idem est Euangelium, quod ut*

omnibus est proditum, ita cõuenit, ut omnes in hoc consentiamus. Huc igitur nos inuicem cohortemur, ut simus uere filij patris, qui in cœlis est, utq; dominus Iesus suos germanos discipulos agnoscat, qui est benedictus in secula, Amen.

ERASMVS ROTE=
RODAMVS PIO LECTORI
S. D.

QVOD *apud Matthæũ dominus ac præceptor noster Iesus Christus loquitur, id æquum arbitror, ut quisq; mortalium sibi dictũ esse putet:* VENITE AD ME OMNES, QVI LABORATIS ET ONERATI ESTIS, ET EGO REFICIAM VOS. *Nullum hominum genus à se repellit seruator omnium, omnes inuitat ad refrigerium: quia nullus est, qui nõ aliqua molestia laboret in hoc mundo. Non discernit uirum à fœmina, non puerum à sene, non seruum à libero, non priuatum à rege, non diuitem à paupere, non Iudæum ab ethnico, non sacerdotem à laico, non monachum à non monacho. Quicunq; estis, qualescunq; estis, si refrigerium quæritis, ad me uenite. Ingens est sarcina ambitio*

ambitio, graue iugum ſeruire libidini. Alius liuore torquetur: alium cruciat ira, uindictæq; cupiditas. Hic amat miſere, ille odit miſerius. Hunc premit dura paupertas: alius morbo ſenióue degrauatur, illum urget tyrannus: ſunt qui conſtitutiunculis humanis grauantur. Quid autem malorum non habet hæc uita? At omnibus dicit optimus ille Chriſtus: Venite ad me. Hactenus itum eſt ad philoſophos: hactenus itum eſt ad Moſen, itum eſt ad phariſæos, itum ad Rabbinos: hactenus itum alió atque alió. Nunc ad me uenite: & quod illi non præſtiterunt, ego præſtabo. Reficiam uos. Ocium & quietem expetunt omnes. Et quis non ſtatim adamet tam obuiam bonitatem clementiſſimi domini, ſic ultro ad ſe uocantis uniuerſos? At quis non illico certam fiduciam animo concipiat, ſimulatq; cogitarit, hunc qui promittit, nihil non poſſe? Quocunq; malo laboratis, quæcunque uos grauat ſarcina, ego reficiam uos. Rem egregiam pollicetur, nec ulla precij mentio, uenite tantum. Cur autem pigeat uenire ad illum, qui noſtra cauſa uenit ad nos? Dixerit aliquis: Quomodo ibimus ad illum? nos in terris repimus, ille ſublimis ſedet in cœlis. Illuc igitur curſum inſtituamus oportet, ſi uelimus ad Chriſtum accedere: non enim itur ad illum pedibus, ſed affectibus: imò pedibus, ſed animi, nõ corporis. Si tibi cœperint ſor

dere hæc terrena, quæ nos remorantur à bonis cœlestibus, nimirum iam cœpisti ad Christum accedere. Non est quod emetiaris freta, non est quod ignotas adeas regiones: adest paratum dei uerbum, in ore tuo, & in corde tuo. Non est cur te moueant hæ uoces: Ecce hic Christus in agro, ecce hic in ciuitate. Siquidem regnũ dei intra uos est. Si uis ad Christum accedere, fac accedas ad teipsum: nihil interius, tibi animo tuo: huc te totum recipe. Cum auocaris ad ea quæ sunt corporis, ut à teipso recedis, sic recedis à Christo. Cum te stupefaciunt opes, atque hæc bona, quæ philosophi quoq; profani uocant externa, longius etiam à teipso recedis, quanquã nec ad Christum uenire datur, nisi pater ad illum traxerit, imò nisi Christus traxerit. Clamemus igitur cũ sponsa: Trahe me post te. Clamemus cum Petro: Iube me uenire ad te. Accedebant olim & pharisæi & Herodiani ad Christum: sed peiores abibant, quàm acceßerant. Nemo feliciter uenit ad Christum, nisi qui syncera cum fide accesserit, nisi qui sitiens & esuriens iustitiam. Modo sicut oportet, ueniamus: non est periculum ne frustra ueniamus. Adest ille suis: & adest efficacius, quàm olim corpore præsens aderat Iudæis. Reliquit nobis purißimas mentis suæ uenas in Euangelicis & apostolicis literis. Has adire quoties libet, licet. Has etiam circumferre

ferre tecum licet. Habemus fontes ſeruatoris, unde quid haurire poſſumus, niſi ſalutem? cur his neglectis, libet bibere de lacunis aliorum contritis ac ruaderibus oppletis, in quibus plus eſt limi, quàm aquæ? Ne quid interim dicam de quorundam uenis ueneno infectis. Nec eſt quod tergiuerſemur, dicentes: Theologorum eſt iſtos fontes attingere: atque hinc quod hauſerint, alijs miniſtrare. Et ab his igitur auide ſumendum eſt, ubi contigerint, in quos uere competet illud Solomonis: Vena uitæ os iuſti. Sed quoniam horum eſt mira paucitas, & plerique quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti, tutiſſimum eſt ipſos adire fontes. Obuij ſunt, expoſiti ſunt. Non requirunt ſpinoſum ſophiſtam, aut pertinacem dialecticum, aut uerſutum philoſophum: animum requirunt in Chriſto ſublimem, in ſeſe humilem: hoc eſt, ſibi nihil tribuentem, de Chriſto nihil ſibi non pollicentem. Huic ſatis fuerit his rudimentis inſtructum uenire, unius Chriſti doctrinam ad regulam pietatis, unius Chriſti uitam ad exemplum recte uiuendi, nobis ſatis eſſe. Quicquid nobis diuina bonitas largita eſt, per hunc gratis largita eſt: ne quid nobis arrogemus laudis aut gloriæ. Hunc per uarias afflictiones, per crucem euexit ad immortalitatis gloriam, ut nos interim per innocentiã uitæ meditemur hic immortalitatem

quandam: per charitatem benemerentes, quod in nobis est, de omnibus, etiam impijs: per patientiam tolerantes alacriter spe futuri præmij, quicquid ob Christum infligitur: sic undique temperantes actiones nostras, ut malos etiam pelliceamus ad amorem Euangelicæ uitæ: neq; cuiquam sit, quod probabiliter in nobis possit calumniari: quicquid agimus, quicquid patimur, quicquid loquimur, ad Christi gloriam referentes. In huiusmodi nihil poterit ambitio, nihil ira, nihil inuidia, nihil auaritia, nihil cæteræ pestes humanæ uitæ. Nihil poterit mortis terror in eum, qui sibi persuasum habet, adeo nihil perire pijs, ut ipsa etiam uitæ iactura uertatur in lucrum immortalis uitæ. Hanc philosophiam licebit ex his haurire fontibus: ab hac Christiani uocamur. Si nemo non gaudet uocari Christianus, nemo debet ignorare principis sui dogmata. Nullus audet se profiteri Augustinensem, qui regulam Augustini non legerit: nemo Benedictinum, qui Benedicti regulam ignoret: nemo Franciscanum, qui Francisci regulam non uiderit. Et tu tibi Christianus uideris, qui nusquam scire curaris Christi regulam? Franciscus clamat: Qui non uestitur tali colore, qui non cingitur fune, non est meus discipulus: & omnes religiose faciunt, quod iubet homo. Christus clamat: Qui non tollit cru

lit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus: neq; cuiquam religio eſt non tollere crucem, & tamẽ nemo uidetur ſibi minus eſſe Chriſtianus. Si quis Franciſcanus nigro ueſtiatur, aut diſcinctus incedat, magno metu corriperetur, ne dæmon aliquis ſubito ipſum abriperet ad tartarum, quod auſus ſit id facere, quod per ſe neq; bonum eſt, neq; malum: nec alia ratione nefas eſt, niſi quia uetuit homo. Chriſtus tanto maior Franciſco, ſi tamẽ ulla collatio eſt, iußit ne malo reſiſteres, ut malefacta benefactis penſares, ut maledicta benedictis retaliares: & nõ contremiſcis, non inhorreſcis, nõ uereris ne tibi terra dehiſcat, cũ beneficũ malefactis oneras, cum benemerentem mendaci linguæ uirulentia laceras? Hæc eſt communis Chriſtianorum omnium regula. Ad hanc examinabuntur omnes, cuiuſcunq; ſtatus erunt, in illo iudicio dei, ubi nõ ex piſcibus, aut carnibus, nõ ex colore ueſtis, ſed ex ueris æſtimabuntur. Vt apoſtatam execraris, ſi Minorita colore utatur, qui paulò magis uergat ad nigrorem: & tu tibi apoſtata nõ es, qui totius euangelicæ doctrinæ oblitus omnium quæ in baptiſmo uouiſti, totus ſeruis mammonæ, ſeruis huius mundi uoluptatibus, ſeruis ambitioni: proq; Chriſto, cui te ſemel dicaſti, in cuius uerba iuraſti, uiuis ex libidine aduerſarij, quem ſemel abiuraſti, quẽ ſemel deteſtatus es? Si tanta eſt humanarum conſtitutio-

num religio, unde tam ſupinus neglectus eius rei, quæ ſola debebat eſſe religioni? nõ eſt hæc noua querela. Queſtus eſt idem olim deus per Hieremiã prophetam, quod filij Ionadab cõſtanter obedierũt præcepto patris, abſtinentes à uino, cuius uſum ille ſuis interdixerat: cum populus iſraëliticus interim negligeret iuſſa dei. Queſtus eſt hoc ipſum Chriſtus in euangelio, uociferãs in eos, qui tranſgrederentur præcepta dei, propter hominum conſtitutiones. Deplorant hoc tot locis primores apoſtolorum Petrus & Paulus. Nunc eò res deducta eſt, ut ne queri quidem liceat. Prædicatorum plenus eſt mundus: & tamen horum maxima pars, pro diuinis humana prædicãt. Neq; enim horum ſcopus eſt gloria Chriſti, ſed quæſtus, ſed uitæ uoluptas, ſed epiſcopatus aliquis opimus, aut Abbatia non macilenta. Hæc iam palàm fiunt & euangelice. Aſſentantur magnatibus, negligunt tenues, & humiles. Hos conculcant: illis proſalutaribus blanda quædam inſtillant. Neq; multo tutius eſt hodie puras illas Chriſti uenas proponi populo ſitienti, ac iamdudum faſtidienti cõmenta mortaliũ, quàm olim fuerit tempore Neronis. In cauſa ſunt pſeudapoſtoli, qui uentri ſuo ſeruiunt, non Ieſu Chriſto. Sed magis libet omiſsis, licet nimium iuſtis, querelis, hortari Chriſtianos, ut ad Chriſti puriſsimos fontes, puros animos adferant: neq; quicquam aliud

ſitientes

ſitientes; quàm eam doctrinã, quæ nos Chriſto præceptore dignos reddat. Non decrit ille conantibus. Vbi ſemel guſtauerimus huius uenæ laticem, ſemelq; guſtauerimus, quàm ſuauis eſt dominus, in nauſeam abibit ſophiſtica doctrina, nec unquã ab eo diuelli poterimus: ſed dicemus cum diſcipulis: Domine, quò ibimus? uerba uitæ habes. Nos in hoc operam noſtram nauauimus, ut ſartis canalibus, ut repurgatis apſidibus, paulò limpidius fluat, & aliquanto ſit ad hauriendum cõmodior. Nam obuium eſſe decet, quod omnibus ex æquo paratum eſt. Neſcio, an rurſus admonere debeam, cũ uideam hanc cantilenam toties canì ſurdis: qui uelut aſpides, data opera, obturant aures, ne uocem audiant incantantis ad meliora. Nos quod in emendatis Græcorũ codicibus repperimus, Latine uertimus, obſeruata, quoad licuit, ſermonis Romani ſimplici mundicia. Proinde ſi quid diſſonabit ad æditione ueteri, ne protinus putent illam à nobis ſuggillatam, prius cõſulant annotationes noſtras, deinde quod uidebitur optimum, ſequantur. Saltem illud modeſtiæ præſtent, ne damnent incognitum, quod iam ſemel atq; iterum probauit ille ſummus eccleſiæ paſtor

Leo Decimus. Vale.

DES. ERASMI ROTERODAMI PARACLESIS, id est, adhortatio ad Christianæ philosophiæ studium.

ACTANTIVS ille Firmianus, optime lector, cuius linguam unice miratur Hieronymus, Christianæ religioni patrocinaturus aduersus ethnicos, cum primis optat sibi dari eloquentiam Tullianæ proximam, improbum ratus, opinor, optasse parem. At ego sanè, si quid huiusmodi uotis proficitur, tantisper dum mortales omneis ad sanctißimum ac saluberrimum Christianæ philosophiæ studiũ adhortor, ac ueluti claßicũ canens cuoco, uehementer optarim eloquentiam mihi dari, longe aliam quàm fuerit Ciceroni: si minus picturatam quàm fuit illius, certe multo magis efficacem. Imò si cui unquã talis contigit dicendi uis, qualem non omnino sine causa, ueterum poëtarum fabulæ subnotarũt in Mercurio, qui ceu magica uirga diuinaq; cithara somnum immittit cũ libet, & idem adimit: quos uult ad inferos impellens

impellens, ac rursus ab inferis euocans: aut qualem signarunt in Amphione Orpheoq;, quorum alter rigida mouisse saxa, alter quercus & ornos traxisse cithara fingitur: aut qualē Ogmio suo tribuebant Galli, mortales omnes catenulis à lingua in aures infixis, quò uellet circunducenti. Aut qualem Marsyæ fabulosa tribuit antiquitas. Aut certe, ne nimium diu fabulis immoremur, qualem Socrati tribuit Alcibiades, Pericli uetus comœdia, quæ nō aures tantū mox peritura uoluptate deliniat, sed quæ tenaces aculeos relinquat in animis auditorum, quæ rapiat, quæ transformet, quæ multo alium dimittat auditorem, quàm acceperit. Timotheus musicus ille nobilis Dorios occinens modos, Alexandrum Magnum ad belli studium inflammare solitus legitur. Neq; defuerūt olim, qui precaminibus, quas Græci uocant ἐπῳδὰς, nihil ducerent efficacius. Quod si quod usquā esset huiusmodi genus incantamenti, si qua uis harmoniæ, quæ uerum habeat ἐνθουσιασμὸν, si qua Pytho uere flexanima, eam mihi cupiam in præsentia suppetere, quo rem omnium saluberrimam omnibus persuadeam. Quanquam illud potius optandum, ut Christus ipse, cuius negocium agitur, ita citharæ nostræ chordas temperet, ut hæc cantilena penitus afficiat, ac moueat animos omniū. Ad quod quidem efficiendum, nihil opus rhetorū epicherematis, aut epi-

phonematis

Veritatis oratio, quo simplicior, hoc efficacior.

phonematis. Hoc quod optamus, non alia res certius præstet, quàm ipsa ueritas, cuius quo simplicior, hoc efficacior est oratio. Ac primum quidem non libet in præsentia refricare querelam illam, non omnino nouam, sed heu nimium iustam: & haud scio an unquã iustiorem, quàm hisce temporibus, cum tam ardentibus animis in sua quisque studia mortales incumbant, hanc unam Christi philosophiam à nonnullis etiam Christianis rideri, à plerisque negligi, à paucis tractari, sed frigide, nõ enim dicam insyncere. At in cæteris disciplinis omnibus, quas humana prodidit industria, nihil est tam abditũ ac retrusum, quod non peruestigarit ingenij sagacitas: nihil tam difficile, quod non expugnarit labor improbus. Qui fit autem, ut hanc unam philosophiam, non his, quibus par est, animis amplectamur, quotquot ipso etiam cognomine Christi nomen profitemur? Platonici, Pythagorici, Academici, Stoici, Cynici, Peripatetici, Epicurei, suæ quisque sectæ dogmata, tum penitus habent cognita, tum memoriter tenent: pro his digladiantur illi, uel emorituri citius, quàm autoris sui patrocinium deserant. At cur non multo magis tales animos præstamus autori nostro & principi Christo? Quis non uehementer fœdum censeat Aristotelicam profitenti philosophiam, nescire quid uir ille senserit de causis fulminum, de prima materia,

Philosophia Christi neglecta.

Philosophorum gentilium peritia

de

de infinito? quæ nec cognita fælicem, nec ignorata reddunt infælicem. Et nos tot modis initiati, tot sacramentis adacti Christo, non fœdum ac turpe putamus, illius nescire dogmata, quæ certissimam omnibus præstent felicitatem? Nam quorsum attinet hic contentione rem exaggerare, cum hoc ipsum impiæ cuiusdam dementiæ sit, Christum cum Zenone aut Aristotele, & huius doctrinam cum illorum, ut modestissime dicam, præceptiunculis conferre uelle? Affingant illi suæ sectæ principibus, quantum possunt, aut quantum libet: certe solus hic è cœlo profectus est doctor, solus certa docere potuit, cum sit æterna sapientia: solus salutaria docuit unicus humanæ salutis autor: solus absolute præstitit, quicquid unquam docuit: solus exhibere potest, quicquid promisit. Si quid à Chaldæis aut Aegyptijs adfertur, id ob hoc ipsum acrius auemus cognoscere, quod è peregrino sit orbe deportatum, & precij pars est è longinquo uenisse: & sæpenumero insomnijs homunculi, ne dicam impostoris, tam anxie distorquemur, non solum nullo fructu, sed magno temporis dispendio, ut ne quid addam grauius: tametsi iam hoc ipsum, ut nihil accedat, grauissimum est. At qui fit ut huiusmodi cupiditas non item Christianos titillet animos, quibus persuasum est id, quod res est, hanc doctrinam nõ ex Aegypto Syriáue, sed

Christianorũ socordia

Christus

Peregrina placent

Insomnijs homunculorum distorquemur

ex

ex ipso ueniſſe cœlo? Cur non ita nobiſcũ cogitamus omnes? nouum et admirabile philoſophiæ genus ſit oportet, qd'ut traderet mortalibus is qui deus erat, factus eſt homo: qui immortalis, factus eſt mortalis: qui in corde patris erat, ſeſe demiſit in terras. Magnum quiddam & haud quaquam triuiale ſit oportet, quicquid illud eſt, quod ille tam admirandus autor, poſt tot excellentium philoſophorum familias, poſt tot inſignes prophetas, docturus aduenerit. Cur non hic pia curioſitate ſingula cognoſcimus, diſquirimus, excutimus? præſertim cum hoc ſapientiæ genus, tam eximium, ut ſemel ſtultam reddiderit uniuerſam huius mundi ſapientiam, ex paucis hiſce libris, uelut è limpidiſſimis fontibus, haurire liceat, longe minore negocio, quàm ex tot uoluminibus ſpinoſis, ex tam immenſis, hiſq; inter ſe pugnantibus interpretum commentarijs, Ariſtotelicam doctrinam: ut ne addam, quanto maiore cum fructu. Nihil enim hic neceſſe eſt ut tot anxijs diſciplinis inſtructus accedas. Simplex & cuiuis paratum eſt uiaticũ, tantum fac adferas pium ac promptum animum, & in primis ſimplici puráq; præditum fide. Tantũ eſto docilis, & multũ in hac philoſophia promouiſti. Ipſa ſuppeditat doctorem ſpiritum, qui nulli ſeſe lubentius impartit, quàm ſimplicibus animis. Illorum diſciplinæ, præterquam quod falſam promittunt felicita-

Præſtantia philoſophiæ Chriſtianæ

Quibus inſtructum oporteat eſſe qui Chriſtianam philoſophiam diſcere cupiat

tem

tem,multorũ ingenia ſubmouent,ipſa uidelicet præ/ ceptorum difficultate. Hæc omnibus ex æquo ſeſe ac commodat,ſubmittit ſe paruulis, ad illorũ modulum ſeſe attemperat, lacte illos alens, ferens, confouens, ſuſtinẽs,omnia faciens, donec grandeſcamus in Chri ſto. At rurſum ita non deeſt infimis,ut ſummis etiam ſit admirabilis . Imò quo longius in huius opes pro/ greſſus fueris,hoc longius illius maieſtate ſubmoue/ ris . Paruis puſilla eſt, magnis plus quàm maxima. Nullam hæc ætatem,nullum ſexũ,nullam fortunam, nullam reijcit conditionem. Sol hic nõ perinde com/ munis & expoſitus eſt omnibus,atq; Chriſti doctri/ na. Non arcet omnino quenquam,niſi quis ſemet ar/ ceat,ipſe ſibi inuidens. Vehementer enim ab iſtis diſ/ ſentio,qui nolint ab idiotis legi diuinas literas,in uul gi linguam transfuſas: ſiue quaſi Chriſtus tam inuo/ luta docuerit,ut uix à pauculis theologis poſſint in/ telligi,ſiue quaſi religionis Chriſtianæ præſidium in hoc ſitum ſit,ſi neſciatur. Regũ myſteria cælare for/ taſſe ſatius eſt. At Chriſtus ſua myſteria quàm maxi me cupit euulgari. Optarim ut omnes mulierculæ le gant euangelium , legant Paulinas epiſtolas. Atque utinam hæc in omnes omnium linguas eſſent transfu ſa,ut non ſolum à Scotis & Hybernis , ſed à Turcis quoq; & Saracenis legi cognoſciq; poſſint. Primus certe gradus eſt , utcunque cognoſcere . Eſto ride/

Facilitas

Ab idiotis etiam legi debent diui/ næ literæ.

Cognitio.

rent multi, at caperentur aliquot. Vtinam hinc ad ſtiuam aliquid decantet agricola, hinc nonnihil ad radios ſuos moduletur textor, huiuſmodi fabulis iti/neris tædium leuet uiator. Ex his ſint omnia Chri/ſtianorum omnium colloquia. Tales enim fermè ſu/mus, quales ſunt quotidianæ noſtræ confabulatio/nes. Aſſequatur quiſq; quod poteſt, exprimat quiſq; quod poteſt. Qui poſterior eſt, non inuideat præce/denti: qui prior eſt, inuitet ſequentem, non deſperet. Cur profeſſionem omnium cõmunem ad paucos con trahimus? Neq; enim conſentaneum eſt, cum baptiſ/mus ex æquo communis ſit Chriſtianorum omnium, in quo prima Chriſtianæ philoſophiæ profeſſio eſt, cum ſacramenta cætera, deniq; cum præmium illud immortalitatis ad omnes ex æquo pertineat, ſola do gmata in pauculos iſtos eſſe releganda, quos hodie uulgus theologos, aut monachos uocat, quos ipſos ta men, tametſi minima quæpiam portio ſunt ad popu/lum Chriſtiani nominis, tamen hos, inquam, ipſos op tarim maiorem in modum eſſe quod audiunt. Vereor enim ne inter Theologos reperire liceat, qui multũ abſint à ſuo titulo, hoc eſt, qui terrena loquantur, nõ diuina: & inter monachos, qui Chriſti paupertatem & mundi contemptum profitentur, pluſquam mun/dum reperias. Is mihi uere theologus eſt, qui non ſyl logiſmis arte contortis, ſed affectu, ſed ipſo uultu at/

Theologi Monachi.

que

que oculis, ſed ipſa uita doceat, aſpernandas opes: Chriſtiano nõ eſſe fidendum huius mundi præſidijs, ſed totum oportere pendere de cœlo: non eſſe retaliandam iniuriam: bene precandũ male precantibus, bene merendũ de male merentibus: bonos omnes uelut eiuſdem corporis membra diligendos ac fouendos ex æquo: malos tolerandos, ſi corrigi nequeant: qui ſuis exuuntur bonis, qui depelluntur poſſeſſionibus, qui lugẽt, hos beatos eſſe, non deplorandos: mortem optandã etiam pijs, ut quæ nihil ſit aliud quàm traiectus ad immortalitatem. Hæc inquam, & huiuſmodi, ſi quis afflatus ſpiritu Chriſti prædicet, inculcet, ad hæc hortetur, inuitet, animet, is demum uere theologus eſt, etiam ſi foſſor fuerit aut textor. Hæc ſi quis & ipſis præſtet moribus, is denique magnus eſt doctor. Qua ratione intelligant angeli, fortaſſe ſubtilius diſſerat alius, uel non Chriſtianus. At illud perſuadere, ut hic puri ab omnibus inquinamẽtis uitam exigamus angelicam, id demum Chriſtiani theologi munus eſt. Quod ſi quis obſtrepet, hæc eſſe craſſula & idiotica, nihil aliud huic reſponderim, niſi q, hæc craſſa Chriſtus præcipue docuit, hæc inculcant apoſtoli, hæc quantumuis idiotica, tot germane Chriſtianos, tot inſignium martyrũ examina nobis prodiderũt. Hæc, inquã, illiterata, ut ipſis uidetur, philoſophia, ſummos orbis principes, tot regna, tot gentes,

Magnus doctor

Munus theologi Chriſtiani.

Chriſti doctrinã craſſam uocant ac idiotică

in ſuas pertraxit leges:id quod nulla tyrannorũ uis, nulla philoſophorum poterat eruditio.Neq; uero re pugno, quo minus ſapientiam iſtam, ſi uidetur, loquantur inter perfectos:at hoc certe nomine conſole tur ſeſe humile Chriſtianorũ uulgus,quod iſtas ſubtilitates,an ſciuerint apoſtoli, uiderint alij,certe nõ docuerunt. Hæc,inquam, plebeia, ſi præſtarent pro ſua ſorte principes, ſi in concionibus inculcarent ſacerdotes, ſi pueris inſtillarent ludimagiſtri, potius quàm erudita illa, ex Ariſtotelis & Auerrois deprompta fontibus,nõ ſic perpetuis penè bellis tumultuaretur undiq; res Chriſtiana, non tam inſano ſtudio,per fas nefasq; congerendi diuitias feruerent omnia:non tot litibus ubiq; perſtreperent ſacra pariter ac profana.Deniq; non titulo tantum & ceremonijs differremus ab his,qui Chriſti philoſophiam non profitentur. Siquidem in his tribus hominum ordinibus præcipue ſitum eſt Chriſtianæ religionis,uel inſtaurandæ,uel augendæ negocium,in principibus,et quihorum gerunt uices, magiſtratibus:in epiſcopis, & horum uicarijs,ſacerdotibus: & in his, qui primam illam ætatem ad omnia ſequacem, inſtituunt. Quos ſi omiſſo ſuo negocio contingat ex animo conſpirare in Chriſtum, nimirum uideremus haud ita multis annis uerũ quoddam,&,ut Paulus inquit, γνήσιον Chriſtianorũ genus paſſim emergere, quod Chriſti philoſophiã

Apoſtoli ſubtilitates non docuerunt

Principes. Epiſcopi. Ludimagiſtri

philoſophiam non ceremonijs tantum,& propoſitio
nibus, ſed ipſo pectore totaq; uita referret. His ar-
mis longe citius pellicerentur ad Chriſti fidem, Chri
ſtiani nominis hoſtes, quàm minis aut armis. Vt om- Veritas
nia iungamus præſidia, nihil ipſa ueritate potentius.
Platonicus non eſt, qui Platonis libros non legerit.
Et theologus eſt, non modo Chriſtianus, qui Chriſti
literas non legerit? Qui diligit, inquit, me, ſermones
meos ſeruat. Hanc ipſe notam præſcripſit. Proinde ſi
uere ex animo ſumus Chriſtiani, ſi uere credimus il-
lũ è cœlo miſſum, ut ea nos doceret, quæ philoſopho
rum ſapientia nõ poterat, ſi uere expectamus ab eo,
quod nulli principes quantumuis opulenti, donare
queunt: cur eſt nobis quicquam huius literis anti-
quius? Cur omnino quicquam uidetur eruditũ, quod
ab huius decretis diſſidet? Cur in his adorandis lite-
ris idem, ac penè dixerim, plus nobis permittimus,
quàm in Cæſareis legibus, aut medicorum libris ſibi
permittunt interpretes profani? ut perinde quaſi in
re ludicra uerſemur, ita quicquid in buccam uene-
rit, commentemur, detorqueamus, inuoluamus. Cœ-
leſtia dogmata, ceu Lydiam regulam, ad noſtram Temeritas
pertrahimus uitam: et dum omnibus modis fugimus, quorundam
ne parum multa ſciſſe uideamur, quicquid uſquàm
eſt prophanarum literarũ huc prouehentes, id quod
eſt in Chriſtiana philoſophia præcipuũ, non dicam,

corrumpimus: sed quod negari non potest, ad pau-
cos homines contrahimus rem, qua Christus nihil
uoluit esse cõmunius. Hoc philosophiæ genus in af-
fectibus situm uerius, quàm in syllogismis, uita est
magis quàm disputatio, afflatus potius quàm eruditio,
transformatio magis quàm ratio. Doctos esse uix
paucis contingit: at nulli licet esse Christianum, nulli
nõ licet esse pium: addam audacter illud, nulli non
licet esse theologum. Iam facile descendit in animos
omnium, quod maxime secundũ naturam est. Quid
Philosophia Christi instauratio bene conditæ naturæ autem aliud est Christi philosophia, quam ipse renascentiam uocat, quàm instauratio bene cõditæ naturæ? Proinde quanquàm nemo tradidit hæc absolutius, nemo efficacius, quàm Christus, tamẽ permulta reperire licet in ethnicorũ libris, quæ cum huius doctrina consentiant. Nulla fuit unquam tam crassa factio philosophiæ, quæ docuerit pecuniã hominẽ reddere felicem, nulla tam impudens, quæ in uulgaribus istis honoribus aut uoluptatibus finem boni constituerit. Viderunt Stoici neminem esse sapientem, nisi bonum uirum: uiderunt nihil esse uere bonum aut honestum, præter ueram uirtutem: nihil horrendum aut malum, præter unam turpitudinem. Iniuriam nõ esse pensandam iniuria, multis modis apud Platonẽ docet Socrates. Item cum immortalis sit anima, non esse deplorandos, qui cũ fiducia bene actæ uitæ hinc demigrant

Stoici

Socrates

demigrant in uitam feliciorẽ: præterea animam omnibus modis abducendam ab affectibus corporis, & ad ea traducendam, quæ uere sunt, cum non uideantur. Nullam rem nobis suauem esse posse, quæ non aliquo modo contemnatur, in Politicis scripsit Aristoteles, una uirtute excepta. Nihil in uita homini suaue esse posse, nisi adsit animus nullius mali sibi conscius, unde ceu fonte scatet uera uoluptas, fatetur & Epicurus. Quid quod magnam huius doctrinæ partem præstitere non pauci, præcipue Socrates, Diogenes, & Epictetus? At eadem cũ tanto plenius & docuerit & præstiterit Christus, an non prodigij simile, hæc à Christianis uel ignorari, uel negligi, uel etiam rideri? Si sunt quæ propius pertinẽt ad Christianismum, his antiquatis, illa sequamur: sin hæc sola sunt quæ uere Christianũ possint efficere, cur hæc propemodum magis pro obsoletis & abrogatis habemus, quàm libros Mosaicos? Primũ autem est, scire quid docuerit, proximum est præstare. Neque enim ob id, opinor, quisquam sibi Christianus esse uideatur, si spinosa, molestaq; uerborũ perplexitate, de instantibus, de relationibus, de quidditatibus ac formalitatibus disputet, sed si quod Christus docuit & exhibuit, id teneat, exprimatq;. Non quod horũ studiũ damnem, qui in argutijs huiusmodi non sine laude exercuerunt ingenij sui uires: nolim enim offendi quenquam:

Aristoteles

Epicurus

Christus.

Decreta Christi pro obsoletis habemus

Hæc argutum faciũt, at non Christianum

Ex euange/licis & apo/stolicis lite/ris germa/na Christi philoſophia feliciſſime hauritur.

ſed quod exiſtimem,& uere, ni fallor,exiſtimo, pu/ram ac germanam illam Chriſti philoſophiam, non aliunde felicius hauriri, quàm ex euangelicis libris, quàm ex apoſtolicis literis:in quibus ſi quis pie phi/loſophetur, orans magis, quàm argumentans, & transformari ſtudens potius quàm armari,is nimirũ comperiet nihil eſſe,quod ad hominis felicitatem,ni/hil quod ad ullam huius uitæ functionem pertineat, quod in his nõ ſit traditum,diſcuſſum,& abſolutum.

Vtilitas.

Siue quid diſcere cupimus,cur alius autor magis pla/cet,quàm ipſe Chriſtus: Siue uiuendi formam requi/rimus,cur aliud nobis prius eſt exemplum,quàm ar/chetypus ipſe Chriſtus? Siue pharmacũ aliquod ad/uerſus moleſtas animi cupiditates deſideramus, cur alibi putamus remedium eſſe præſentius? Siue cupi/mus reſidem ac langueſcentem animum expergefa/cere lectione, quæſo ubi reperias igniculos æque ui/uos & efficaces? Siue uiſum eſt animum ab huius ui/tæ moleſtijs auocare, cur aliæ magis placẽt deliciæ?

Literæ ho/minum.

Cur ſtatim malumus ex hominum literis Chriſti ſapi/entiam diſcere,quàm ex ipſo Chriſto? qui quod polli/citus eſt ſe ſemper nobiſcum fore uſq; ad conſumma/tionem ſeculi,in his literis præcipue præſtat,in qui/bus nobis etiamnum,uiuit, ſpirat,loquitur, penè di/xerim,efficacius, quàm cum inter homines uerſare/tur. Minus uidebant, minus audiebant Iudæi, quàm

tu uides & audis in Euangelicis literis, tantum ut oculos & aures adferas, quibus ille cerni & audiri poßit. Quid tandem hoc rei eßt? Literas ab amiculo ßcriptas, ßeruamus, exoßculamur, circumferimus, iterum atq; iterum relegimus: & tot ßunt milia Christianorum, qui cum alioqui docti ßint, Euangelicos & apoßtolicos libros ne legerint quidem unquam in omni uita. Mahumetæi ßua tenẽt dogmata, Iudæi & hodie ab ipßis cunabulis ßuum edißcunt Moßen. Homines Cur nos non idem præßtamus Chrißto? Qui Benedicti profitentur inßtitutum, regulam ab homine, coq; penè idiota, & idiotis ßcriptam, tenent, edißcunt, imbibunt. Qui Augußtiniani ßunt ordinis, autoris ßui regulam callent. Francißcani Francißci ßui traditiunculas adorant, amplectuntur, & quoquò terrarũ ße contulerint, ßecum circumferunt: tutos ße nõ credũt, nißi libellus adßit in ßinu. Cur illi plus tribuunt regulæ ab homine ßcriptæ, quàm uniuerßi Chrißtiani ßuæ Deus regulæ, quam omnibus tradidit Chrißtus, quam omnes ex æquo profeßßi ßunt in baptißmo? Denique qua (ut ßexcẽtas etiam addas) nulla poßit eßße ßanctior? Atq; utinam fiat, ut quemadmodum Paulus ßcripßit, Moßi legem non fuißße glorioßam præ gloria ßuccedentis Euangelij, ita Chrißtianis omnibus Euangelia & apoßtolorum literæ ita ßanctæ habeantur, ut hæc præ illis non uideantur eßße ßancta. Quid Alber

Theologia recens

to magno, quid Alexandro, quid Thomæ, quid Aegidio, quid Ricardo, quid Occam alij uelint tribuere, per me sanè cuiq; liberũ erit. Nolim enim cuiusquã imminuere gloriam, aut cũ inueteratis iam hominum studijs dimicare. Sint illa quãtumuis erudita, quantumuis subtilia, quantumuis, si uelint, Seraphica, hæc tamẽ certißima fãteãtur oportet. Paulus dijudicari uult spiritus prophetarũ, nũ ex deo sint. Augustinus omnes omniũ libros cum iudicio legens, nihilo plus iuris postulat & suis. In his solis

Ab autore

literis, & quod non assequor, tamen adoro. Hũc autorem nobis non schola theologorũ, sed ipse pater cœlestis, diuinæ uocis testimonio comprobauit, idq; bis, primũ ad Iordanem in baptismo, deinde in monte Thabor in transfiguratione: Hic, inquit, est filius meus dilectus, in quo mihi complacitum est, ipsum audite. O solidã autoritatem, uereq; (ut isti uocãt) irrefragabilem. Quid est ipsum audite? Nimirũ, hic unicus est doctor, huius unius discipuli sitis. Attollat studijs suum quisq; quantum uolet autorem, hoc de uno citra exceptionem dictũ est Christo. In hũc primum descendit columba, paterni testimonij com

Petrus

probatrix. Huius spiritum proxime refert Petrus, cui summus ille pastor oues suas semel, iterum, ac tertio pascendas commisit, pascendas autem haud dubium quin Christianæ doctrinæ pabulo. Hic in

Paulo

Paulo ueluti renatus est, quem ipse uocauit orga- Paulus
num electum, & insignem sui nominis præconem.
Ioannes quod è sacrosancto illo pectoris fonte hau- Ioannes
serat, id suis expressit literis. Quid quæso simile in
Scoto (nolim id contumeliæ causa dictum uide- Scotus
ri) quid simile in Thoma? quanquam illius inge- Thomas
nium admiror, huius etiam ueneror sanctimoniam.
Cur non in his tantis autoribus philosophamur o-
mnes? quin hos sinu circumferimus, hos semper
habemus in manibus? quin in his uenamur, scru-
tamur, disquirimus assidue? Cur maior uitæ por-
tio datur Aucrroi, quàm Euangelijs? Cur tota
penè ætas in hominum decretis, & inter se pugnan
tibus opinionibus conteritur? Iam uero sint illa
sanè, si libet, sublimium theologorum. At in his
certe sit futuri quondam magni theologi tyroci-
nium. Quotquot in baptismo iurauimus in uer-
ba Christi, si tamen ex animo iurauimus, mox in-
ter ipsos parentum complexus, & nutricum blan-
ditias, Christi dogmatis imbuamur. Nam & al- Christi do-
tissime insidet, & tenacissime hæret, quod primum gmatis im-
rudis illa animi testula combiberit. Christum pri- buendi pue-
ma sonet balbuties, ex huius Euangelijs prima for- ri
metur infantia: quem ita cum primis tradi cupiam,
ut & à pueris ametur. In his deinde uersentur stu-
dijs, donec tacitis auctibus adolescant in uirum
robustum

Literæ humanæ

Diuinæ

In has transformemur

In Euangelicis & apostolicis literis spirans est & uiua Christi imago

robustum in Christo. Aliorum literæ sunt eiusmodi, ut non parum multos pœnituerit insumptæ in illis operæ. Ac sæpenumero fit, ut qui per omnem uitam pro tuendis illarum decretis ad mortem usque depugnarunt, in ipsa morte ab autoris sui factione desciscant. At felix ille quĕ in hisce literis meditantem mors occupat. Has igitur toto pectore sitiamus omnes, has amplectamur, in his iugiter uersemur, has exosculemur, his demũ immoriamur, in has trãsformemur: quandoquidem abeunt studia in mores. Qui consequi non potest (quis autem id nõ potest, si modo uelit?) is saltĕ adoret hasce literas, ceu thecam illius diuini pectoris. Si quis ostendat Christi pedibus impreßum uestigium, quam procumbimus Christiani, quàm adoramus? At cur non potius uiuam illius & spirantem imaginem in hisce uenerамur libris? Si quis Christi tunicam exhibeat, quò non terrarum prouolaturi simus, ut eam osculari liceat? Atqui ut totam illius supellectilem proferas, nihil erit, quod Christũ expreßius ac uerius repræsentet, quàm Euangelicæ literæ. Ligneam aut saxeam statuam, amore Christi, gemmis auroq; decoramus. Quin hæc potius auro gemmisq;, & si quid his precioßius, insigniuntur, quæ tanto præsentius Christum nobis referunt, quàm ulla imaguncula? Siquidem illa, quid aliud, quàm corporis figuram exprimit?

exprimit? ſi tamen illius quicquam exprimit. At hæ tibi ſacroſanctæ mentis illius uiuam referũt imaginem, ipſumq; Chriſtum loquentem, ſanantem, morientem, reſurgentem, deniq; totum ita præſentem reddunt, ut minus uiſurus ſis, ſi coràm oculis conſpicias. Euangelicæ literæ

PARACLESEOS, ID EST, ADhortationis, ad Chriſtianæ philoſophiæ ſtudium, autore Eraſmo Roterodamo,

Finis.

EVSEBIVS CA=

PRIANO FRATRI IN DOMINO

S. D.

MMONIVS quidē Alexādrinus magno stu dio atq; industria unum nobis pro quatuor Euan gelijs dereliquit. Nanq; trium Euangeliorum sen sus exceptos omnes simi les concentusq; Matthæi Euangelio quasi ad unum cōgestos annexuit: ita ut eorundem quantum ad tenorem pertinet lectionis, sequēs iam stilus interruptus esse uideatur. Verum ut saluo corpore siue textu cæterorum hic Euange liorum, propria et familiaria loca in quibus eadem similiterq; dixerunt, scire poßis ac uere dißerere, hac occasione ex prædicti uiri studio alia ratione decem numerorū tibi titulos designaui. Quorū pri mus quatuor in se continet numero, in quibus simi lia ab uniuersis dicta sunt: Matthæo, Marco, Luca, Ioanne. Secūdus, in quibus tres, Matthæus, Marcus, Lucas. Tertius in quibus tres, Matthæus, Lucas, Io/

annes

annes. Quartus in quibus tres Matthæus, Marcus, Ioannes. Quintus in quibus duo, Matthæus, Lucas. Sextus in quibus duo, Matthæus, Marcus. Septimus in quibus duo, Matthæus, Ioannes. Octauus in quibus duo, Marcus, Lucas. Nonus in quibus duo, Lucas, Ioannes. Decimus in quibus singuli de quibusdam proprie scripserunt. Et quidem subiectorum titulorum id est argumentum, clara uero eorũ narratio hæc est. Etenim per singula loca Euangeliorum quidam numerus uidetur appositus paulatim incipiens à primo, deinde secundo, postremo tertio, & per ordinem librorum ad finem usque progrediens. Itaque per singulos numeros suppurtatio per minij distinctionem inuenitur inserta, significans cui è decẽ titulis appositus numerus assignetur. Veluti si quidẽ primũ, certũ est in primo. Si uero secundum, in secundo, & eodem modo usq; ad decem. Si igitur euoluto uno qualicunq; è quatuor Euangelijs, cuilibet capitulo uelis insistere, & rescire qui similia dixerint, & loca propria agnoscere singulorum in quibus eadem sunt prolocuti, eiusdem sensus quem tenes relegens propositum numerum quæsitumq; eum in titulo, quem demonstrat tituli subnotatio, continuo scire potes ex suprascriptionibus, quas in fronte notatas inuenies, qui aut quot de his quæ inquiris similia dixerint. Venies etiam

etiam ad reliqua Euangelia per eundem numerum quem contines: uidebis appositos per singulos numeros, atque eos in suis proprijsq; locis similia dixisse reperies.

FINIS

CANON PRIMVS IN QVO QVATVOR



CANON PRIMVS IN QVO QVATVOR



Mat.	Mar.	Luc.	Joan.
87	139	250	141
244	139	250	146
274	150	260	20
274	156	260	48
274	156	260	96
276	158	74	98
280	162	269	122
284	165	266	55
284	165	265	63
284	165	265	65
284	165	266	67
289	170	275	126
291	172	279	156
294	175	281	161
295	176	282	42
295	176	282	57
300	181	285	79
300	181	285	155
302	183	287	160
304	184	289	170
306	187	290	162
306	187	290	174
310	191	207	69
313	194	294	172
314	195	291	166
314	195	291	168
315	196	292	175
318	199	300	176

CANON PRIMVS IN QVO QVATVOR



CANON SECVNDVS

IN QVO TRES



CANON SECVNDVS

IN QVO TRES



CANON SECVNDVS IN QVO TRES



CANON SECVNDVS

IN QVO TRES



CANON TERTIVS
IN QVO TRES



CANON QVARTVS

IN QVO TRES



Mat.	Mar.	Ioan.
18	8	26
117	26	93
117	26	95
150	67	51
161	77	23
161	77	53
204	115	91
204	115	135
216	125	128
216	125	133
216	125	137.
216	125	150
277	159	98
279	161	72
279	161	121
287	168	152
293	174	107
297	178	70
299	180	105
307	188	164
321	201	180
321	201	192
323	205	183
329	207	185
329	207	187
333	211	203
Can.	IIII	finis

CANON QVINTVS

IN QVO DVO



CANON QVINTVS

IN QVO DVO



CANON SEXTVS

IN QVODVO



CANON VII.
IN QVO II.



CANON VIII.
IN QVO II.



CANON NONVS

IN QVO DVO



CANON X. IN QVO SINGVLI PROPRIE.



CANON X. IN QVO SINGVLI PROPRIE



EVANGELIVM SECVNDVM MATTHAEVM.

CAPVT I

LIBER generationis Ieſu Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abrahã genuit Iſaac. Iſaac autẽ genuit Iacob. Iacob autẽ genuit Iudã et fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zarã è Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz è Rachab. Booz autem genuit Obed è Ruth. Obed autẽ genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid autem rex genuit Solomonẽ, ex ea quæ fuerat uxor Uriæ. Solomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abia. Abia autem genuit Aſa. Aſa autẽ genuit Ioſaphat. Ioſaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Hoziam. Hozias autem genuit Ioathã. Ioatham autem genuit Achaz. Achaz autẽ genuit 1 III

Ezeciam. Ezecias autẽ genuit Manaſſe. Manaſſes autem genuit Amon. Amon autem genuit Ioſiam. Ioſias autem genuit Iechoniam, & fratres eius in exilio Babylonico. Porrò poſt exilium Babyloni-
cum, Iechonias genuit Salathiel. Salathiel autẽ ge-
nuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autẽ genuit Eliacim. Eliacim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoc. Sadoc autem ge-
nuit Achin. Achin autẽ genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Matthan. Matthan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioſeph, maritũ Mariæ, ex qua genitus fuit Ieſus, ille
2 qui dicitur Chriſtus. *Vniuerſæ itaq; generationes
X ab Abraham uſq; ad Dauid generationes quatuor-
decim: & à Dauid uſq; ad demigrationem Babylo-
nicam generationes quatuordecim, & à demigra-
tione Babylonica uſq; ad Chriſtũ generationes qua-
3 tuordecim. * Ieſu uero Chriſti natiuitas ſic habet:
X Cum enim mater eius Maria deſponſa eßet Ioſeph, prius quàm congreßi fuißent, deprehẽſa eſt grauida è ſpiritu ſancto. *Porrò Ioſeph maritus eius quo-
4 niã erat iuſtus, & nolebat illam infamare, uoluit
X clanculum ab ea diuertere. Hæc autẽ cum is in ani-
mo uerſaret, ecce angelus domini in ſomnis uiſus eſt illi, dicens: Ioſeph fili Dauid, ne metuas adiunge re tibi Mariã uxorem tuam. Nam quod in illa cõce-

ptum

ptum est,à ſpiritu ſancto profectum est. Pariet aũt filium,& uocabis nomẽ eius Iesum. Is enim ſaluum faciet populum ſuũ à peccatis ſuis. Porrò totũ hoc factũ est,ut perficeretur id, quod dictũ fuerat à domino per prophetam ita loquẽtem:Ecce uirgo erit prægnans,& pariet filium,& uocabunt nomẽ eius Emmanuel,quod ſi qs interpretetur,ſonat, nobiſcũ deus. Excitatus autẽ Ioſeph à ſomno,fecit ut iniunxerat ſibi angelus domini: & adiũxit ſibi uxorem ſuam,& nõ cognouit eam, donec peperißet filium ſuũ primogenitũ, & appellauit nomen eius Iesum. Eſa.7

CAP. II

CVm autem natus eßet Iesus in Bethleem ciuitate Iudææ,temporibus Herodis regis,ecce Magi ab Oriente accęßerunt Hieroſolyma, dicentes:Vbi est ille,qui natus est rex Iudæorum? Vidimus enim illius ſtellam in Oriente,& acceßimus ut adoremus eum. Auditis autem his, Herodes rex turbatus est,& tota Hieroſolymorum urbs cum illo:& conuocatis omnibus pontificibus, & ſcribis populi, percontatus est eos, ubi Christus naſcereꝛtur.* At illi dixerunt ei:In Bethleẽ Iudææ. Sic enim ſcriptum est per Prophetam:Et tu Bethleem terra Iuda, nequaquam minima es inter principes Iuda. Ex te enim mihi proditurus est dux, qui gubernaturus est populum meum Iſraël. * Tum Herodes Num.24 5 VII Mich.5 6 IX

clàm accersitis Magis, accurate perquisiuit ab illis, quo tempore stella apparuisset. Et iussis ire in Bethleem, dixit: Profecti illuc, accurate inquirite de puero. Vbi uero inueneritis, renunciate mihi, ut & ego ueniam, & adorem illum. At illi audito rege, profecti sunt. Et ecce stella quam uiderant in Oriente, præcedebat illos, donec progressa staret supra locum, in quo erat puer. Cum autem uidissent stellam, gauisi sunt gaudio magno ualde. Et ingressi domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & prostrati, adorauerunt illum: & apertis thesauris suis, obtulerunt illi munera, aurum, & thus, & myrrham: & oraculo admoniti in somnis, ne reuerterentur ad Herodem, per aliam uiam reuersi sunt in regionem suam. Digressis autem illis, ecce angelus domini apparet in somnis Ioseph, dicens: Surge, & assume puerum ac matrem illius, & fuge in Aegyptum, & esto illic, donec dixero tibi. Futurum est enim, ut Herodes quærat puerũ ad perdendum eum. Ille uero excitatus, assumpsit puerum & matrem eius noctu, & secessit in Aegyptum, & fuit illic usque ad obitum Herodis: ut perficeretur quod dictum fuerat à domino per prophetã dicentem: Ex Aegypto uocaui filium meum. Tum Herodes ubi uidit sibi illusum fuisse à Magis, indignatus est uehementer: ac missis satellitib. interfecit omnes

pueros

pueros qui erant Bethleem, & in omnibus finibus Bethleemiticis, quotquot essent bimuli, aut minores, iuxta tempus quod exacte cognouerat ex Magis. Tunc perfectum est quod dictum fuerat ab Hieremia propheta, cum ait: Vox in Rama audita est, lamentatio, ploratus & fletus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolationem admittere, propterea quod non sint. Cæterum defuncto Herode, ecce angelus domini in somnis apparet Ioseph in Aegypto, dicens: Surge, & assume puerum & matrem eius, & uade in terram Israël. Defuncti sunt enim qui quærebant animam pueri. At ille surgens, assumpsit puerum & matrem illius, & uenit in terram Israël. Verum cum audisset Archelaum regnare in Iudæa loco Herodis patris sui, timuit illuc abire: sed oraculo admonitus in somnis, secessit in partes Galilææ: ac profectus habitauit in ciuitate quæ uocatur Nazareth, ut impleretur quod dictum fuerat per prophetas: Nazaræus uocabitur. Hiere. 31

CAP. III

IN diebus illis accedit Ioannes Baptista, prædicans in deserto Iudææ, dicensq;: Pœnitentiã agite uitæ prioris, in propinquo est enim regnum cœlorum. Nam hic est ille, de quo dixit Esaias propheta, qui ait: Vox clamantis in deserto, parate uiam domini, rectas facite semitas eius. Ipse uero Ioannes Esa. 40

habebat indumentum ſuum è pilis camelorũ, & zonam pelliccam circum lumbos ſuos. Porrò cibus illius erant locuſtæ, & mel ſylueſtre.* Tunc egreſſa
9 VI eſt ad illum Hieroſolyma, & tota Iudæa, totaq; regio undiq; finitima Iordani, & baptizabantur in Iordane ab illo, confitentes peccata ſua. Cum uidiſſet autem multos ex Phariſæis & Sadducæis ue-
10 nientes ad baptiſmum ſuum, dixit illis:* Progenies V uiperarum, quis uobis ſubmonſtrauit, ut fugeretis à uentura ira? Facite igitur fructus, qui deceant pœnitentiam. Et ne ſitis hac mente, ut dicatis intra uos ipſos: Patrem habemus Abrahã. Dico enim uobis, quod poſſit deus facere, ut ex lapidibus his filij ſurgant Abrahamo. Iam uero & ſecuris ad radicem arborum poſita eſt. Omnis igitur arbor, quæ nõ fa-
cit fructum bonum, exciditur, & in ignem mittitur.
11 *Ego quidem baptizo uos aqua ad pœnitẽtiam: at
I ille qui poſt me uenturus eſt, fortior me eſt, cuius nõ ſum idoneus ut calciamenta portem, ipſe uos bapti-
12 zabit ſpiritu ſancto & igni:* cuius uentilabrum in V manu ipſius, & repurgabit aream ſuam, & cõgregabit triticum ſuum in horreum, paleam autẽ exu-
13 ret igni inextinguibili.* Tunc accedit Ieſus à Gali- X læa ad Iordanẽ ad Ioannẽ, ut baptizaretur ab illo. At Ioannes prohibebat illum, dicens: Mihi opus eſt ut abs te baptizer, & tu uenis ad me? Reſpondens

autem

autem Iesus dixit ad illum: Omitte nũc, sic enim decet nos, ut compleamus omnem iustitiam. Tũc omittit illum. *Et baptizatus Iesus, ascendit protinus ab 14
aqua: & ecce aperti sunt illi cœli, & uidit spiritum I
dei descendentẽ tanquam columbã, & uenientem
super ipsum. Et ecce uox de cœlis, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitũ est.

CAP. IIII

*Tunc Iesus subductus fuit in desertum à spi- 15
ritu, ut tentaretur à diabolo. * Et cum ieiu- 11
nasset dies quadraginta, ac noctes quadraginta, 16
tandem esurijt. Et cum accessisset ad eum ille qui V
tentat, dixit: Si filius es dei, iube ut lapides hi panes fiant. At ille respondens dixit: Scriptum est: Deut. 8
Non solo pane uicturus est homo, sed omni uerbo
quod egreditur per os dei. Tunc assumit illum diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit cum super
pinnaculum templi, dicitq; illi: Si filius es dei, præcipita te deorsum. Nam scriptum est: Angelis suis Psal. 90
mandaturus est de te, ac manibus tollent te, ne
quando impingas in lapidem pedem tuum. Dixit
illi Iesus: Rursum scriptum est: Non tentabis do- Deut. 6
minum deum tuum. Rursum assumit illum diabolus in montem excelsum ualde, & commonstrat ei
omnia regna mundi, & gloriam illorũ, & dicit illi:
Hæc omnia tibi dabo, si prostratus adoraueris me.

Tunc dicit illi Iesus: Abi satana, scriptum est enim:
Dominum deum tuum adorabis, & illum solum co/
17 les. Tunc omittit illum diabolus: * & ecce angeli ac
VI cedebant ac ministrabant ei. * Cum audisset autem
18 Iesus, quod Ioannes traditus esset, secessit in Galilæ
IIII am: * & relicta Nazareth, profectus, habitauit in
Capernaum, quæ est ciuitas maritima, in finibus Za
19 bulon & Neptalim, ut impleretur quod dictum fue
VII rat per Esaiam prophetam, dicentem: Terra Zabu
Esa.9 lon & Neptalim iuxta uiam maris ultra Iordanē,
Galilæa gentium. Populus qui sedebat in tenebris
& umbra mortis, uidit lucem magnam: & qui se/
debant in regione & umbra mortis, lux orta est
20 eis. * Ex eo tempore cœpit Iesus prædicare & dice
VI re: Resipiscite, instat enim regnum cœlorum. Ambu
lans autem Iesus iuxta mare Galilææ, uidit duos fra
tres, Simonem, qui uocabatur Petrus, & Andream
fratrem eius iacientes rete in mare (nam erant pi/
21 scatores) Et dicit illis: * Sequamini me, & faciā uos
II piscatores hominum. At illi relictis ilico retibus, se
22 cuti sunt illū. * Et progressus illinc, uidit alios duos
VI fratres, Iacobum filium Zebedæi, & Ioannem fra/
trem eius in naui, cum Zebedæo patre suo, sarcien/
tes retia sua, & uocauit eos. At illi protinus relicta
23 naui & patre suo, sequuti sunt eum. * Et circum/
I ibat totam Galilæam Iesus, docens in synagogis il/

lorum

lorum, ac prædicans Euangelium regni: & ſanans omnem morbum, & omnem languorem in populo. Et dimanauit fama illius in totam Syriam. Et addu xerunt ad illum omnes male affectos uarijs morbis ac torminibus contractos, & dæmoniacos, & luna/ticos, et paralyticos, ſanauitq; illos. Et ſequutæ ſunt eũ turbæ multæ à Galilæa ac Decapoli, & Hieroſo lymis, & Iudæa, & à regionibus trãs Iordanẽ ſitis.

CAP. V

C *Vm uidiſſet autem turbas, aſcendit in mon- 24
tem: & cum cõſediſſet, acceſſerunt ad illum X
diſcipuli eius: * & poſtquàm aperuiſſet os ſuum, do 25
cebat illos, dicẽs: * Beati pauperes ſpiritu, quoniam V
illorum eſt regnum cœlorum. * Beati qui lugent, 26
quoniam ipſi conſolationem accipient. * Beati mi/ V
tes, quoniam ipſi hæreditatem accipient terræ. 27
Beati qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam, quoniam X
ipſi ſaturabuntur. * Beati miſericordes, quoniam 28
ipſi miſericordiam conſequentur. Beati mundo cor V
de, quoniam ipſi deum uidebunt. Beati pacifici, quo 29
niam hi filij dei uocabuntur. Beati qui perſequutio/ X
nem patiuntur propter iuſtitiam, quoniam illo/
rum eſt regnum cœlorum. * Beati eſtis, cum pro/ 30
bra iecerint in uos, & inſectati fuerint, & di- V
xerint omne malum uerbum aduerſus uos, men/
tientes propter me. Gaudete & exultate, quo/

niam merces uestra multa est in cœlis. Sic enim per
secuuti fuerunt prophetas, qui fuerunt ante uos.
31 *Vos estis sal terræ. Quod si sal infatuatus fuerit,
II quo salietur? Ad nihil ualet ultra, nisi ut proijci-
tur foras, & conculcetur ab hominibus. Vos estis
lux mundi. Non potest oppidum abscondi supra
32 montem situm,* neq; accendunt lucernam, & po-
II nunt illam subter modium, sed super candelabrum,
& lucet omnibus qui sunt in domo. Sic luceat lux
uestra coram hominibus, ut uideant uestra bona
opera, glorificentq; patrem uestrum, qui est in cœ-
33 lis.*Ne existimetis, quod uenerim ad destruendam
X legem aut prophetas, imò nõ ueni ut destruam, sed
34 ut compleam.*Amen quippe dico uobis, donec præ
V tereat cœlum & terra, iota unum, aut unus apex
nõ præterierit ex lege, quoad omnia facta fuerint.
35 *Quisquis igitur soluerit unũ ex mandatis hisce mi-
X nimis, & docuerit sic homines, minimus uocabitur
in regno cœlorum. Quisquis autem fecerit & do-
cuerit, hic magnus uocabitur in regno cœlorum. Di-
co enim uobis: Nisi abundauerit uestra iustitia plus
quàm scribarum & phariscorum, non possitis in-
gredi in regnum cœlorum. Audistis quod dictum
Exo.20 sit ueteribus: Non occides. Quisquis autem occide-
Deut.5 rit, obnoxius erit iudicio. At ego dico uobis, quod
quisquis irascitur fratri suo temere, obnoxius erit
iudicio

iudicio. Quicunq; uero dixerit fratri ſuo, racha, obnoxius erit concilio. Quiſquis autem dixerit, fatue, obnoxius erit gehennæ incendio. Itaq; ſi obtuleris munus tuum ad aram, & illic recordatus fueris quod frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque illic munus tuum coram altari, & abi, prius reconcilieris fratri tuo, & tum ueniens offer munus tuum. *Habeto beneuolentiam cum aduerſario tuo 36
cito, dum es in uia cum illo, ne quando te tradat ad V
uerſarius iudici, & iudex te tradat miniſtro, & in carcerem conijciaris. Amen dico tibi, non exibis illinc, donec perſolueris extremum quadrantem.
* Audiſtis quod dictum fuerit antiquis: Non com- 37
mittes adulteriũ. At ego dico uobis, quod quicunq; X
aſpexerit uxorem alterius ad cõcupiſcendum eam, Exo. 20
iam adulterium cũ ea commiſit in corde ſuo. Quod ſi oculus tuus dexter obſtaculo tibi fuerit, erue illum, & abijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam. Et ſi dextera tua manus obſtiterit tibi, amputa eam, & proijce abs te. Expedit enim tibi, ut pereat unum membrorum tuorum, ac non totum corpus tuum conijciatur in gehennam. Dictum eſt autem: Quicunq; repudiauerit uxorem ſuam, det illi libellum diuortij. At ego dico uobis, quod quiſquis repudiauerit uxorẽ Deut. 24

ſuam

ſuam,niſi cauſa ſtupri,efficit ut illa ſit adultera: & quicunque repudiatam duxerit, adulterium committit. Rurſum audiſtis, quod dictum fuerit anti-
Leuit.19 quis:Non peierabis,ſed perſolues domino ea, quæ iuraueris.At ego dico uobis, ne iuretis omnino,neque per cœlum, quia thronus dei eſt: neq; per terram,quia ſubſellium eſt pedum illius: neq; per Hieroſolyma, quoniam ciuitas eſt magni regis: neque per caput tuum iurabis, propterea quod non potes unum pilum album aut nigrum facere. Sed erit ſermo ueſter,eſt eſt,non non.Porrò quod ultra hæc
Exo.21 adiungitur,ex malo proficiſcitur.Audiſtis quod di
Deut.19 ctum fuerit,oculum pro oculo, & dentem pro den
38 te.At ego dico uobis, ne reſiſtatis malo. * ſed quiſ-
V quis impegerit alapam in dextram tuam maxillã, obuerte illi & alteram:& ei qui te uelit in ius tra-
39 here,ac tunicam tuam tollere,permitte illi & pal-
X lium.*Et qui te adegerit ad miliarium unum,abito cum illo duo.Petenti abs te dato:& cupientem mu-
Leuit.19 tuum accipere,ne auerſeris. Audiſtis quod dictum
40 ſit:Diliges proximum tuum, & odio habebis inimi-
V cum tuum. At ego dico uobis:*Diligite inimicos ueſtros:bene precemini deuouentibus uos:beneſacite his,qui uos odio proſequuntur: orate pro his, qui lædunt & inſectantur uos,ut ſitis filij patris ueſtri, qui eſt in cœlis: quia ſolem ſuum exoriri ſinit ſuper

malos

malos ac bonos, & pluuiam mittit ſuper iuſtos & iniuſtos. *Nam ſi dilexeritis eos qui diligunt uos, 41
quod præmium habetis? Nónne & publicani idem V
faciunt? Et ſi complexi fueritis fratres ueſtros tantum, quid eximium facitis? Nónne & publicani ſic faciunt? Eritis igitur uos perfecti quemadmodũ pater ueſter, qui eſt in cœlis, perfectus eſt.

CAP. VI

*Attendite ne eleemoſynam ueſtram præſte 42
tis coram hominibus, quo ſpectemini ab il X
lis. Alioqui præmium non habetis apud patrem ueſtrum, qui eſt in cœlis. Itaq; cum præſtas eleemoſynam ne tubis canatur ante te, quemadmodum hypocritæ faciunt in conciliabulis, & in uicis, ut glorificentur ab hominibus. Amen dico uobis, habent mercedem ſuam. Cæterum tu cum præſtabis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua quod facit dextera tua, ut ſit tua eleemoſyna in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto, ipſe reddet tibi in propatulo. Et cum oraueris, non eris quemadmodum hypocritæ. Nam illi ſolent in cõciliabulis & in angulis platearum ſtantes orare, quo conſpicui ſint hominibus. Amen dico uobis, quod habent mercedem ſuam. Tu uero cum oras, introito in conclaue tuum, & occluſo oſtio tuo, ora patrem tuum qui eſt in occulto: & pater tuus qui uidet in occulto, perſoluet

tibi

tibi in propatulo. Verum orantes ne ſitis multilo-
qui ſicut ethnici. Putant enim fore, ut ob multilo-
quium ſuum exaudiantur. Ne igitur efficiamini ſi-
miles iſtorum. Nouit enim pater ueſter quibus re-
bus opus ſit uobis, prius quàm petatis ab illo. Ad
45 hunc ergo modum orate uos: *Pater noſter, qui es
V in cœlis, ſanctificetur nomen tuum. Veniat regnum
tuum: fiat uoluntas tua quemadmodum in cœlo, ſic
etiam in terra. Panem noſtrum quotidianum da no
bis hodie: & remitte nobis debita noſtra, ſicut &
nos remittimus debitoribus noſtris. Et ne inducas
nos in tentationem, ſed libera nos à malo. quia tu-
um eſt regnum, & potentia, & gloria, in ſecula ſe-
44 culorum, Amen. *Proinde, ſi remiſeritis hominibus
VI errata ſua, remittet & uobis pater ueſter cœleſtis.
Quod ſi non remiſeritis hominibus errata ſua, nec
45 pater ueſter remittet errata ueſtra. * Porrò cũ ie-
X iunaueritis, ne ſitis ueluti hypocritæ, tetrici. Obſcu-
rant enim facies ſuas, quo perſpicuũ ſit hominibus
ipſos ieiunare. Amen dico uobis, habent mercedem
ſuã. Tu uero cũ ieiunas, unge caput tuũ, & faciem
tuã laua, ne conſpicuũ ſit hominibus te ieiunare, ſed
patri tuo, qui eſt in occulto: et pater tuus qui uidet
in abdito, reddet tibi in propatulo. Ne reponatis uo
46 bis theſauros in terra, ubi erugo & tinea corrum-
V pit, & ubi fures perfodiunt ac furantur. *Sed recon-

dite

dite uobis thesauros in cœlo, ubi neq; erugo, neq; ti-
nea corrumpit, & ubi fures nõ perfodiunt, neq; fu-
rãtur. Nam ubi fuerit thesaurus uester, illic erit &
cor uestrum. *Lucerna corporis est oculus. Si igi- 47
tur oculus tuus simplex fuerit, totum corpus tuum V
lucidum erit. Quod si oculus tuus malus fuerit, totũ
corpus tuũ tenebrosum erit. Ergo si lumẽ quod est
in te, tenebræ sunt, ipsæ tenebræ quãtæ? *Nemo po- 48
test duobus dominis seruire: aut enim hũc habebit V
odio, & alterũ diliget: aut huic adhærebit, & alte-
rum negliget. Nõ potestis deo seruire & Mammo-
næ. * Propterea dico uobis, ne sitis soliciti uitæ ue- 49
stræ, quid esuri sitis, aut bibituri: neq; corpori ue- V
stro, quibus indumentis usuri. Nónne anima pluris
est q̃ cibus: & corpus pluris, q̃ indumentũ? Vertite
oculos ad uolatilia cœli, quia nõ serunt, neq; metũt,
neq; conuehunt in horrea, & pater uester cœlestis
alit illa. Nónne uos longe præcellitis illa? Quis au-
tem ex uobis solicite cogitãdo, potest addere ad sta
turam suam cubitũ unum? Ac de indumẽto quid so-
liciti estis? Cognoscite lilia agri quomodo crescãt,
nõ laborant, neq; nent: attamen dico uobis, ne Solo-
monem quidem in uniuersa gloria sua sic amictum
fuisse, ut unũ ex his. Quod si gramen agri, quod, ho
die cũ sit, cras in clibanum mittitur, deus sic uestit,
an nõ multo magis uobis id faciet, ò parum fidẽtes?

Ne sitis

Ne ſitis igitur ſoliciti, dicentes: Quid edemus, aut quid bibemus, aut quibus operiemur? Nam omnia iſta gentes exquirunt. Nouit enim pater ueſter cœleſtis, quod opus habeatis his omnibus. Quin potius quærite primũ regnũ dei, & iuſtitiã eius, et hæc omnia adijciẽtur uobis. Ne ſitis igitur ſoliciti in craſtinum, nam craſtinus dies curã habebit ſui ipſius. Sufficit ſua diei afflictio. CAP. VII

50 *Nolite condemnare, ne condemnemini. Quo
11 enim iudicio iudicatis, eo iudicabitur de uobis: & qua menſura metimini, ea metientur uobis
51 alij. * Cur autem uides feſtucam, quæ eſt in oculo
V fratris tui, trabem autem quæ eſt in oculo tuo, non animaduertis? Aut quomodo dicis fratri tuo: ſine eximam feſtucam ex oculo tuo, & ecce trabes in oculo tuo? Hypocrita, eijce prius trabem ex oculo tuo, & tum perſpicies, ut eximas feſtucam ex oculo fratris tui.
52 *Ne detis quod ſanctum eſt canibus: ne
X proieceritis margaritas ueſtras ante porcos, ne quãdo hi cõculcent eas pedibus ſuis, & illi uerſi in uos
53 lacerẽt uos. *Petite, & dabitur uobis. Quærite, &
V inuenietis. Pulſate, & aperietur uobis. Quiſquis enim petit, accipit: & quicunq; quærit, inuenit: & pulſanti aperietur. An quiſquam eſt ueſtrum homo, qui ſi filius eius petierit panem, lapidem daturus ſit illi? Aut ſi piſcem petierit, num ſerpentem porriget illi?

illis? Si uos igitur cum ſitis mali, noſtis dona bona
dare filijs ueſtris, quanto magis pater ueſter qui eſt
in cœlis, dabit bona, ſi poſtuletis ab ipſo? * Omnia 54
igitur quæcunque uolueritis ut faciant uobis homi/ V
nes, ſic & uos facite illis. Hæc enim eſt lex & pro/
phetæ. * Introite per arctam portam, quoniam lata 55
eſt porta, & ſpacioſa uia, quæ abducit in exitium, V
multiq; ſunt qui ingrediuntur per illam. Quoniam
anguſta eſt porta & ſtricta uia, quæ abducit ad ui/
tam: & pauci ſunt qui inueniunt illam. * Cauete ue 56
ro uobis à pſeudoprophetis, qui ueniunt ad uos in X
ueſtitu ouium, ſed intrinſecus ſunt lupi rapaces. A
fructibus ipſorum agnoſcetis eos. * Nunquid colli/ 57
gunt de ſpinis uuam, aut de tribulis ficus? Sic omnis V
arbor bona, fructus bonos facit. Putris autem arbor
fructus malos facit. * Nõ poteſt arbor bona fructus 58
malos facere: neq; arbor putris fructus bonos face/ V
re. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, exci
ditur, & in ignem conijcitur: igitur ex fructibus ip/
ſorum agnoſcetis eos. * Non quiſquis dicit mihi: Do 59
mine domine, introibit in regnum cœlorum, ſed qui III
fecerit uoluntatem patris mei qui in cœlis eſt. * Mul 60
ti dicent mihi in illo die: Domine domine, nónne per V
nomen tuum prophetauimus, & per nomen tuum
dæmonia eiecimus, & per nomen tuum multas uir/
tutes præſtitimus? Ac tum cõfitebor illis: Nunquam

noui uos. Discedite à me qui operamini iniquitatẽ.
61 *Omnis igitur qui audit ex me sermones hos, & fa
V cit eos, adsimilabo illum uiro prudenti, qui ædifica-
uit domum suam super petram, & descendit imber,
& uenerunt flumina, & flauerunt uenti, & irrue-
runt in domum illam, & non est prostrata. Fundata
enim fuerat super petram. Et omnis qui audit à me
sermones hos, & non facit eos, adsimilabitur uiro fa
tuo, qui ædificauit domũ suam super arenam: & de-
scendit imber, & uenerunt flumina, & flauerũt uen
ti, & impegerunt in domũ illam, & deiecta est, &
62 fuit ruina illius magna*. Et factum est ut cum finisset
II Iesus sermones hos obstupuerint turbæ super do-
ctrina illius. Docebat enim eos uelut habens auto-
ritatem, & nõ sicuti scribæ. CA. VIII

CVm descendisset autẽ de monte, secutæ sunt
63 eum turbæ multæ, * & ecce leprosus acce-
II dens, adorauit eum, dicens: Domine, si uelis potes
me mundare. Protensáq; manu tetigit illum Iesus, di
cens: Volo, mundus esto, ac protinus mundata fuit
illius lepra. Et dicit illi Iesus: Vide ne cui dixeris, sed
Leuit.14 abi, ostende teipsum sacerdoti, & offer munus. quod
64 iussit offerri Moses in testimoniũ ipsis. * Porrò cum
III ingressus fuisset Iesus Capernaum, adijt eum centu-
rio, obsecrans eum, & dicens: Domine, famulus me-
us decumbit domi paralyticus ac grauiter discruci-
atur.

atur. Et dicit illi Iesus: Ego cum uenero, medebor illi. Et respondens centurio dixit: Domine, nõ sum idoneus, ut tectum meum subeas, imò tantum dic uerbum, & sanabitur famulus meus. Nam & ego sum homo alterius potestati subditus, & habeo sub me milites, & dico huic: uade, & uadit: & alteri, ueni, & uenit: & seruo meo, fac hoc, & facit. Hæc autem cum audisset Iesus, admiratus est, & ait sequentibus se: Amen dico uobis, ne in Israël quidem tantum fidei reperi. * Dico autem uobis, quod multi ab Oriente & Occidente uenturi sunt, & accumbent cũ Abraham & Isaac & Iacob in regno cœlorũ, filij uero regni eijcientur in tenebras extremas, illic erit ploratus & stridor dentium. * Et dixit Iesus centurioni: Abi & quemadmodum credis, ita fiat tibi. Et sanatus est famulus eius in hora illa. * Et cum uenisset Iesus in domum Petri, uidit socrum illius in lecto decumbentem, & febricitantem, tetigitq; manum illius, & reliquit illam febris: & surrexit ac ministrauit illis. Cum autem appetisset uespera, adduxerunt illi dæmoniacos multos, & eiecit spiritus uerbo, omnesq; male habentes sanauit, ut impleretur quod dictum erat per Esaiam prophetam, cum ait: Esaiæ. 53
Hic infirmitates nostras suscepit, & morbos portauit. Cum uidisset autem Iesus turbas multas circum se, iussit ut abirẽt in ulteriorẽ ripã, * & cũ adisset

65 V
66 V
67 11
68 V

unus ſcriba, dixit ei. Præceptor, ſequar te quocunq; abieris. Et dicit illi Ieſus: Vulpes foueas habent, & uolucres cœli nidos, at filius hominis non habet ubi caput reclinet. Alius de numero diſcipulorum ſuorum dixit ei: Domine, permitte mihi prius ut abeã, & ſepeliam patrem meum. At Ieſus dixit illi: Sequere me, & ſine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos. *Et
69 cum eſſet ingreſſus nauim, ſecuti ſunt eum diſcipuli
11 ſui, & ecce motus magnus factus eſt in mari, adeo ut nauis operiretur à fluctibus, ipſe uero dormiebat. Et accedentes diſcipuli, excitauerũt illum, dicentes: Domine, ſerua nos, perimus. Et dicit illis: Quid timidi eſtis, exigua prædíti fiducia? Tunc excitatus increpauit uentos & mare, & facta eſt tranquillitas magna. Homines uero admirabantur, dicẽtes: Qualis eſt hic, quia uenti quoq; & mare obẽdiunt illi? Et cum ueniſſet ad ulteriorem ripam in regionem Gergeſenorum, occurrerunt ei duo dæmoniaci, è monumentis egreſſi: erant autẽ ſæui ſupra modum, adeo ut nemo poſſet tranſire per uiam illam. Et ecce uociferabantur, dicentes: Quid rei nobis tecum eſt Ieſu fili dei? ueniſti huc ad cruciandum nos ante tempus? Erat autem procul ab illis grex porcorũ multorum paſcens. Dæmones uero rogabant eum, dicentes: Si eijcis nos, permitte nobis ut demigremus in gregem porcorũ. Et ait illis: Abite. Illi uero egreſ

ſi abie-

ſi abierunt in gregem porcorum. Et ecce ferebatur totus grex porcorum per præceps in mare,& pe/rierunt in aquis. Porrò qui paſcebant aufugerunt: & digreſſi in ciuitatem,renunciauerunt omnia, & quid accidiſſet dæmoniacis.Et ecce tota ciuitas exi/uit in occurſum Ieſu. Et cũ uidiſſent illũ, rogabant ut decederet è finibus ipſorũ.

CAP. IX.

*E*T ingreſſus nauem,traiecit ac uenit in ſuam 70
ciuitatem. Et ecce adduxerunt illi paralyti/ 1
cum in lecto decumbentem. Cumq; uidiſſet Ieſus fi/dem illorum, dixit paralytico:Bono animo eſto fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam è ſcri bis dicebãt intra ſeſe:Hic blaſphemat.Et cũ uidiſſet Ieſus cogitationes,illorũ dixit:Quare uos cogitatis mala in cordibus ueſtris? Vtrum enim eſt facilius di cere, remittuntur tibi peccata,an dicere, ſurge & ambula?Vt autem ſciatis, quod poteſtatem habeat filius hominis in terra remittendi peccata, tunc di/cit paralytico:Surge,tolle tuum lectũ,& abi in do/mum tuam.Et ille ſurrexit,abijtq; domũ ſuam.Tur/bæ uero quæ uiderant,admiratæ ſunt, & glorifica/uerunt deum,qui dediſſet poteſtatem talem homini/bus. Et præteriens Ieſus illinc,uidit hominem deſi/ 71
dentem ad telonium, Matthæum nomine,dicitq; ei: 11
Sequere me. Atq; is ſurgens,ſecutus eſt eum. Et fa 72
ctum eſt,ut Ieſus accumberet in illius ædibus.& ec/ 11

ce multi publicani & peccatores qui uenerant, si/
mul accubuerunt cũ Iesu & discipulis illius. Cumq;
id uidissent pharisæi, dixerunt discipulis eius: Cur
cum publicanis & peccatoribus sumit cibum præ/
73 ceptor uester? At Iesus ubi audiuit, dixit illis: * Non
11 opus habent ij qui ualidi sunt medico, sed qui male
habent. Quin potius ite & discite quid sit illud: Mi/
sericordiam uolo, & non sacrificium. Non enim ue/
ni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœniten/
tiam. Tunc adeunt eum discipuli Ioannis, dicentes:
Quam ob causam nos & pharisæi ieiunamus ple/
runq;, discipuli uero tui nõ ieiunant? Et dixit illis Ie
sus: Num possunt filij sponsi lugere, quàmdiu cum il/
lis est sponsus? Venient autem dies cum tolletur ab
eis sponsus, & tunc ieiunabunt. Nullus immittit as/
sumentum panni rudis in ueste ueteri. Aufert enim
supplementum illius à uestimento, & peior ruptu/
ra fit. Neq; mittunt uinum nouum in utres ueteres,
alioqui rumpuntur utres, & uinum effunditur, &
utres pereũt. Sed mittunt uinũ nouũ in utres nouos,
74 & utraq; simul seruantur. * Hæc cum illis loquere/
11 tur, ecce primas quidam uenit, & adorauit eum, di/
cens: Filia mea modo defuncta est, sed ueni & impo/
ne manum tuam super illam, ac uiuet. Et surgens Ie
sus secutus est eum, ac discipuli illius. Et ecce mulier
quæ sanguinis profluuio laborauerat duodecim an/

nos,

nos,accedens à tergo tetigit fimbriam ueſtimenti il lius. dixerat enim intra ſeſe:Si tantum tetigero ue/ ſtimentum illius,ero ſalua. At Ieſus conuerſus,ut ui/ dit illam,dixit. Confide filia,fides tua ſaluam te fe/ cit. Et ſalua facta fuit mulier à tempore illo. Et cum ueniſſet Ieſus in ædes primatis, uidiſſetq; tibicines, & turbam tumultuantem, dicit illis: Secedite, non enim mortua eſt adoleſcentula,ſed dormit. Et deri- debant illum. Cum autem fuiſſet eiecta turba,intro/ greſſus tenuit manum illius, & ſurrexit adoleſcen/ tula. Et emanauit rumor hic in totam terram illam.
*Et cum diſcederet illinc Ieſus, ſecuti ſunt illum 75
duo cæci,clamantes ac dicentes,Miſerere noſtri fili X
Dauid. At cum ueniſſet in ædes,adierunt illum cæci, & dicit illis Ieſus:Creditis,me hoc poſſe facere? Di/ cunt illi:Credimus domine. Tunc tetigit oculos illo/ rum,dicens:Iuxta fidem ueſtram fiat uobis. Et aper ti ſunt illorum oculi. Et interminatus eſt illis Ieſus, dicens:Videte,ne quis ſciat. At illi cum abiſſent,di/ uulgarunt famam illius in tota terra illa. Illis au/ tem egredientibus, ecce adduxerunt illi hominem mutum dæmoniacum: & eiecto dæmonio locutus eſt mutus. Et admiratæ ſunt turbæ,dicentes: Nun/ quam apparuit ſic in Iſraël. At phariſæi dice/ bant, per principem dæmoniorum eijcit dæmonia.
*Et circumibat Ieſus ciuitates omneis ac uicos, 76

docens in ſynagogis illorum, & prædicans euange
lium regni, & ſanans omnem morbum & omnem
77 languorem in populo.* Cum uidiſſet autem turbas,
VI affectu miſericordiæ tactus eſt erga illos, quod eſ/
78 ſent deſtituti ac diſperſi, uelut oues non habentes pa
V ſtorem.* Tunc dicit diſcipulis ſuis: Ipſa quidem meſ
ſis copioſa, cæterum operarij pauci. Rogate igitur
dominum meſsis, ut extrudat operarios in meſſem
ſuam. CAP. X.

79 ET accerſitis duodecim diſcipulis ſuis, dedit
II eis poteſtatem aduerſus ſpiritus immundos,
ut eijcerent eos, & ſanarent quemuis morbum, &
80 quemuis languorem.* Porrò duodecim apoſtolorũ
II nomina ſunt hæc, Primus Simon, qui uocatur Pe/
trus: & Andreas frater eius: Iacobus filius Zebe/
dæi, & Ioannes frater eius: Philippus & Bartholo/
mæus: Thomas & Matthæus, qui fuerat publica/
nus: Iacobus filius Alphæi, & Lebbæus, cognomen/
to Thaddæus: Simon Cananæus, & Iudas Iſcario/
81 tes, qui & prodidit illum.* Hos numero duodecim,
X emiſit Ieſus, quibus præceperat, dicens, In uiam gen
tium ne abieritis, & in ciuitatem Samaritanorũ ne
ingrediamini: ſed ite potius ad oues perditas domus
Iſraël. Profecti autem prædicate, dicentes: Appro/
pinquauit regnum cœlorum. Infirmos ſanate, lepro/
ſos mundate, mortuos ſuſcitate, dæmonia eijcite. gra
tuito

tuito accepiſtis,gratuito date. *Ne poßideatis au/ 82
rum,neq; argentũ,neq; æs in crumenis ueſtris, neq; II
peram ad iter,neq; binas tunicas, neq; calciamenta,
neq; uirgam. Nam dignus eſt operarius cibo ſuo.
*Sed in quamcunq; ciuitatẽ aut uicum fueritis in/ 83
greßi,exquirite quis in ea ſit dignus,atq; illic mane II
te donec exeatis.*Cum autem intrabitis domum,ſa 84
lutate illam.& ſiquidem fuerit domus digna,ueniat V
pax ueſtra ſuper illam.Sin minus fuerit digna, pax
ueſtra ad uos reuertatur.* Et quicunq; non excepe 85
rit uos,neq; audierit ſermones ueſtros, exeuntes ex II
ædibus aut ciuitate illa, excutite puluerem pedum
ueſtrorum.Amẽ dico uobis: Tolerabilius erit terræ
Sodomorum & Gomorrhorum in die iudicij,quàm
ciuitati illi.*Ecce ego emitto uos, uelut oues in me/ 86
dio luporum.Eſtote igitur prudentes,ueluti ſerpen/ V
tes,& ſimplices ſicut columbæ. * Cauete autem ab 87
illis hominibus: tradent enim uos in concilia, & in I
cõciliabulis ſuis flagris cædent uos, quin & ad prin
cipes ac reges ducemini propter me, in teſtimoniũ
ipſis ac gentibus. * At cum tradiderint uos,ne ſitis 88
ſoliciti quomodo aut quid loquamini: dabitur enim II
uobis in illa hora quid loquamini.Nõ enim uos eſtis
illi loquentes,ſed ſpiritus patris ueſtri qui loquitur
in uobis. Tradet autem frater fratrem in mortem,
& pater filiũ:& inſurgent filij aduerſus parentes,

& morte afficient eos,& eritis odio habiti ab om-
nibus propter nomen meum. Verum qui ſuſtinuerit
89 uſque ad finem, hic ſaluus fiet. * Cum autem per-
X ſecuti uos fuerint in ciuitate hac, fugite in aliam.
Amen enim dico uobis, non perambulaueritis om-
nes ciuitates Iſraëliticas, quin iam uenerit filius ho
90 minis. * Non eſt diſcipulus ſupra præceptorem, ne-
III que ſeruus ſupra dominum ſuum. Sufficit diſcipulo
ut ſit ſicut præceptor ipſius,& ut ſeruus ſit ſicut do
91 minus ipſius.*Si ipſum patremfamiliâs uocauerunt
X Beelzebul,quanto magis domeſticos illius? Ne igi-
92 tur metuatis eos. * Nihil enim eſt tectum, quod non
II ſit retegendum:& nihil occultum,quin futurum ſit
93 ut ſciatur. * Quod dico uobis in tenebris,dicite in
V lucc: & quod in aurem auditis, prædicate in tectis.
Et ne metuatis uobis ab his qui occidunt corpus,
animam autem non poſſunt occidere: ſed metuite
magis illam, qui poteſt & animam & corpus per-
dere in gehenna. Nónne duo paſſerculi minuto aſſe
uenerũt,& unus ex illis nõ cadet in terram ſine pa
tre uestro? Veſtri uero etiam pili capitis omnes nu
merati ſunt. Ne igitur metuatis, uos pluris eſtis,
94 quàm multi paſſerculi.* Omnis igitur qui confitebi
II tur me coram hominibus, confitebor & ego illum
coram patre meo,qui eſt in cœlis.Porrò quiſquis ne
gauerit me coram hominibus, negabo eum & ego

coram

coram patre meo,qui est in cœlis.*Ne arbitremini, 95
quod uenerim ad mittendũ pacem in terram. Non V
ueni ut mitterem pacem,sed gladium. Nam ueni ut
dißidere faciam hominem aduersus patrem suum,
& filiam aduersus matrem suam,& sponsam aduer
sus socrũ suam:& inimici hominis erunt ij, qui sunt
domestici ipsius.* Qui amauerit patrem aut ma/ 96
trem supra me non est me dignus, & qui amauerit V
filium aut filiam supra me,non est me dignus.Et qui
non accipit crucem suam ac sequitur me,non est me
dignus.* Qui inuenerit animam suam, perditurus 97
est eam,& qui perdiderit animam suam mea causa, III
inueniet eam.* Qui recipit uos,me recipit, & qui 98
me recipit,recipit eum qui misit me.* Qui recipit I
prophetam in nomine prophetæ,mercedem prophe 99
tæ accipiet. Et qui recipit iustum, in nomine iusti, X
mercedem iusti accipiet.* Et quicunque ad biben/ 100
dum dederit uni ex pusillis his poculum aquæ frigi VI
dæ tantum nomine discipuli, amen dico uobis, non
perditurus est mercedem suam.

CAPVT XI

E*T factum est,cũ finem fecisset Iesus mandan/ 101
di duodecim discipulis suis, progressus est il/ X
linc, ut doceret & prædicaret in ciuitatibus illo/
rum.*Ioannes aũt cũ audisset in carcere facta Chri 102
sti,missis duobus discipulis suis,dixit illi: Tu es ille V
qui

qui uenturus est,an alterũ expectamus? Et respon/
dens Iesus dixit illis: Ite & renunciate Ioanni ea
quæ auditis & uidetis: Cæci uisum recipiunt, &
claudi ambulant,leprosi mundantur, & surdi audi/
unt,mortui excitantur, & pauperes lætum accipi/
unt euangelij nuncium.Et beatus est quisquis nõ fue
rit offensus per me.Euntibus autem illis,cœpit Iesus
dicere turbis de Ioanne: Quid existis in desertũ ut
uideretis? num arundinem, quæ agitatur à uento?
Age,quid existis ut uideretis? num hominem molli/
bus uestibus amictum? Ecce qui mollia gestant,in do
mibus regũ sunt. At quid existis uidere? num pro/
phetam? Certe dico uobis & excellentiorem pro/
103 pheta Hic est enim de quo scriptum est:* Ecce ego
11 mitto nuncium meum ante faciem tuam, qui præpa
104 raturus est uiam tuam ante te. * Amen dico uobis,
11 non exortus fuit inter eos qui nascuntur è mulieri/
bus,maior Ioanne baptista. Attamẽ is,qui minor est
105 in regno cœlorum,maior illo est.*Porrò à diebus Io
V annis baptistæ usq; ad hunc diem regnum cœlorum
106 uim patitur,& uiolenti rapiunt illud.*Nam omnes
X prophetæ,& ipsa lex,usq; ad Ioannem prophetaue
runt.Et si uultis recipere,ipse est Helias ille,qui uen
turus erat. Qui habet aures ad audiendum, audiat.
107 *Sed cui assimilabo generationem hanc? Similis est
V pueris, qui sedent in foris & acclamant sodalibus

suis

ſuis ac dicunt: Tibia cecinimus uobis,& non ſaltaſtis:lugubria cecinimus uobis,& non planxiſtis. Venit enim Ioannes,nec edens,nec bibẽs,& aiunt:Dæmonium habet. Venit filius hominis edens ac bibẽs, & dicunt: En hominem comedonem, & uini potorem,publicanis amicum ac peccatoribus. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis. * Tunc cœpit exprobrare ciuitatibus, in quibus æditæ fuerant plurimæ uirtutes ipſius,quod ſcelerũ eas non pœnituiſſet. Væ tibi Chorazin,uæ tibi Bethſaidan,quoniam ſi in urbe Tyri aut Sidonis factæ fuiſſent uirtutes, quæ factæ ſunt in uobis,olim in ſacco & cinere ſcelerũ ſuorum pœnitentiam egiſſent. Attamen dico uobis: Tyro & Sidoni tolerabilius erit in die iudicij quàm uobis. Et tu Capernaum, quæ es uſq; ad cœlum exaltata,uſq; ad inferos detraberis:* Quoniam ſi in Sodomis æditæ fuiſſent uirtutes, quæ æditæ ſunt in te, manſiſſent uſq; ad hodiernum diem. Veruntamen dico uobis,quod Sodomis tolerabilius erit in die iudicij,quàm tibi. * In illo tempore reſpondens Ieſus dixit: Gratias ago tibi pater domine cœli & terræ, quod abſconderis hæc à ſapientibus & prudentibus,& reuelaris ea paruulis. Certe pater,ſic fuit bona uoluntas apud te.* Omnia mihi tradita ſunt à patre meo,* & nemo nouit filium, niſi pater, neq; patrem quiſquã nouit, niſi filius, & cuicunq; uoluerit

108 V
109 X
110 V
111
III
112

filius III

115 filius reuelare. * Venite ad me omnes, qui laboratis
X & onerati estis, & ego refocillabo uos. Tollite iugum meũ super uos, & discite à me, quod mitis sim & humilis corde, & inuenietis requiem animabus uestris. Iugum enim meum commodum est, & onus meum leue est.

CAPVT XII

114 * In illo tempore ibat Iesus sabbatis per segetes,
II discipuli uero illius esuriebant, & cœperunt uellere spicas, & comedere. At pharisæi cum uidissent, dixerunt illi: Ecce discipuli tui faciunt, quod non licet facere in sabbato. Ille uero dixit eis: Non legistis quid fecerit Dauid, cum esuriret ipse, & ij qui erant cum illo: quomodo ingressus sit in domũ dei, & panes propositionis ederit, quos ipsi non licebat edere, neque ijs qui cum illo erant, nisi sacerdotibus solis? 115 * Aut non legistis in lege, quod sabbatis sacerdotes in templo sabbatum profanant & crimine uacant? X Dico autem uobis, quod templo maior est hoc in loco. Quod si sciretis quid sit: Misericordiam uolo & non sacrificium: nequaquam condemnassetis insontes. Nã dominus est & sabbati filius hominis.

116 * At progressus illinc, uenit in synagogam illorum,
II & ecce homo erat manum habens aridam, & interrogabant illum, dicentes: Licétne sabbatis curare. ut accusarent cum At ille dixit eis: Quis erit ex uobis

bis homo, qui habebit ouem unam, & si ea inciderit
sabbatis in foueam, nónne apprehendet illam & eri
get? Quanto igitur præstantior est homo oue? Li
cet igitur sabbatis beneficio afficere. Tunc dicit ho
mini: Extende manum tuam, & is extendit, ac resti
tuta est sanitati, sicut altera. *Porrò pharisæi egres 117
si, ceperunt cõsilium aduersus eum, quomodo illum IIII
perderent. *At Iesus, ubi nouisset, secessit illinc, secu 118
tæq; sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos omnes: X
& interminatus est illis, ne se facerent manifestum,
ut compleretur quod dictum erat per Esaiam pro
phetam, qui ait: Ecce filius meus, quẽ elegi: dilectus Esa. 42
meus, in quo sibi bene cõplacuit anima mea. Ponam
spiritum meum super illum, & iudiciũ gentibus an
nunciabit. Non contendet, neq; clamabit, neq; audi
et quisquã in plateis uocẽ eius: arundinem cõminu
tam nõ confringet, & linũ fumigans nõ extinguet,
donec eijciat ad uictoriã iudiciũ, & in nomine illius
gentes sperabunt. *Tunc adductus est ad eũ, qui dæ 119
monio agitabatur, cæcus ac mutus, & sanauit illũ, V
ita ut cæcus ac mutus & loqueretur, & cerneret.
*Et obstupuerũt omnes turbæ, dicebãtq;: Nũ hic est 120
ille filius Dauid? At pharisæi cũ audissent, dicebãt. VII
*Hic non eijcit dæmonia, nisi præsidio Beelzebul 121
principis dæmoniorũ. *Iesus aũt cũ sciret cogitatio II
nes illorum, dixit illis: Omne regnũ diuisum aduer 122
sus II

ſus ſeſe,deſolatur: & omnis ciuitas aut domus diui-
ſa aduerſus ſeipſam,nõ ſtabit. Et ſi ſatanas ſatanam
eijcit,aduerſus ſeipſum diuiſus eſt. Quomodo igitur
ſtabit regnum illius? Et ſi ego præſidio Beelzebul
eijcio dæmonia, filij ueſtri cuius præſidio eijciunt?
Propterea ipſi iudicabunt de uobis. Quod ſi ſpiritu
dei ego eijcio dæmonia,ergo peruenit ad uos regnũ
dei. Alioqui quomodo poteſt aliquis intrare domũ
potentis, & uaſa illius diripere, niſi prius uinxerit
potentem, & tunc domum illius diripiet? Qui non
eſt mecum,aduerſum me eſt: & qui non congregat
123 mecum,ſpargit. Propterea dico uobis:*Omne pec-
II catum & conuicium remittetur hominibus,at con-
uicium in ſpiritũ non remittetur hominibus. Et qui-
cunq; dixerit uerbũ aduerſus filium hominis,remit-
tetur illi. Qui autem dixerit aduerſus ſpiritum ſan-
ctum,non remittetur ei,neq; in præſenti ſeculo,neq;
124 in futuro.* Aut facite arborem bonam, & fructum
X eius bonũ: aut facite arborem uitioſam, & fructum
illius uitioſum. Nam è fructu arbor agnoſcitur. Pro-
genies uiperarum,quomodo poteſtis bona loqui,cũ
125 ſitis mali.* Siquidem ex abundantia cordis os loqui
V tur. Bonus homo è bono theſauro cordis expromit
bona, & malus homo ex malo theſauro depromit
126 mala.*Sed dico uobis,quod de quocunq; uerbo ocio
X ſo,quod locuti fuerint homines,reddituri ſunt ratio-

nem in

nem in die iudicij. Nam ex dictis tuis iustificaberis, & ex dictis tuis condemnaberis.* Tunc interro 127
gauerunt eum quidam è scribis ac pharisæis, dicen- V
tes: Præceptor, uolumus ex te signum uidere. At ille
respondens, dixit illis: *Generatio praua & adultera 128
signum quærit, & signum non dabitur illi, nisi si- V
gnum Ionæ prophetæ. Quemadmodum enim fuit Io
nas in uentre ceti tribus diebus ac tribus noctibus,
sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus,
& tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio
cum generatione hac, & condemnabunt eam, quod
ipsi resipuerint ad prædicationẽ Ionæ. Et ecce plus-
quam Ionas est hoc loco. Regina Austri surget in
iudicio cum generatione hac, & condemnabit eam,
quod uenerit à finibus terræ, ad audiendam sapien-
tiam Solomonis. Et ecce plusquam Solomon est in
hoc loco. * Cum autem immundus spiritus exierit 129
ab homine, perambulat per arentia loca, quærens V
requiem, & non inuenit. tunc dicit: Reuertar in do-
mum meam unde exiui. Et cum uenerit, reperit eam
uacantem, & scopis purgatam, atq; ornatam. tunc
abit, & adiungit sibi septem alios spiritus scelera-
tiores se, & ingressus inhabitat illic, & fiunt postre
ma hominis illius peiora primis. Sic erit & genera
tioni huic peruersæ. *Cum autem adhuc loqueretur 130
turbis, ecce mater & fratres eius stabant foris, quæ- II

rentes ei loqui. Dixit autem illi quidam. Ecce mater tua, & fratres tui foris ſtant, quærentes tibi loqui. At ille reſpondens dixit ei, qui ſibi renunciauerat: Quæ eſt mater mea? aut qui ſunt fratres mei? Et protenſa manu ſua in diſcipulos ſuos, dixit: Ecce mater mea & fratres mei. Quiſquis enim fecerit uoluntatem patris mei, qui eſt in cœlis, ipſe meus frater, & ſoror, & mater eſt.

CAP. XIII.

131 II *IN die uero illo egreſſus Ieſus è domo ſedit iuxta mare, & cõgregatæ ſunt ad illum turbæ multæ, adeo ut ipſe nauim ingreſſus ſederet. Et uniuerſa turba in littore ſtabat. Ac dicebat illis multa per ſimilitudines, dicens: Ecce exijt qui ſeminabat ad ſeminandum, & cum ſeminaret, alia quidem cecide-runt iuxta uiam, & uenerunt uolucres ac deuorauerunt ea. Alia uero ceciderunt in loca ſaxoſa, ubi nõ habebant multum terræ, & protinus exorta ſunt, propterea quod nõ haberent profunditatem terræ: cum autem exortus eſſet ſol, exuſta ſunt: & quia nõ habebant radicem, exaruerunt. Alia rurſus ceciderunt in ſpinas, & inſurrexerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea. Alia uero ceciderunt in terram bonam, & dederunt fructum, aliud quidem centuplum, aliud uero ſexagecuplum, aliud uero trigecuplum. Qui habet aures ad audiendum, audiat. Et adeuntes diſcipuli, dixerunt illi: Quare per parabolas loqueris illis?

At

At ille respondens dixit eis: Vobis datum est nosse mysteria regni cœlorum, illis autem non est datum.
Quisquis enim habet, dabitur illi, & reddetur abundantior. Quisquis autem non habet, etiam illud quod habet, tolletur ab eo. Propterea per parabolas loquor illis, quia uidentes non uident, & audientes non audiunt, nec intelligunt, & completur in illis prophetia Esaiæ, quæ dicit: Auribus audietis, & nõ intelligetis, & uidentes uidebitis, & non cernetis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos occluserunt, ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & conuertantur, & sanem illos.
Vestri uero beati sunt oculi, quia uident, & aures uestræ, quia audiunt. Amen enim dico uobis, quod multi prophetæ & iusti desiderauerũt uidere, quæ uidetis, & non uiderunt: & audire quæ auditis, & non audierunt. Vos igitur audite parabolam seminantis. Cum quiuis audit sermonem regni, & nõ intelligit, uenit ille malus, & rapit id quod seminatũ est in corde illius, hic est qui iuxta uiam seminatus fuit. At qui in petricosa semẽ iactũ exceperat, hic est qui uerbũ audit, ac protinus cũ gaudio accipit illud, uerũ nõ habet radicẽ in semetipso, sed temporarius est. Porrò cũ inciderit afflictio aut psecutio propter sermonẽ, cõtinuo offenditur. At qui in spinas semen

132 V
133 I :
Esa. 6
134 V
135 II

exceperat,hic est qui uerbũ audit,& cura seculi huius,deceptioq; diuitiarum suffocat sermonem,& infrugifer redditur. Cæterum qui in terram bonam excepit semen, hic est,qui sermonem audit & intelligit,qui deniq; fructũ quoq; reddit ac facit,alius quidem centuplum,alius uero sexagecuplum, alius uero trigecuplum. * Aliam parabolam proposuit eis,
136 X dicens:Assimilatum est regnum cœlorum homini seminanti bonũ semen in agro suo ,sed dormientibus hominibus uenit illius inimicus, & seminauit zizania inter triticum,abijtq;. Cum aũt germinasset herba,& fructum fecisset,tunc apparuerũt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamiliâs,dixerũt illi: Domine,nónne bonum semẽ seminaras in tuo agro? unde igitur habet zizania?Ille uero dixit illis : Inimicus homo hoc fecit. Serui autẽ dixerunt illi : Vis igitur abeamus & colligamus ea?At ille dixit:Nõ, ne dum colligitis zizania, eradicetis simul cum illis & triticum: sinite pariter crescere utraq; usque ad messem,& in tempore meßis dicam messoribus:Colligite primum zizania,& colligate ea in fasciculos ad comburendum ea , triticum uero congregate in
137 horreum meũ.*Aliam parabolam proposuit eis,di-
11 cens:Simile est regnum cœlorũ grano sinapis,quod acceptũ homo seminauit in agro suo, quod minimũ est omnium seminum. Cæterum ubi excreuerit , maximum

ximũ eſt inter holera, & fit arbor, adeo ut ueniant uolucres cœli, & nidulentur in ramis illius. Aliam 138
parabolam dixit illis: Simile eſt regnũ cœlorum fer- V
mento, quod acceptum mulier abſcondidit in farinæ
ſatis tribus donec fermentaretur totũ. Hæc omnia 139
locutus eſt Ieſus per parabolas ad turbas, & ſine pa VI
rabola nihil locutus eſt illis, ut compleretur quod di
ctum fuerat per prophetam, qui ait: Aperiam in pa
rabolis os meum, eructabo abſcondita à cõſtitutione
mundi. Tunc dimiſſis turbis uenit in domum Ieſus, 140
& acceſſerunt ad illum diſcipuli eius, dicentes: Ex- X
plica nobis parabolam zizaniorum agri. At ille re
ſpondens, dixit illis: Qui ſeminat bonum ſemen, eſt fi
lius hominis, ager autem eſt mundus. Porrò bonum
ſemen, ij ſunt filij regni, zizania uero ſunt filij illius
mali: inimicus autẽ qui ſeminat ea, eſt diabolus: meſ-
ſis uero conſummatio ſeculi eſt, meſſores autẽ ange-
li ſunt. Sicut igitur colliguntur zizania, & igni cõ-
buruntur, ſic erit in cõſummatione ſeculi huius. Mit
tet filius hominis angelos ſuos, & colligent è regno
illius omnia offendicula, & eos qui patrant iniquita
tem, ac mittent illos in caminũ ignis, ibi erit plora-
tus ſtridorq; dentium. Tunc iuſti fulgebunt ut ſol in
regno patris ſui. Qui habet aures ad audiendum, au-
diat. Rurſum, Simile eſt regnum cœlorum theſauro
abſconſo in agro, quem repertũ homo abſcondidit,

& præ gaudio,quod habet ſuper eo,abit,& omnia quæcunq; habet, uendit , ac mercatur agrum illum. Rurſum, Simile eſt regnum cœlorum homini negociatori,quærenti pulchras margaritas:qui cum inuenisſet unam precioſam margaritam,abiens uendidit omnia quæ poßidebat, & mercatus eſt illam . Rurſum , Simile eſt regnum cœlorum uerriculo iacto in mare,& ex omni genere contrahenti,quod cum impletum fuiſſet,ſubduxerunt in littus:& ſedentes collegerunt quæ bona ſunt in uaſa,quæ uero mala,foras abiecerunt.Sic futurum eſt in conſummatione ſeculi:uenient angeli,& ſegregabunt malos de medio iuſtorum,& mittent eos in caminũ ignis: illic erit ploratus & ſtridor dentium.Dicit illis Ieſus: Intellexiſtis hæc omnia?Dicunt illi:etiam domine.At ille dixit illis : Propterea omnis ſcriba doctus ad regnum cœlorum,ſimilis eſt homini patrifamiliâs,qui depromit è theſauro ſuo noua & uetera. Et factum eſt,ut cum finiſſet Ieſus ſermones hos,digrederetur illinc: & cum uenisſet in patriam ſuam, docuit in ſynagoga illorũ,ita ut ſtuperent,ac dicerent: Vnde huic ſapientia hæc & uirtutes?* Nónne hic eſt ille fabri filius ? Nónne mater eius uocatur Mariam , & fratres eius Iacobus & Ioſes & Simõ & Iudas? & ſorores illius nónne omnes apud nos ſunt? Vnde igitur huic hæc omnia ? Et offendebantur ſuper eo. Ieſus autem dixit

141 I

dixit illis:*Non eſt propheta expers honoris,niſi in 142
patria ſua, & domo ſua. Et non ædidit illic uirtutes I
multas propter incredulitatem illorum.

CAPVT XIIII

I*N illo tempore audiuit Herodes tetrarcha fa/ 143
mam Ieſu, & dixit famulis ſuis : Hic eſt Ioannes II
baptiſta,is ſurrexit à mortuis,& ideo uirtutes agũt
in illo. * Nam Herodes ceperat Ioannem & uinxe/ 144
rat, ac poſuerat in carcere propter Herodiadẽ uxo II
rem Philippi fratris ſui. Dicebat enim illi Ioannes:
Non licet tibi habere eam. Et cum uellet eum occi/
dere,metuebat multitudinem,propterea quod illum
ceu prophetam habebant. * Cum autem celebrare/ 145
tur natalis Herodis,ſaltabat filia Herodiadis in me/ VI
dio,& placuit Herodi. Vnde cum iureiurando polli
citus eſt, ſe daturum illi quicquid peteret. At illa,
prius inſtructa à matre ſua:Da mihi,inquit,hic in pa
tina caput Ioannis baptiſtæ. Et indoluit rex,attamẽ
propter iuſiurandũ,& eos qui ſimul accumbebant,
iußit ei dari : & mißis carnificibus, amputauit ca/
put Ioannis in carcere, & allatum eſt caput eius in
patina, datumq; eſt puellæ, atque illa obtulit matri
ſuæ.Et acceſſerunt diſcipuli eius,& ſuſtulerunt cor
pus, ac ſepelierunt illud, abieruntq; & renuncia/
runt Ieſu. * Id cum audiſſet Ieſus, ſeceßit illinc in 146
naui ad deſertum locum ſeorſum. Et cum audiſſent III

turbæ,ſecutæ ſunt illum itinere pedeſtri, relictis urbibus. Et egreſſus Ieſus uidit multam turbam,& tactus eſt affectu miſericordiæ erga illos,ſanauitq; ex
147 illis qui male ualebant. *Porrò cum appetiſſet ueſpe
I ra,adierunt eum diſcipuli ipſius,dicentes: Deſertus eſt locus, & hora iam præterijt, dimitte turbas, ut abeant in uicos,& emant ſibi cibaria. At Ieſus dixit illis: Nõ eſt illis neceſſe ut abeãt, date illis uos quod edant. At illi dicunt ei: Non habemus hic niſi quinq; panes,& duos piſces. Ille uero dixit: Afferte mihi illos huc. Et iußis turbis diſcumbere ſuper gramina, ſumptisq; quinq; panibus ac duobus piſcibus,ſublatis in cœlum oculis, benedixit, & cũ fregiſſet,dedit diſcipulis panes, diſcipuli uero turbis. Et comederunt omnes & ſaturati ſunt. Et ſuſtulerunt quod ſuperfuerat de fragmẽtis,duodecim cophinos plenos.
Porrò qui comederant fuere uiri fermè quinquies
148 mille,præter mulieres ac pueros. *Et ſtatim cõpulit
V I Ieſus diſcipulos ſuos,ut cõſcenderent nauim,& præcederent ſe in ripam ulteriorẽ,donec dimiſiſſet turbas. *Ac dimißis turbis aſcendit in montem ſolus ad
149 orandum. * Cum autẽ adueniſſet ueſpera,ſolus erat
I I illic. Cæterum nauis iam in medio maris erat, &
150 affligebatur ab undis, nam uentus erat aduerſus.
IIII Quarta autem noctis uigilia abijt ad illos Ieſus,ambulans ſuper mare,& ubi uidiſſent eum diſcipuli ſu-

per

per mare ambulantem, turbati sunt dicentes: Spectrum est: ac præ metu exclamauerũt: sed statim locutus est illis Iesus, dicens: Bono animo este, ego sum, ne terreamini. *Respondens autem illi Petrus, dixit: 151
Domine, si tu es, iubeto me ad te uenire super aquas. X
At ille dixit: Veni. Et cũ descendisset è naui Petrus, ambulabat super aquas, ut iret ad Iesum. Cæterum cum uideret uentum ualidũ, territus est, & cum cœpisset demergi, clamauit dicens: Domine, serua me. Continuo autem Iesus extenta manu apprehendit eum, & dixit illi: Exigua fiducia prædite, cur hæsitabas? *Et cum essent ingressi nauim, cõquieuit uen- 152
tus. Porrò qui erant in naui, accesserunt & adoraue- V I
runt eum, dicentes: Vere dei filius es. Et cum traiecissent, uenerunt in terram Genesareth. Et cum agnouissent illum uiri loci illius, emiserunt nuncios in totam undiq; finitimam regionem illam, & obtulerunt illi omnes male habentes. * Et obsecrabãt eum, 153
ut tantum tangerent fimbriam uestimenti ipsius, & 11
quotquot tetigissent, salui facti sunt.

CAPVT XV

T*Vnc accedunt ad Iesum, qui ab Hierosolymis 154
uenerant scribæ & pharisæi, dicentes: Quare 11
discipuli tui transgrediuntur traditionem seniorũ? Non enim abluunt manus suas, cum edunt panem. At ille respondens, dixit eis: Quare & uos transgredi-

mini præceptum dei propter traditionem uestram?
Nam deus præcepit, dicens: Honora patrem & ma*trem, & qui maledixerit patri aut matri, morte mo*
riatur. Vos autẽ *dicitis: Quicunq; dixerit patri &*
matri: quicquid doni à me profecturum erat, id in
tuum uertitur commodum, & non honorabit patrẽ
ſuum, aut matrem ſuam: & *irritum feciſtis præcep*
tum dei propter traditionem ueſtram. Hypocritæ,
Eſa.29 *recte de uobis prædixit Eſaias, dicẽs:* Appropinquat
mihi populus hic ore ſuo, & *labijs me honorat, cæte*
rum cor eorum procul abeſt à me, ſed fruſtra me co
lunt, docentes doctrinas, præcepta hominum. Et *ad*
uocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite & *intelligite:*
Non quod ingreditur in os, impurat hominem, ſed
quod egreditur ex ore, hoc impurum reddit homi
155 *nem.* * *Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt il*
X *li:* Noſti *phariſæos audito ſermone iſto offenſos fuiſ*
ſe? At *ille reſpondens ait:* Omnis *plantatio, quam nõ*
156 *plantauit pater meus cœleſtis, eradicabitur.* *Omit*
V *tite illos, duces ſunt cæci cæcorũ.* Porrò *ſi cæcus cæ*
157 *co dux fuerit, ambo in foueam cadent.* * Reſpondens
VI *aũt* Petrus, *dixit ei:* Diſſere *nobis parabolam iſtam.*
Ieſus autem dixit: Adhuc & *uos intelligentia care*
tis? Non *dum intelligitis, quod quicquid ingreditur*
in os, in aluũ abit, & *in ſeceſſum eijcitur?* At *ea quæ*
proficiſcuntur ex ore, ex ipſo corde egrediuntur,

&

& illa impurum reddunt hominem. Nam ex corde exeunt cogitationes malæ, cædes, adulteria, ſtupra, furta, falſa teſtimonia, conuicia. Hæc ſunt quæ impurum reddũt hominẽ. Cæterũ illotis manibus capere cibum, nõ inquinat hominẽ. Et digreſſus illinc Ieſus, ſeceßit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Cananæa quæ à finibus illis uenerat, clamabat ad illum, dicens: Miſerere mei domine fili Dauid. Filia mea miſere à dæmonio agitatur. Ille uero non reſpondit ei quicquam. Et accedentes diſcipuli eius, rogabant illum, dicentes: Amitte illam, nam clamat poſt nos. At ille reſpondens dixit: *Non ſum miſſus, niſi ad oues perditas, domus Iſraëliticæ. *Illa uero uenit & adorauit eum, dicens: Domine ſuccurre mihi. At ille reſpondens dixit: Non eſt honeſtum ſumere panem filiorum & obijcere catellis. Hæc autem reſpondit: Certe domine, etenim catelli edunt de micis quæ cadunt de menſa dominorũ ſuorũ. Tunc reſpondens Ieſus dixit illi: O mulier, magna eſt fides tua, fiat tibi ſicut uis. Et ſanata fuit filia eius ex eo tẽpore. Et progreſſus illinc Ieſus, uenit iuxta mare Galilææ, & conſcenſo monte, ſedebat illic. Et acceſſerunt ad eum turbæ multæ, ducentes ſecũ claudos, cæcos, mutos, mutilos, & alios multos, & abiecerunt eos ad pedes Ieſu: & ſanauit eos, adeo, ut turbæ miratæ ſint, cum uiderent mutos loqui, mutilos eſſe

158
V
159
VI

esse sanos,claudos ambulare,cæcos uidere: & glori
160 ficabant deum Israël. * Iesus autẽ uocatis ad se disci
VI pulis suis dixit: Miseret me turbæ, propterea quod iam triduum perseuerant apud me, & non habent quod edant,& dimittere eos ieiunos nolo, ne deficiant in uia.Et dicunt ei discipuli eius. Vnde nobis in solitudine panes tam multi,ut saturemus turbã tantam?Et dicit illis Iesus: Quot panes habetis? At illi dicũt:Septem,& paucos piscículos. Et iußit turbas discumbere in terra.Et sumpsit septem panes ac pisces,& postquàm gratias egisset,fregit,deditq; discipulis suis,discipuli uero turbæ,comederũtq; omnes, & saturati sunt.Et sustulerunt quod supererat,fragmentorum septem sportulas plenas.At ij qui comederant,erant quater mille uiri, præter mulieres & pueros.& dimißis turbis conscendit nauim,uenitq; in fines Magdala. CAP. XVI.

161 ET * aggreßi pharisæi unà cum Sadducæis ten
IIII tantes rogabant eum, ut signum è cœlo ostenderet sibi.
162 * At ille respondens dixit eis: Cum cœperit esse uespera,dicitis:serenitas erit, nam rubet cœ
V lum:& mane,hodie tempestas,rubet enim cœlũ triste. Hypocritæ,faciẽ cœli scitis dijudicare,signa uero temporum non potestis?
163 * Natio praua & adulte
VI ra signum requirit,& signum non dabitur ei,nisi signum Ionæ prophetæ. Et relictis illis abijt. Et cum

uenissent

uenißent diſcipuli eius in ulteriorem ripam,per ob/
liuionem non ſumpſerant panes.Ieſus autem dixit il
lis. * Videte & cauete à fermento phariſæorum ac 164
Sadducæorum.*At illi reputabant intra ſeſe, dicen/ 11
tes:panes nõ ſumpſimus . Quod ubi cognouit Ieſus, 165
dixit illis:Quid cogitatis intra uoſipſos,ò parum fi/ VI
dentes,quod panes non ſumpſeritis?Nondum intelli
gitis, neq; memoria tenetis quinq; illos panes, cum
homines eſſent quinquies mille, & quot cophinos
ſuſtuleritis? Neq; ſeptem illos panes, cũ homines eſ
ſent quater mille,& quot ſportas acceperitis ? Qui
fit ut non intelligatis,me nõ de pane dixiſſe uobis il/
lud,ut caueretis à fermẽto phariſæorũ et Sadducæo
rum?Tunc intellexerunt quod non iußiſſet cauere à
fermento panis,ſed à doctrina phariſæorum & Sad
ducæorum.*Cum ueniſſet autem Ieſus in partes Cæ 166
ſareæ eius,quæ cognominatur Philippi, interroga/ I
uit diſcipulos ſuos,dicens:Quem me dicũt homines
eſſe filiũ illum hominis?Illi uero dicebãt: Alij quidẽ
Ioannẽ baptiſtam,alij uero Heliam,alij uero Hiere/
miam,aut unum de numero prophetarũ. Dicit illis:
At uos quem me dicitis eſſe?Reſpondens aũt Simon
Petrus, dixit: Tu es Chriſtus ille filius dei uiuentis.
*Et reſpondens Ieſus dixit illi:Beatus es Simon Bar 167
Iona, quia caro & ſanguis nõ reuelauit tibi,ſed pa/ X
ter meus , qui eſt in cœlis. At ego uiciſſim tibi dico,
quod

quod tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo meam eccleſiam, & portæ inferorum non ualebunt aduerſus illam. Et dabo tibi claues regni cœlorũ, et quicquid alligaueris in terra, erit alligatum in cœlis, & quicquid ſolueris in terra, erit ſolutum in cœlis. Tunc edixit diſcipulis ſuis, ne cui dicerent quod
168 ipſe eſſet Ieſus Chriſtus. * Ex eo tẽpore cœpit Ieſus
II indicare diſcipulis ſuis, quod oporteret ipſum abire Hieroſolymã, ac multa pati à ſenioribus & principibus ſacerdotũ, & ſcribis, & occidi, & tertio die
169 reſuſcitari. *Et cũ abduxiſſet eum Petrus, cœpit illũ
VI increpare, dicens: Propitius tibi ſis domine, nequaq̃ erit tibi hoc. At ille conuerſus dixit Petro: Abi poſt me ſatana, obſtaculo es mihi, quia non ſapis ea quæ ſunt dei, ſed ea quæ ſunt hominum. Tunc Ieſus di-
170 xit diſcipulis ſuis: *Si quis uult poſt me uenire, abne-
II get ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, ac ſequatur me. Qui enim uoluerit animã ſuam ſeruare, perdet eam: rurſus qui perdiderit animã ſuam mea cauſa, inueniet eam. Quid enim prodeſt homini, ſi totum mundum lucratus fuerit, animæ uero ſuæ iacturam fecerit? Aut quid dabit homo, cuius permutatione re-
171 dimat animam ſuam? *Futurum eſt enim, ut filius ho-
X minis ueniat in gloria patris ſui, cũ angelis ſuis, & tunc reddet unicuiq; iuxta facta ipſius. * Amen dico
172 uobis, ſunt quidam hic ſtantes, qui non guſtabunt
II mortem,

mortem, donec uiderint filium hominis uenientem in regno ſuo.

CAP. XVII

ET poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum ac Iacobum, & Ioannem fratrem eius: & ſubducit illos in montẽ excelſum ſeorſum, transformatusq; eſt corã illis, & ſplenduit facies eius ſicut ſol. Veſtimenta aũt illius facta ſunt candida ſicut lumen. Et ecce conſpecti ſunt illis Moſes & Helias, cum illo colloquentes. Reſpondens aũt Petrus, dixit Ieſu: Domine bonũ eſt nos hic eſſe, ſi uis faciamus hic tria tabernacula, tibi unũ, & Moſi unũ, & Heliæ unũ. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit illos, & ecce uox è nube quæ diceret: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi bene complacitũ eſt, ipſum audite. Et cum hæc audiſſent diſcipuli, prociderunt in faciẽ ſuam, & territi ſunt uehementer. Et accedens Ieſus tetigit illos, dixitq;: Surgite, & ne timeatis. Vbi uero ſuſtuliſſent oculos ſuos, neminem uidebant, niſi Ieſum ſolũ. Et cũ deſcenderẽt de monte, præcepit illis Ieſus, dicens: Ne cui dixeritis uiſionem, donec filius hominis à mortuis reſurgat. Et interrogauerũt eũ 163
diſcipuli ſui, dicentes: Cur igitur ſcribæ dicunt, quod V I
Heliam oporteat uenire prius? Ieſus autem reſpondens dixit illis: Helias quidem ueniet prius, & reſtituet omnia. Cæterum dico uobis, Heliam iam ueniſſe, & non agnouerunt eum, ſed fecerunt in

eo quæcunq; uoluerunt. Sic & filius hominis paſſu-
rus eſt ab illis. Tunc intellexerunt diſcipuli, quod de
174 Ioanne baptiſta dixiſſet ipſis. * Et cum ueniſſent ad
11 turbam, acceßit ad eũ homo quidam flectens genua
illi, dicensq;: Domine miſerere filij mei, quoniam lu-
naticus eſt, & miſere afflgitur. nam ſæpe cadit in ig
nem, & ſæpe in aquam, & obtuli eum diſcipulis tu-
is, nec potuerunt eum ſanare. Reſpondens autem
Ieſus, dixit: O natio incredula, & diſtorta, quouſq;
tandem ero uobiſcum? uſquequò patiar uos? Addu-
cite illum huc. Et increpauit illud Ieſus. Et exijt ab
eo dæmonium, & ſanatus eſt puer à tempore illo.
Tunc accedentes diſcipuli ad Ieſum ſeorſum, dixe-
runt: Quare nos nõ potuimus eijcere illud? Ieſus au-
175 tem dixit illis: Propter incredulitatẽ ueſtrã. * Amen
V quippe dico uobis, ſi habeatis fidem ſicut granum
ſinapis, dicetis monti huic: demigra hinc illuc: &
demigrabit, neq; quicquam impoßibile erit uobis.
Sed hoc genus non egreditur, niſi per deprecationẽ
176 & ieiunium. * Cum autem uerſarentur in Galilæa,
11 dixit illis Ieſus: Futurum eſt ut filius hominis trada-
tur in manus hominum, & occident eum, ac tertio
177 die reſurget. Et mœrore affecti ſunt uehemẽter. * Cũ
X autem ueniſſent in oppidum Capernaum, accęſſe-
runt qui didrachma ſolent accipere, ad Petrum, di-
xeruntq;: Præceptor ueſter num ſoluit didrachma?
Dicit,

Dicit,etiam. Et cum ingressus fuisset in domum,præ
uenit illum Iesus, dicens: Quid tibi uidetur Simon?
Reges terræ,à quibus accipiũt tributa aut censum,
à filijs suis,an ab alienis? Dicit illi Petrus: Ab alie-
nis. Ait illi Iesus: Ergo liberi sunt filij. Verum ne si-
mus illis offendiculo, profectus ad mare, mitte ha-
mum: & eum piscem qui prodierit primus, tolle, &
aperto ore illius inuenies staterem, acceptum eum
da illis pro me & te.

CAP. XVIII

IN illo tempore accesserũt discipuli ad Iesum, di
centes: Quis maximus est in regno cœlorũ? Et
accersitum ad se puerum Iesus, statuit in medio illo
rum, & dixit: *Amen dico uobis, nisi conuersi fueri 178
tis, & efficiamini sicut pueri, nõ ingrediemini in re- 11
gnum cœlorum. Quisquis igitur demiserit semet-
ipsum, sicut est puer iste, hic est ille maximus in re-
gno cœlorum. Et qui receperit unũ puellum talem
in nomine meo, me recipit. * Qui autem offenderit 179
unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei, 11
ut suspendatur mola asinaria in collum eius, ac de-
mergatur in profundum maris. Væ mundo ab offen-
diculis. Necesse est enim, ut ueniant offendicula: ue-
runtamen uæ homini, per quem offendiculum uenit.
*Quod si manus tua, uel pes tuus obstaculo est tibi, 180
abcide eum, & proijce abs te. Bonum est tibi ad ui- VI
tam ingredi claudũ, aut mutilũ, potius quàm duas

manus,uel duos pedes habentem,mitti in ignẽ æternum.Et ſi oculus tuus offendit te,eruc eum,& proij ce abs te.Bonum eſt tibi, ut luſcus intres in uitam, potius quàm ut duos oculos habens,mittaris in ge/
181 hennam ignis.* Videte, ne cõtemnatis unum ex his
X puſillis.Dico enim uobis,quod angeli eorum in cœ/ lis ſemper uident faciem patris mei,qui in cœlis eſt. Venit enim filius hominis ſeruare quod pericrat.
182 *Quid uobis uidetur? ſi fuerint alicui homini cen/
V tum oues,& errauerit una ex eis, nónne relictis no nagintanouem in montibus, uadit & quærit eam quæ errauerat? Et ſi contigerit ut inueniat eam, amen dico uobis, gaudet ſuper ea magis, quàm ſu/ per nonagintanouem,quæ non errauerunt. Sic non eſt uoluntas coram patre uestro,qui in cœlis eſt,ut
183 pereat unus de puſillis iſtis. * Porrò ſi peccauerit
V in te frater tuus,uade & argue eũ inter te et ipſum
184 ſolum.Si te audierit,lucratus es fratrem tuum.* Sin
X uero te nõ audierit, adhibe tecum adhuc unum,aut duos: ut in ore duorum aut trium teſtium conſiſtat omne uerbum. Quod ſi non audierit eos,dic eccle/ ſiæ. Quod ſi eccleſiam nõ audierit, ſit tibi uelut eth
185 nicus & publicanus. * Amen dico uobis, quæcunq;
VII alligaueritis ſuper terram,erunt ligata in cœlo: &
186 quæcunq; ſolueritis ſuper terrã,erunt ſoluta in cœ/
X lo.*Rurſum dico uobis,quod ſi duo ex uobis cõſen/ ſerint

ſerint ſuper terrã, de omni re, quacunq; petierint, fiet illis à patre meo, qui in cœlis eſt. Vbi enim ſunt duo uel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorũ. Tunc accedens Petrus ad eũ dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & remittam ei? Num uſq; ſepties? *Dicit illi Ieſus: Nõ dico tibi uſq; ſepties, ſed uſq; ſeptuagies ſepties. *Ideo aſſimilatũ eſt regnũ cœlorũ homini regi, qui uoluit cõ ferre rationẽ cũ ſeruis ſuis, & cũ cœpiſſet cõferre, oblatus eſt ei unus, qui debebat ei decẽ milia talentorũ. Cæterũ cũ is nõ eſſet ſoluendo, iuſſit eũ dominus uenũdari, & uxorẽ eius, & liberos, & omnia quæ habebat, ac fieri ſolutionẽ. Procidẽs autem ſeruus ille adorabat eũ, dicens: Domine, eſto patiẽs erga me, & omnia tibi reddã. Miſertus autẽ dominus ſerui illius, abſoluit eũ, et æs alienũ remiſit ei. Egreſſus uero ſeruus ille, inuenit unũ de cõſeruis ſuis, qui debebat ſibi centum denarios, & iniecta in eum manu, obtorto collo trahebat, dicẽs: Solue quod debes. Et procidens cõſeruus eius, rogabat eũ, dicens: Eſto patiens erga me, & omnia reddã tibi. At ille nolebat, ſed abiit, & coniecit eũ in carcerem, donec redderet debitum. Porrò cum uidiſſent conſerui eius, quæ fiebant, indoluerunt ualde, & uenerũt, aperuerunt́q; domino ſuo omnia quæ facta fuerãt. Tũc accerſiuit illũ dominus ſuus, & ait illi: Serue ſceleſte,

187
V
188
X

totum debitũ illud remisi tibi, cum obsecrasses me, nónne oportuit & te misereri conserui tui, sicut & ego tui misertus eram? Et iratus dominus eius, tradidit eũ tortoribus, quoadusq; redderet totũ quod debebatur sibi. Sic & pater meus cœlestis faciet uobis, si non remiseritis suo quisq; fratri ex cordibus uestris delicta illorum. CAP. XIX

189 VI *Et factum est, cum cõsummasset Iesus sermones hos, demigrauit à Galilæa, & uenit in fines Iudææ trans Iordanem, & secutæ sunt eum turbæ multæ, & sanauit eos ibi. Et accesserunt ad eum pharisæi tentantes eum, & dicentes ei: Licét ne homini diuortium facere cum uxore sua, qualibet ex
Gen. 1. & 2 causa? Qui respondens, ait eis: An non legistis, quod is qui fecit ab initio, masculũ & fœminã fecit eos? Et dixit: Propterea deseret homo patrem & matrem, & adglutinabitur uxori suæ, & erunt duo in carnem unam. Itaq; iam non sunt duo, sed una caro.
Deut. 24 Quod ergo deus copulauit, homo ne separet. Dicunt illi: Cur ergo Moyses iußit dare libellũ repudij, ac dimittere eam? Ait illis: Moses ad duritiã cordis uestri permisit uobis repudiare uxores uestras,
190 cæterum ab initio non fuit sic. *Dico autem uobis,
11 quod quicunq; repudiauerit uxorem suam, nisi ob stuprum, & aliam duxerit, is cõmittit adulterium. Et qui repudiatam duxerit, is adulterium commit-

tit. Di-

tit. Dicũt ei discipuli eius: * Si ad istum modũ habet 191
causa hominis cum uxore, non expedit contrahere X
matrimonium. Qui dixit illis: Non omnes capaces
sunt huius dicti, sed ij quibus datum est. Sunt enim
eunuchi, qui de matris utero sic nati sunt: & sunt
eunuchi, qui facti sunt eunuchi ab hominibus: et sunt
eunuchi, qui seipsos castrauerunt propter regnum
cœlorum. Qui potest capere, capiat. * Tunc oblati 192
sunt ei pueri, ut manus eis imponeret, & oraret. Di II
scipuli autem increpabant eos. Iesus uero ait eis: Si-
nite pueros, & ne prohibeatis eos ad me uenire, ta-
lium est enim regnum cœlorum. Et cum imposuisset
eis manus, abijt illinc. * Et ecce unus accedens, ait il- 193
li: Magister bone, quid boni faciam, ut habeã uitam II
æternam? Qui dixit ei: Cur me uocas bonum? Nul-
lus est bonus, nisi unus, nempe deus. Quod si uis ad
uitam ingredi, serua mandata. Dicit illi: Quæ? Iesus
autem dixit: Non facies homicidium. Nõ committes
adulterium. Non facies furtum. Non falsum dices te-
stimonium. Honora patrem & matrem: & diliges
proximum tuum, ut teipsum. Dicit illi adolescens:
Omnia hæc seruaui à iuuentute mea, quid adhuc
mihi deest? Ait illi Iesus: * Si uis perfectus esse, uade, 194
uende quæ habes, & da pauperibus, & habebis the II
saurum in cœlo, & ueni sequere me. * Cum audisset 195
autem adolescens eum sermonem, abijt tristis. Erat II

enim habens poßeßiones multas. Ieſus autem dixit diſcipulis ſuis: Amen dico uobis, diues difficile intrabit in regnum cœlorum. Et iterum dico uobis, faciliùs eſt camelum per foramen acus tranſire, quàm diuitem in regnum dei ingredi. Auditis autem his diſcipuli expauerunt ualde, dicentes: Quis ergo poteſt ſaluus fieri? Intuitus autẽ illos Ieſus, dixit illis: Apud homines hoc impoßibile eſt, apud deum autem omnia poßibilia ſunt.* Tũc reſpõdens Petrus, 296 dixit ei: Ecce nos reliquimus omnia, et ſecuti ſumus X te, quid ergo erit nobis? 297 Ieſus autẽ dixit illis:* Amẽ V dico uobis, quod uos, qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & uos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſraël.* 298 Et omnis qui reliquerit II domos, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & uitæ æternæ ſortietur hæreditatem.* 299 Multi autem primi erunt noüiſſimi, & nouiſſimi primi. II

CAP. XX

200 X *Am ſimile eſt regnum cœlorum homini patrifamilias, qui exijt primo ſtatim diluculo ad conducendos operarios in uineam ſuam. Cõuentione autem facta cum operarijs in ſingulos dies denario, miſit eos in uineam ſuam. Et egreßus circiter horam tertiam, uidit alios ſtantes in foro ociоſos, &

ſos,& illis dixit:Ite & uos in uineam,& quodcũq; iuſtum fuerit,dabo uobis.Illi autem abierunt. Rurſum autem exijt circiter ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa undecimam uero exijt, & inuenit alios ſtantes ocioſos, ac dicit illis: Cur hic ſtatis totum diem ocioſi? Dicunt ei: quia nemo nos conduxit.Dicit illis:Abite & uos in uineã,& quicquid fuerit iuſtum,accipietis.Cũ autem ueſperá facta eſſet,dicit dominus uineæ procuratori ſuo: Voca operarios,& redde illis mercedẽ,incipiens à poſtremis uſq; ad primos.Et cũ uenißent qui circa undecimam horã uenerant, acceperunt ſinguli denarium.Venientes autẽ & primi, arbitrati ſunt quod plus eſſent accepturi: & acceperunt ipſi quoq; ſinguli denarium. Et cũ accepißent,murmurabant aduerſus patremfamilias,dicentes: Hi nouißimi unam horam fuerunt in opere,& illos pares nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtum. At ille reſpondens uni eorum,dixit:Amice, non facio tibi iniuriam. Nónne denario pactus es mecum? Tolle quod tuum eſt, & abi. Volo autem huic nouißimo dare ſicut & tibi. An non licet mihi, quod uolo facere in rebus meis? An oculus tuus malus eſt, quod ego bonus ſim? Sic nouißimi erunt primi, & primi nouißimi. Multi enim ſunt uocati, pauci uero electi. * Et aſcendens Ieſus Hieroſolyma, 20 11

assumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſolus in uia, & ait illis: Ecce conſcendimus Hieroſolyma, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum ac ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget. 202 VI *Tunc acceßit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filijs ſuis, adorans, & petens aliquid ab eo. At ille dicit ei: Quid uis? Ait illi: Dic ut ſedeant hi duo filij mei, unus ad dexteram tuam, & alter ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem Ieſus, dixit: Neſcitis quid petitis. Poteſtis bibere poculũ, quod ego bibiturus ſum? & baptiſmate, quo ego baptizor, baptizari? Dicũt ei, Poſſumus. Ait illis: Poculum quidem meum bibetis: & baptiſmate quo ego baptizor, baptizabimini: ſedere autem ad dexteram meam & ſiniſtram meam, non eſt meum dare, ſed his continget, quibus paratum eſt à patre meo. 203 X *Et cum audißent decem, indignati ſunt de duobus fratribus. Ieſus autem uocauit eos ad ſe, & ait: Scitis quod principes gentiũ dominentur illis: & qui magni ſunt, poteſtatẽ exerceant in eas. Non ita erit inter uos, ſed quicunq; uoluerit inter uos magnus fieri, ſit ueſter miniſter: & qui uoluerit inter uos primus eſſe, ſit ueſter ſeruus. 204 *Sicut filius hominis nõ uenit ut ſibi miniſtraretur, 1111 ſed ut ipſe miniſtraret, utq; daret animam ſuam redempti-

demptionem pro multis. Et egredientibus illis ab
Hierícho, ſecuta eſt eum turba multa. *Et ecce duo* 205
cæci ſedentes iuxta uiam, cum audiſſent quod Ieſus II
tranſiret, clamauerunt, dicentes: Domine, *miſerere*
noſtri fili Dauid. Turba autem increpabat eos, ut
tacerent. At illi magis clamabant, dicentes: Miſere-
re noſtri domine fili Dauid. Et ſtetit Ieſus, & uoca-
uit eos, & ait: Quid uultis ut faciam uobis? *Dicunt*
illi: Domine, *ut aperiantur oculi noſtri. Miſertus au-*
tem eorum Ieſus, tetigit oculos eorum, & confeſtim
uiſum receperunt oculi illorum, & ſecuti ſunt eum.

CAP. XXI

ET cum appropinquaſſent Hieroſolymis, & 206
ueniſſent Bethphage ad montem oliuarum, II
tunc Ieſus miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in ca-
ſtellum quod contra uos eſt, & ſtatim inuenietis aſi-
nam alligatam, & pullum cum ea, ſoluite & addu-
cite mihi. Et ſi quis uobis aliquid dixerit, dicite: Do-
minus his opus habet, et cõfeſtim emittet eos. *Hoc* 207
autem totum factum eſt, ut adimpleretur quod di- VII
ctum eſt per prophetam dicentẽ: Dicite *filiæ Sion:* Zach. 9
Ecce rex tuus uenit tibi mãſuetus, ſedens ſuper aſi-
nam, & pullum filium ſubiugalis. *Euntes autem di* 208
ſcipuli fecerunt ſicut præceperat illis Ieſus. Et ad- II
duxerunt aſinam & pullum, & impoſuerunt ſuper
eos ueſtimenta ſua, & eum ſuper illa collocarunt.

209 *Plurima autem turba ſtrauerunt ueſtimenta ſua
I in uia. Alij uero cædebant ramos de arboribus, &
ſternebant in uia. Porrò turbæ quæ præcedebãt, &
quæ ſequebantur, clamabant, dicentes: Hos anna fi-
lio Dauid, benedictus qui uenit in nomine domini,
210 hos anna in altiſſimis.* Et cum intraſſet Hieroſoly
X ma, cõmota eſt uniuerſa ciuitas, dicẽs: Quis eſt hic?
Turbæ autem dicebant: Hic eſt Ieſus ille propheta
211 à Nazareth Galilææ. * Et intrauit Ieſus in templũ
I dei, & eijciebat omnes uendentes & ementes in
templo, menſasq; nummulariorũ & cathedras uen-
Eſa.56 dentiũ columbas euertit. Et dixit eis: Scriptum eſt:
Hiere.7 Domus mea domus deprecationis uocabitur. At
212 uos feciſtis illam ſpeluncã latronum.* Et acceſſerũt
X ad eũ cæci & claudi in templo, & ſanauit eos.* Cũ
213 uidiſſent principes ſacerdotum & ſcribæ mirabilia
V quæ fecerat, & pueros clamantes in templo, & di-
centes: Hos anna filio Dauid: indignati ſunt, & di-
xerunt ei: Audis quid iſti dicunt? Ieſus autem dicit
Pſal.8 eis: Quid ni? Nunquam legiſtis: Ex ore infantiũ &
lactentium perfeciſti laudem? Et relictis illis, exijt
è ciuitate in Bethaniam, & diuerſatus eſt illic. Ma-
214 ne autem reuertens in ciuitatem, eſurijt.* Et cũ ui-
II diſſet fici arborem unam in uia, uenit ad eam, & ni
hil inuenit in ea, niſi fõlia tantum. Et ait illi: Ne poſt
hac ex te fructus naſcatur in æternum. Et arefacta
eſt

est cõtinuo ficus. Et eo uiso, discipuli mirati sunt, di/
centes: Quomodo cõtinuo exaruit ficus? Respõdẽs
autẽ Iesus, ait eis: *Amen dico uobis, si habueritis fi 215
dem, & nõ hæsitaueritis, non solũ hoc quod accidit V I
ficui, facietis: uerũ etiam si monti huic dixeritis, tol/
lere, & proijce te in mare, fiet. *Et omnia quæcũq; 216
petieritis in deprecatione credentes, accipietis. *Et I I I I
cum uenisset in templum, accesserunt ad eum docen 217
tem, principes sacerdotũ & seniores populi, dicen/ I I
tes: Qua autoritate hæc facis, & quis tibi dedit istã
autoritatem? Respondens autẽ Iesus dixit eis: Inter
rogabo uos & ego quiddã: quod si dixeritis mihi,
& ego uobis dicam qua autoritate hæc faciam. Ba/
ptismus Ioãnis unde erat. è cœlo, an ex hominibus?
At illi cogitabant apud se, dicentes: Si dixerimus, è
cœlo, dicet nobis: Quare ergo non credidistis illi?
Sin autẽ dixerimus, ex hominibus, timemus turbã.
Omnes enim habẽt Ioannẽ ut prophetã. Et respon/
dentes Iesu dixerũt: Nescimus. Ait illis & ipse: Nec
ego dico uobis, qua autoritate hæc faciam. * Quid 218
autem uobis uidetur? Homo habebat duos filios, & X
accedẽs ad priorem, dixit: Fili, uade hodie operare
in uinea mea. Ille autem respõdens, ait: Nolo. postea
uero pœnitentia motus abijt. Accedens autem ad al
terũ, dixit similiter. At ille respõdens, ait: Ego domi
ne: et nõ abijt. Vter è duob. fecit quod uoluit pater?

Et dicunt ei:Prior. Dicit illis Iesus : Amen dico uobis,quod publicani & meretrices præcedũt uos in regnum dei. Venit enim ad uos Ioannes per uiã iustitiæ,& non credidistis ei, publicani autem & meretrices crediderunt ei . Vos autem cum uidissetis, non fuistis commoti pœnitentia postea , ut credere-
219 tis ei.* Aliam parabolam audite. Homo quidã erat
11 paterfamilias,qui plantauit uineam, & sepem circũdedit ei,& fodit in ea torcular,& ædificauit turrim,& locauit eam agricolis,ac peregre profectus est.Cum autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas,ut acciperent fructus ipsius.Et agricolæ apprehensis seruis eius, aliũ cæciderunt,alium occiderunt,aliũ uero lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissime autem misit ad eos filium suum,dicens:Reuerebũtur filium meum. Agricolæ autem uiso filio,dixerunt intra se : Hic est hæres,uenite occidamus eum , & occupemus hæreditatem eius. Et apprehensum eum , eiecerunt ex uinea,& occiderunt . Cum ergo uenerit dominus uineæ,quid faciet agricolis illis? Aiunt illi : Mali cum sint,male perdet illos,& uineam suam locabit alijs agricolis , qui reddent ei fructum temporibus suis.
Psal.117 Dicit illis Iesus:Nunquam legistis in scripturis:Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in

est in caput anguli. A domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris? Ideo dico uobis, auferetur à uobis regnum dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem illum, confringetur: super quem uero ceciderit, conteret eum. * *Et cum audissent principes sacerdotum ac* 220
pharisæi parabolas eius, cognouerunt quod de se di I
ceret. Et quærentes illi manus injcere, timuerunt turbas, quoniam tanquam prophetam cum habe/bant. Et respondens Iesus, iterum dixit eis per parabolas, & ait:

CAP. XXII

Simile factum est regnum cœlorum homini re 221
gi, qui fecit nuptias filio suo, & emisit seruos V
suos, ut uocarent inuitatos ad nuptias, & nolebant uenire. Rursum emisit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum parauí: tauri mei & altilia mactata sunt, & omnia parata, uenite ad nuptias. Illi autem neglexerunt, & abierunt, alius in uillam suam, alius uero ad negociationem suam. Reliqui uero tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderunt. Rex autem cum audisset, iratus est, & missis exercitibus suis perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erant, nõ fuerunt digni. Ite ergo ad exitus uiarum, 222
& quotcunq; inueneritis, uocate ad nuptias. * *Et* X

egressi

egreßi ſerui eius in uias, congregauerunt omnes quotquot inuenerũt, malos pariter ac bonos, & impletæ ſunt nuptiæ diſcumbentibus. Ingreßus autem rex ut uideret diſcumbẽtes, ubi uidit illic hominem non ueſtitum ueſte nuptiali, ait illi: Amice, quomodo huc intraſti, non habens ueſtem nuptialem? At ille obmutuit. Tunc dixit rex miniſtris: Ligatis pedibus & manibus eius mittite eum in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium. Multi enim ſunt uocati, pauci uerò electi.* Tunc abeũtes
223 pharißæi, conſilium ceperunt, ut illaquearent eum
11 in ſermone. Et ad illũ emittunt diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quod uerax ſis, & uiam dei in ueritate doceas, neq; cures quenquam: non enim reſpicis perſonã hominum. Dic ergo nobis, quid tibi uidetur? Licet cenſum dari Cæſari, an non? Cognita autem Ieſus malitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtẽdite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis: Cuius eſt imago hæc, & inſcriptio? Dicũt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: Reddite ergo quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt dei, deo. Et his auditis, mirati ſunt: & omißo eo, abierunt. In illo die acceſſerũt ad eum Sadducæi, qui dicunt non eſſe reſurrectionem, & interrogauerunt eum, dicẽtes: Magiſter, Moſes dixit: Si quis mortuus fuerit, nõ habens filiũ, ut ducat

cat frater eius uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fra-
tri ſuo. Erant autẽ apud nos ſeptem fratres, & pri-
mus uxore ducta defunctus eſt: ac nõ habens ſemen,
reliquit uxorem ſuam fratri ſuo: ſimiliter ſecundus
& tertius, uſq; ad ſeptimum. Nouiſſime autem om-
nium defuncta eſt & mulier. In reſurrectione ergo
cuius è ſeptem illis erit uxor? omnes enim habue-
runt eam. Reſpondens autem Ieſus, ait illis: Erratis,
neſcientes ſcripturas, neq; uirtutem dei. In reſurre-
ctione enim neq; matrimonium contrahunt, neque
elocantur, ſed ſunt ſicut angeli dei in cœlo. De reſur
rectione uero mortuorum non legiſtis, quod uobis Exo. 3
dictum eſt à deo, qui ait: Ego ſum deus Abraham,
& deus Iſaac, & deus Iacob. Deus nõ eſt deus mor
tuorum, ſed uiuentium. Et cum audiſſent turbæ, ſtu
puerunt de doctrina eius. *Phariſæi autem cum au- 224
diſſent, quod obturaſſet os Sadducæis, cõuenerũt in VI
unũ: & interrogauit eum unus ex eis, legis doctor
quiſpiã, tentans eum, & dicens: Magiſter, quod eſt
mandatũ magnũ in lege? Ait illi Ieſus: Diliges do- Deut. 6
minum deũ tuum ex toto corde tuo, & in tota ani-
ma tua, & in tota mente tua. hoc eſt primũ & ma-
gnũ mandatũ. Secundũ autem ſimile eſt huic: Dili- Leuit. 19
ges proximũ tuũ, perinde atq; teipſum. In his duo-
bus mandatis tota lex & prophetæ pendent. Con- 225
gregatis autem phariſæis, interrogauit eos Ieſus, II

dicens

dicens: Quid uobis uidetur de Christo, cuius filius est? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodo ergo Da-
Psal.109 uid in spiritu uocat eum dominum, dicens: Dixit dominus domino meo, sede à dextris meis: Donec ponam inimicos tuos subsellium pedum tuorum? Si ergo Dauid uocat eum dominũ, quomodo filius eius
226 est? *Et nemo poterat ei respondere quicquam, ne-
11 que ausus fuit quisquam ex eo die eum amplius interrogare.

CAP. XXIII

227 *Vnc Iesus locutus est ad turbas, & ad discipulos suos, dicens: In cathedra Moysi sedent
X scribæ & pharisæi, omnia ergo quæcunq; iusserint uos seruare, seruate, & facite: secundum opera uero eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciũt.
228 *Colligant enim onera grauia, difficiliaq; portatu,
V & imponunt in humeros hominum, cæterum digito suo nolunt ea mouere
229 *Omnia uero opera sua faciunt in hoc, ut spectentur ab hominibus. Dilatant
11 autem phylacteria sua, & magnificãt fimbrias pallioru̇m suorũ, amantq; primos accubitus in cœnis, & primo sedere loco in cõciliis, & salutationes in
230 foro, & uocari ab hominibus rabbi. *Vos autem no-
X lite uocari rabbi, unus est enim magister uester, nẽpe Christus, omnes autem uos fratres estis. Et patrem nolite uocare uobis in terra, unus est enim pater uester, qui in cœlis est. Nec uocemini magistri,

unus

unus enim uester est magister, nempe Christus. Qui maximus est uestrum, erit minister uester. *Qui au- 231
tem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humilia- V
uerit, exaltabitur. *Væ autē uobis, scribæ & phari- 232
sæi hypocritæ, quia clauditis regnum cœlorum ante V
homines: uos enim non intratis, nec aduenientes sini
tis intrare. Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ,
quia comeditis domos uiduarum, idq; prætextu
prolixæ precationis, propter hoc grauius punie-
mini. *Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia 233
circumitis mare & aridam, ut faciatis unum prose- X
lytum: & cum fuerit factus, facitis eum filium gehen
næ duplo magis quàm uos estis. Væ uobis duces cæ-
ci, quia dicitis: Quicunque iurauerit per templum,
nihil est: qui autem iurauerit per aurum templi, re-
us est. Stulti & cæci, utrum enim maius est, aurum,
an templum, quod sanctificat aurum? Et quicunque
iurauerit per altare, nihil est: quicunque autem iu-
rauerit per donum, quod est super illud, reus est.
Stulti ac cæci, utrum enim maius est, donum, an al-
tare, quod sanctificat donum? Qui ergo iurauerit
per altare, iurat per ipsum & per omnia quæ super
illud sunt. Et qui iurauerit per templum, iurat per
illud & per eum qui habitat in ipso. Et qui iurauе-
rit per cœlum, iurat per thronum dei, & per eum
qui sedet super illum. * Væ uobis scribæ & pharisæi 234
 hypocritæ, V

hypocritæ, quia decimatis mentham & anethũ &
cyminũ, & reliquistis quæ grauiora sunt legis, iudi
cium & misericordiam ac fidem. hæc oportuit face
235 re, & illa non omittere. *Duces cæci, excolantes cu
X licem, camelum autem glutientes. *Væ uobis scribæ
236 et pharisæi hypocritæ, quia purgatis exteriorẽ po
V culi patinæq; partem, cæterum intus plena sunt rapi
na & intemperantia. Phariseæ cæce, purga prius
quod est intra poculum & patinam, ut & exterio
237 res horum partes puræ reddantur. *Væ uobis scri
V bæ & pharisæi hypocritæ, quia similes estis sepul
chris dealbatis, quæ foris quidem apparent speciosa,
intus uero plena sunt ossibus mortuorũ, omniq; spur
citia. Sic & uos foris quidem apparetis hominibus
iusti, intus autem pleni estis fictione & iniquitate.
238 *Væ uobis scribæ & pharisæi hypocritæ, quia ædifi
V catis sepulchra prophetarum, & ornatis monumen
ta iustorum, & dicitis: Si fuissemus in diebus patrum
nostrorum, non fuissemus socij eorũ in sanguine pro
phetarum. Itaq; testimonio estis uobismetipsis, quod
239 filij sitis eorũ qui prophetas occiderunt. *Vos quoq;
X implete mensuram patrum uestrorũ. Serpentes, pro
genies uiperarum, quomodo effugietis iudicium ge
240 hennæ? * Ideo ecce ego mitto ad uos prophetas, &
V sapientes, & scribas: & illorũ aliquot occidetis, cru
cifigetisq;: & illorum nonnullos flagellabitis in syna

gogis

gogis uestris,& persequemini de ciuitate in ciuitatem,ut ueniat super uos omnis sanguis iustus,qui effusus est super terram, à sanguine Abel iusti usq; ad sanguinem Zachariæ filij Barachiæ,quem occidistis inter templum & altare. Amen dico uobis, uenient hæc omnia super generationem istam.* Hierusalem 24b
Hierusalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos V
qui ad te missi sunt: quoties uolui congregare filios tuos,quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis?Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta . Dico enim uobis,haud quaquam me uidebitis posthac,donec dicatis : Benedictus qui uenit in nomine domini.

CAPVT XXIIII

ET egressus Iesus,discedebat à templo,& ac- 242
cesserunt discipuli eius, ut ostenderent ei struc II
turas templi. Iesus autem dixit illis : Nónne uidetis hæc omnia ? Amen dico uobis , non relinquetur hic lapis super lapidem, qui non destruetur. * Sedente 243
autem eo in monte oliuarum, accesserunt ad eum di II
scipuli secreto , dicentes : Dic nobis : quando hæc erunt?& quod signum aduentus tui,& consummationis seculi?Et respondens Iesus,dixit eis:Videte,ne quis uos seducat . Multi enim uenient in nomine meo, dicentes:Ego sum Christus:multosq; seducent. Audituri autem estis bella , & rumores bellorum,

uidete ne turbemini. Oportet enim omnia fieri, ſed
nondum eſt finis. Conſurget enim gens contra gen-
tem, & regnum contra regnum, & erunt peſtilen-
tiæ, & fames, & terræmotus ſingulis locis. Hæc au-
244 tem omnia initia ſunt dolorum.* Tunc tradent uos
· I in afflictionem, & occident uos, & eritis inuiſi cun-
245 ctis gentibus propter nomen meum.* Et tunc offen-
X diculum patientur multi, & alius alium inuicem tra-
dent, ſeq; odio habebunt inuicem: & multi pſeudo-
prophetæ ſurgent ac ſeducent multos. Et quoniam
abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum:
qui autem perſeuerauerit uſque in finem, hic ſaluus
246 erit.* Et prædicabitur hoc Euangelium regni in
V I uniuerſo orbe, in teſtimonium omnibus gentibus, &
247 tunc ueniet conſummatio.* Cum ergo uideritis ab-
V I ominationem deſolationis, quæ dicta eſt à Daniele
propheta, ſtantem in loco ſancto: qui legit, intelli-
248 gat.* Tunc qui in Iudæa ſunt, fugiant ad montes:
I I qui in tecto, non deſcendat, ut tollat quicquam de do
mo ſua: & qui in agro, non reuertatur ut tollat ue-
249 ſtes ſuas.* Væ autem prægnantibus & lactantibus
I I in illis diebus.* Orate autem, ut non fiat fuga ueſtra
250 hyeme, neque ſabbato.* Erit enim tunc afflictio ma-
V I gna, qualis non fuit ab initio mundi ad hoc uſq; tem-
251 pus, neque fiet.* Et niſi decurtati fuiſſent dies illi, nõ
I I fieret ſalua omnis caro: ſed propter electos de cur-

tabuntur

tabuntur dies illi.* Tunc ſi quis uobis dixerit: Ecce 252
hic Chriſtus,aut illic:nolite credere.* Surgent enim VI
pſeudochriſti,& pſeudoprophetæ, & dabunt ſigna 253
magna, & prodigia,ita ut in errorem inducantur, II
ſi fieri poßit,etiam electi.Ecce prædixi uobis.*Si er 254
go dixerint uobis, ecce in deſerto eſt,nolite exire: VI
ecce in penetralibus,nolite credere.*Sicut enim ful 255
gur exit ab Oriente,& apparet uſque in Occiden/ V
tem,ita erit aduentus filij hominis.* Vbicunq; enim 256
fuerit cadauer,illic cõgregabuntur & aquilæ.*Sta/ V
tim autem poſt afflictionem dierum illorum ſol ob/ 157
ſcurabitur,& luna non dabit lumen ſuum, & ſtellæ V
cadent de cœlo, & uirtutes cœlorum commouebun 258
tur.* Et tunc apparebit ſignum filij hominis in cœ/ II
lo, & tunc plangent omnes tribus terræ, & uide/ 259
bunt filium hominis uenientem in nubibus cœli cum II
uirtute & gloria multa. Et mittet angelos ſuos cũ
tubæ uoce magna, & congregabunt electos eius à
quatuor uentis à ſummis cœlorum uſq; ad terminos
eorum. Ab arbore autem fici diſcite ſimilitudinem:
cum iam ramus eius tener fuerit,& folia fuerint ena
ta,ſcitis quod propè ſit æſtas.Ita & uos,cum uideri/
tis hæc omnia,ſcitote quod propè ſit in foribus.Amẽ
dico uobis,nõ præteribit ætas hæc,donec omnia iſta
fiant.Cœlum & terra præteribunt, uerba autẽ mea
non præteribunt.* Cæterũ de die illo & hora nemo 260

ſcit,ne angeli quidem cœlorũ, niſi pater meus ſolus.
261 * Sed ſicut erant dies Noë, ita erit & aduentus filij
V hominis. Sicut enim erant in diebus,qui præceſſerũt diluuium,edentes & bibentes, contrahentes matrimonium, & nuptum dantes, uſq; ad eum diem quo intrauit Noë in arcam, & non cognouerunt, donec ueniſſet diluuium,& ſuſtuliſſet uniuerſos:ita erit &
262 aduentus filij hominis. * Tunc duo erunt in agro,
V unus aſſumitur, & alter relinquitur. Duæ molentes
263 in mola,una aſſumitur,& altera relinquitur.* Vigi
VI late ergo, quia neſcitis qua hora dominus ueſter uenturus ſit. Illud autem ſcitote, ſi ſciſſet pater familiâs, qua hora fur uenturus fuiſſet, uigilaſſet uti-
264 que, & non ſiuiſſet perfodi domum ſuam. * Ideo &
II uos eſtote parati,quia qua hora nõ putatis, ea filius
265 hominis uenturus eſt. * Quis nam eſt fidelis ſeruus
V & prudens, quem præfecit dominus familitio ſuo,
266 ut det illis cibum in tempore. * Beatus ſeruus ille,
V quem cum uenerit dominus eius, inuenerit ſic facientem. Amen dico uobis, ſuper omnia bona ſua
267 conſtituet eum. * Quod ſi dixerit ſeruus ille ma-
V lus in corde ſuo,cunctatur dominus meus uenire: cœperitq; percutere conſeruos, imò edere & bibere cum ebrijs, ueniet dominus ſerui illius in die quo nõ expectat, & hora qua ignorat, & diſſecabit eum, partemq; eius ponet cum hypocritis, illic erit plora-

tus &

tus & ſtridor dentium.

CAPVT XXV

T *Vnc ſimile fiet regnum cœlorum decem 268
uirginibus, quæ ſumptis lampadibus ſuis, X
exierunt in occurſum ſponſo. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinq; prudentes. Quæ erant fatuæ, acceptis lampadibus ſuis, non ſumpſerant oleum ſecum. Prudentes uero ſumpſerant oleum in uaſis ſuis unà cum lampadibus. Tardante uero ſponſo, dormitauerunt omnes, ac dormierunt. Porrò medio noctis clamor factus eſt: Ecce ſponſus uenit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes uirgines illæ, & apparauerunt lampades ſuas. Fatuæ autem prudentibus dixerunt: Date nobis de oleo uestro, quia lampades noſtræ extinguuntur. At reſponderunt prudentes, dicentes: Nequaquam, ne non ſufficiat nobis & uobis: ſed ite potius ad eos, qui uendunt, & emite uobiſipſis. Porrò dum irent emptum, uenit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, clauſáque eſt ianua. Poſtea uero ueniunt & reliquæ uirgines, dicentes: Domine domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen dico uobis, non noui uos. Vigilate itaq;, quia neſcitis diem, neq; horam, in qua filius hominis ueniet. * Sicut enim homo quidam peregre 269
proficiſcens, uocauit ſeruos ſuos, & tradidit illis 11

270 V bona ſua.* Et huic quidem dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij uero unum, unicuiq; ſecundum propriam facultatem,& profectus eſt ſtatim. Abijt aũt qui quinq; talenta acceperat, & negociatus eſt per ea, & confecit altera quinque talenta. Similiter & qui duo acceperat, lucratus eſt & ipſe altera duo. Qui autem unum acceperat, abiens fodit in terram,& abſcondit pecuniam domini ſui. Poſt multũ uero temporis uenit dominus ſeruorum illorum, & ponit rationem cũ eis. Et accedens is, qui quinq; talenta acceperat, attulit altera quinq; talenta, dicẽs: Domine quinque talenta tradidiſti mihi, ecce altera quinq; talenta lucratus ſum per ea. Ait illi dominus eius: Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudiũ domini tui. Accedens autẽ & qui duo talenta acceperat, ait: Domine, duo talẽta tradidiſti mihi, ecce alia duo lucratus ſum per ea. Ait illi dominus eius: Euge ſerue bone & fidelis, ſuper pauca fuiſti fidelis, ſuper multa te conſtituam, intra in gaudiũ domini tui. Accedens aũt & qui unum talentũ acceperat, ait: Domine, noueram te quod homo durus ſis, metens ubi non ſeminaſti, & inde congregans ubi non ſparſiſti: ac territus abij, abſcondiq; talentum tuum in terra. Ecce habes quod tuum eſt. Reſpondens autem dominus eius, dixit ei: Serue male & piger, ſciebas quod

metam

metam ubi nõ ſeminaui,& congregem illinc ubi nõ
ſparſi.Oportuit ergo te cõmittere pecuniam meam
menſarijs,et ueniens ego recepiſſem utiq; quod meũ
eſt cum uſura. Tollite itaq; ab eo talentum, & date
ei qui habet decem talenta.* Omni enim habenti da 270
bitur,& abundabit.Qui uero nõ habet,etiam id qd' II
habet, auferetur ab eo. * Et inutilem ſeruum eijcite 272
in tenebras exteriores, illic erit fletus et ſtridor den V
tium. * Cum autem uenerit filius hominis in gloria 275
ſua, & omnes ſancti angeli cum eo, tunc ſedebit ſu/ X
per ſedem gloriæ ſuæ,& congregabuntur ante eum
omnes gentes,& ſeparabit eos,alteros ab alteris,ſi
cut paſtor ſegregat oues ab hœdis : & ſtatuet oues
quidem à dextris ſuis,hœdos autem à ſiniſtris. Tũc
dicet rex his qui à dextris ſibi erunt: Venite benedi
cti patris mei, poſſidete regnum paratum uobis ab
exordio mundi. Eſuriui enim, & dediſtis mihi ede/
re.Sitiui,& dediſtis mihi bibere . Hoſpes eram, &
collegiſtis me.Nudus,& operuiſtis me.Infirmus,&
uiſitaſtis me. In carcere eram, & ueniſtis ad me.
Tunc reſpondebunt ei iuſti,dicentes: Domine,quan/
do te uidimus eſurientem, & pauimus: aut ſitientẽ,
& dedimus tibi potum? Quando autem te uidimus
hoſpitem,& collegimus te:aut nudum,& cooperui
mus te:aut quando te uidimus infirmum,aut in car/
cere,& uenimus ad te?Et reſpondẽs rex,dicet illis:

Amen dico uobis, quatenus fecistis uni de his fratri/
bus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet & his
qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ig/
nem æternum, qui paratus est diabolo & angelis
eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi cibum. Siti/
ui, & non dedistis mihi potum. Hospes eram, & non
collegistis me. Nudus, & non operuistis me. Infir-
mus & in carcere eram, & non uisitastis me. Tunc
respondebunt ei & ipsi, dicentes: Domine, quando
te uidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem,
aut nudum, aut infirmum, aut in carcere, & non mi
nistrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: A/
men dico uobis, quatenus nõ fecistis uni de minimis
his, nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æter/
num, iusti uero in uitam æternam.

CAPVT XXVI

274 I *ET factum est cum consummasset Iesus sermo/
nes hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis
quod post biduum pascha fit, & filius hominis tra/
275 ditur, ut crucifigatur. *Tunc congregati sunt prin/
VI cipes sacerdotum, & scribæ, & seniores populi in
atrium principis sacerdotũ, qui diccbatur Caipha,
& consilium inierunt, ut Iesum dolo caperent, &
occiderent. Dicebant autem: Non in die festo, ne tu/
276 multus fiat in populo. *Cum autem Iesus esset in Be/
I thania

thania,in domo Simonis leprosi, accessit ad eum mu
lier habens alabastrum unguenti precioſi, & effu/ 277
dit ſuper caput ipſius recumbentis. *Videntes autẽ IIII
diſcipuli,indignati ſunt, dicentes : Ad quid perditio
hæc ? Potuit enim iſtud unguentum uenundari ma/
gno,& dari pauperibus . Eo autẽ cognito, Ieſus ait
illis: Quid moleſti eſtis mulieri ? Opus enim bonum
operata eſt erga me. Nam ſemper pauperes habetis
uobiſcum, me uero non ſemper habetis. Quod enim
hæc unguentum hoc miſit ſuper corpus meum, ad ſe
peliendum me fecit. Amen dico uobis, ubicunq; præ/
dicatum fuerit hoc euangelium in toto mundo, hoc
quoq; quod hæc fecit,narrabitur in memoriã ipſius. 278
*Tunc abijt unus de duodecim, qui dicebatur Iudas II
Iſcariotes,ad principes ſacerdotũ, & ait illis:Quid
uultis mihi dare,& ego uobis tradam illum? At illi
conſtituerunt ei triginta argenteos . Et ex eo tem/
pore quærebat opportunitatem ut eum traderet .
Cæterum primo die azymorum acceſſerunt diſci/
puli ad Ieſum , dicentes ei : Vbi uis paremus tibi ad
edendum paſcha ? At ille dixit:Ite in ciuitatem ad
quendam,& dicite ei:Magiſter dicit,tempus meum
prope eſt, apud te facio paſcha cum diſcipulis meis.
Et fecerunt diſcipuli ſicut conſtituit illis Ieſus , &
parauerunt paſcha . Veſpere autem facto , diſcum/
bebat cum duodecim , & edentibus illis , dixit.

* Amen

279 *Amen dico uobis, quod unus uestrum me proditu/
IIII rus est.*Et mœsti redditi uehemeter,cœperunt sin/
280 guli dicere ei:Nũ ego sum domine?*At ipse respon/
I dens ait: Qui intinxit mecum manum in catino, hic
281 me proditurus est.Filius quidem hominis uadit,sicut
II scriptum est de illo.Væ autem homini illi,per quem
282 filius hominis proditur,* bonum erat ei,si natus nõ
VI fuisset homo ille.* Respondens autem Iudas, qui tra/
283 didit eum,dixit:Num ego sum rabbi? Ait illi:Tu di/
X xisti.* Vescentibus autem eis,accepit Iesus panem:
284 & cum egisset gratias,fregit, deditq; discipulis, &
I ait:Accipite,comedite, hoc est corpus meum. * Et
285 accepto poculo,gratijs actis,dedit illis,dicens:Bibi/
II te ex hoc omnes. Hic est enim sanguis meus,qui est
286 noui testamenti, qui pro multis effunditur in remis/
VI sionem peccatorum.*Dico autem uobis:Non bibam
posthac ex hoc fructu uitis, usq; in diem illum cũ il/
287 lud bibam uobiscum nouũ in regno patris mei.* Et
IIII cum hymnum ceciniſſent,exierunt in montem oliua
288 rum.* Tunc dicit illis Iesus:Omnes uos offendiculũ
VI patiemini mea causa in nocte hac.Scriptũ est enim:
Percutiam pastorem, & dispergentur oues gregis.
Postquàm autem resurrexero,præcedam uos in Ga
289 lilæam.*Respondens autem Petrus,ait illi:Et si om/
I nes offendiculum paßi fuerint tua causa, ego tamen
nunquam offendiculum patiar. Ait illi Iesus: Amen

dico

dico tibi, quod in hac nocte ante quàm gallus can/
tet,ter me negabis. Ait illi Petrus: * Etiam si opor/ 290
tuerit me mori tecum, non te negabo. Similiter & V I
omnes discipuli dixerunt. *Tunc uenit Iesus cum il/ 291
lis in uillam,quæ dicitur Gethsemane, & dixit disci I
pulis: *Sedete hic,donec uadam & orem illic. Et as/ 292
sumpto Petro & duobus filijs Zebedæi, cœpit affici V I
dolore & mœstitudine. Tunc ait illis Iesus: * Mœsta 295
est anima mea usq; ad mortem: manete hic,& uigi/ I I I I
late mecum. *Et progressus pusillum, procidit in fa/ 294
ciem suam,orans ac dicens: Pater mi,si possibile est, I
transeat à me calix iste. *Veruntamen non sicut ego 296
uolo,sed sicut tu. *Et uenit ad discipulos, & reperit I I
eos dormientes, & dicit Petro: Adeo non potuistis 297
una hora uigilare mecum? Vigilate & orate,ut ne I I I I
intretis in tentationem. *Spiritus quidem promptus 298
est,at caro infirma. *Rursus altera uice abijt & ora V I
uit,dicens: Pater mi,si non potest hoc poculum tran
sire à me,nisi bibam illud,fiat uoluntas tua. Et uenit
& reperit eos iterum dormientes. Erant enim ocu/
li eorum grauati. Et relictis illis, iterũ abijt & ora/
uit tertio,eundem sermonem dicens. Tunc uenit ad
discipulos suos,& dicit illis: Dormite iam & requie
scite. *Ecce appropinquauit hora,& filius hominis 299
traditur in manus peccatorum. Surgite,eamus,ecce I I I I
appropinquauit qui me tradit. * Adhuc eo loquẽte, 300
ecce I

ecce Iudas unus de numero duodecim uenit, & cum
eo turba multa cum gladijs & fuſtibus, miſsi à prin
101 cipibus ſacerdotũ & ſenioribus populi.* Is uero qui
11 prodebat eum, dedit illis ſignum, dicens: Quencunq;
oſculatus fuero, ipſe eſt, tenete eum: & confeſtim ac
cedens ad Ieſum, dixit: Aue rabbi. Et oſculatus eſt
eum. Dixitq; illi Ieſus: Amice, ad quid ades? Tunc ac
ceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & ceperũt
102 eum.* Et ecce unus ex his qui erant cum Ieſu, exten
I dens manum, exemit gladium ſuũ, & percutiens ſer
uum principis ſacerdotũ, amputauit auriculã eius.
303 Tunc ait illi Ieſus:* Conuerte gladium tuum in locũ
X ſuum. Omnes enim qui acceperint gladiũ, gladio pe
ribunt. An putas quod non poſſum nunc rogare pa
trem meũ, & exhibebit mihi plus quàm duodecim
legiones angelorum? Quomodo ergo implebuntur
ſcripturæ, quod ſic oportet fieri. In illa hora dixit Ie
ſus turbis: Tanquam ad latronem exiſtis cum gladi
is & fuſtibus ad cõprehendendũ me:* quotidie apud
304 uos ſedebam docens in templo, & non me cepiſtis?
I
305 *Hoc autem totum factum eſt ut complerentur ſcri
V I pturæ prophetarum. Tunc diſcipuli omnes relicto
306 eo fugerunt.* At illi comprehenſum Ieſum duxerũt
I ad Caipham principem ſacerdotum, ubi ſcribæ &
307 ſeniores conuenerant.* Petrus autẽ ſequebatur eum
VIII procul uſq; ad atrium principis ſacerdotum. Et in
greſſus

gressus intro, sedebat cũ ministris, ut uideret finem.
* Principes autem sacerdotum, & seniores, & to/ 308
tum concilium quærebant fálsum testimonium con/ II
tra Iesum, ut morti eum traderent, & non inuenie/
bant: etiam cũ multi falsi testes accessissent, non inue
niebant. * Nouissime autem uenerũt duo falsi testes, 309
& dixerũt: Hic dixit: Possum destruere templũ dei, VI
& in triduo ædificare illud. Et surgens princeps sa/
cerdotum, ait illi: Nihil respondes? Cur isti aduer/
sum te testimonium dicunt? Iesus autẽ tacebat. Et re
spondens princeps sacerdotũ, ait illi: Adiuro te per
deũ uiuentem, ut dicas nobis, an tu sis Christus filius
dei. Dicit illi Iesus: Tu dixisti. * Veruntamen dico uo 310
bis, amodo uidebitis filium hominis sedentem à de/ I
xtris uirtutis, & uenientem in nubibus cœli. * Tunc 311
princeps sacerdotum discidit uestimenta sua, dicens: VI
Proloquutus est blaphemiã, * quid insuper egemus 312
testibus? Ecce nunc audistis blasphemiam eius, quid II
uobis uidetur? At illi respondentes, dixerunt: Reus
est mortis. * Tunc expuerunt in faciem eius, & cola 313
phis eum cæciderunt. Alij aũt palmas in faciem eius II
dederũt, dicentes: Vaticinare nobis Christe: Quis est
qui te percussit? * Petrus uero sedebat foris in atrio, 314
& accessit ad eum una ancillula, dicens: Et tu cũ Ie I
su Galilæo eras. At ille negauit coram omnibus, di/
cens: Nescio quid dicas. * Cum autem exisset in uesti 315
bulum, VI

bulum,uidit eum altera ancilla, & ait his qui erant ibi:Et hic erat cum Iesu Nazareno.Et iterum negauit cum iureiurando:Non noui hominem.Et post pusillum accesserunt qui stabant,& dixerũt Petro:Vere & tu ex illis es,nam & loquela tua te manifestũ facit.Tunc cœpit execrari & iurare,quod non nosset hominem:& cõtinuo gallus cantauit.*Et recor-
316 datus est Petrus uerbi Iesu, qui dixerat ei: Prius
II quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egressus foras,fleuit amare.

CAPVT XXVII

317 *Mane autem facto, consiliũ inierunt omnes
II principes sacerdotum & seniores populi
318 aduersus Iesum,ut eum morti traderent.*Et uinctũ
I eum adduxerunt & tradiderunt Pontio Pilato præ-
319 sidi. *Tunc uidens Iudas,qui eum prodiderat,quod
X damnatus esset, pœnitentia ductus, retulit triginta argenteos principibus sacerdotum & senioribus,dicens:Peccaui tradens sanguinem innoxium. At illi dixerũt:Quid ad nos?tu uideris.Et proiectis argenteis in templo,recessit: & abiens, laqueo se suspendit:Principes autem sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in corbonam, quia precium sanguinis est. Consilio autem inito emerunt ex illis agrum figuli in sepulturam peregrinorũ:quapropter uocatus est ager ille,ager sanguinis

usq;

uſq; in hodiernum diem. Tũc impletum eſt quod dictum eſt per Hieremiam prophetam, dicentem: Et acceperunt triginta argenteos precium æſtimati, quem æſtimatum emerunt à filijs Iſraël, & dederũt eos in agrum figuli, ſicut conſtituit mihi dominus. Hier. 11

**Ieſus autem ſtetit ante præſidem, & interrogauit eum præſes, dicens: Tu es rex Iudæorum? Dicit illi Ieſus: Tu dicis. Et cum accuſaretur à principibus ſacerdotum & ſenioribus, nihil reſpondit. Tunc dicit illi Pilatus: Non audis quàm multa aduerſum te dicunt teſtimonia? *Et non reſpondit ei ad ullum uerbum, ita ut miraretur præſes uehementer. * In feſto autem conſueuerat præſes, turbæ dimittere unum uinctum quem uoluiſſent. *Habebat autem tunc uinctum inſignem, qui dicebatur Barrabas: congregatis ergo illis, dixit Pilatus: Vtrum uultis dimittam uobis Barrabã an Ieſum, qui dicitur Chriſtus? Sciebat enim, quod propter inuidiam tradidiſſent eum. *Sedente autẽ illo pro tribunali, miſit ad eum uxor eius, dicens: Nihil tibi cũ iuſto illo, multa enim paſſa ſum hodie in ſomnis propter eum. *Principes autem ſacerdotum & ſeniores perſuaſerunt turbis, ut peterent Barrabam, Ieſum uerò perderent. Reſpondens autem præſes, ait illis: Vtrũ uultis uobis è duobus dimittam? At illi dixerunt: Barrabam. Dixit illis Pilatus: *Quid igitur faciã Ieſu, qui dicitur Chriſtus*

320 I 321 322 I I 323 I I I 324 X 325 I 326 I

Aus? Dicunt ei omnes: Crucifigatur. Præses autem
ait: Quid enim mali fecit? At illi magis clamabant,
327 dicẽtes: Crucifigatur.* Videns autem Pilatus quod
X nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta
aqua, abluit manus coram populo, dicens: Innocens
ego sum à sanguine huius iusti, uos uideritis. Et re-
spondens uniuersus populus, dixit: Sanguis eius su-
328 per nos & super filios nostros.* Tunc dimisit illis
I Barrabã, Iesum autem flagellatum tradidit ut cru-
329 cifigeretur.* Tunc milites præsidis suscipientes Ie-
IIII sum in prætorio, congregauerunt ad eum uniuer-
sam cohortem: & cum exuissent eum, circundede-
runt ei chlamydem coccinam, & coronam de spi-
nis contextã imposuerũt super caput eius, & arun-
dinem in dextram eius, & genu flexo ante eum, il-
330 ludebant ei, dicentes: Aue rex Iudæorum.* Et cum
VI expuissent in eum, acceperunt arundinem, & per-
cutiebãt caput eius. Et postquàm illusissent ei, exue-
331 runt eum chlamyde, & induerunt eum uestimentis
I suis, & abduxerunt eum ut crucifigerent.* Exeun-
332 tes autem inuenerũt hominem Cyrenæum nomine
I Simonem, hunc adegerunt ut tolleret crucem eius.
333 *Et uenerunt in locum qui dicitur Golgotha, quod
IIII est, Caluariæ locus.* Et dederunt ei acetum bibere
334 cũ felle mixtũ: et cũ gustasset, noluit bibere.* Postq̃
I autẽ crucifixerunt eũ, diuiserunt uestimenta eius,
sortem

ſortem mittentes:ut impleretur quod dictũ eſt per
Prophetam:Diuiſerũt ſibi ueſtimẽta mea, & ſuper Pſal.21
ueſtimentũ meum miſerunt ſortem.Et ſedentes ſer/ 335
uabant eum ibi. * Et impoſuerant ſuper caput eius 336
cauſam ipſius ſcriptam: Hic eſt Ieſus rex Iudæorũ. I
*Tunc crucifiguntur cum eo duo latrones, unus à 337
dextris,& alter à ſiniſtris.*Prætereuntes autẽ cõ/ I
uicia iaciebant in eum,mouentes capita ſua, & di/ 338
centes:Tu ille qui deſtruebas templũ, & in triduo VI
ædificabas,ſerua temetipſum:ſi filius dei es,deſcen/
de de cruce.*Similiter & principes ſacerdotũ illu/ 339
dentes cum ſcribis & ſenioribus,dicebãt: Alios ſer II
uauit,ſeipſum nõ poteſt ſeruare.Si rex Iſraël eſt,de
ſcendat nunc de cruce, & credemus ei. Confidit in
deo,liberet eum nũc,ſi uult eum.Dixit enim: Filius
dei ſum.*Idipſum autem & latrones, qui crucifixi 339
erant cum eo,exprobrabant ei.* A ſexta autem ho II
ra tenebræ factæ ſunt ſuper uniuerſam terram uſq; 340
ad horã nonã.* Et circa horam nonam clamauit Ie IF
ſus uoce magna,dicẽs: Eli,eli lamaſabachthani.hoc 341
eſt:Deus meus,deus meus cur deſeruiſti me? Qui- VI
dam autem illic ſtantium cum audiſſent, dicebant:
Heliam uocat iſte.*Et cõtinuo currens unus ex eis, 342
cum acceptam ſpongiam impleſſet aceto, impoſuit II
arũdini,dabatq; ei ut biberet. Cæteri uero dicebãt:
Sine, uideamus an ueniat Helias liberaturus eum.

343 *Iesus autem cum iterũ clamasset uoce magna, emi
I sit spiritum.*Et ecce uelã templi scißum est in duas
344 partes, à summo usq; ad imum,* & terra mota est,
II & petræ scißæ sunt:& monumenta aperta sunt:&
345 multa corpora sanctorum,qui dormierant,surrexe
X runt: & egreßi è monumentis post resurrectionem
eius uenerunt in sanctam ciuitatem,& apparuerũt
346 multis.*Centurio uero,& qui cum eo erant,custo-
II dientes Iesum,uiso terræmotu,& his quæ facta fue-
rant, timuerunt ualde,dicentes:Vere filius dei erat
347 iste.* Erant autem ibi mulieres multæ,è longinquo
VI spectantes,quæ secutæ fuerant Iesum à Galilæa, mi-
nistrantes ei:inter quas erat Maria Magdalene,&
Maria Iacobi & Iose mater,& mater filiorum Ze-
348 bedæi.*Cum autem uespera facta esset, uenit homo
I diues ab Arimathæa,nomine Ioseph,qui & ipse di-
scipulus fuerat Iesu : hic accessit ad Pilatum,ac po-
stulauit corpus Iesu . Tunc Pilatus iußit reddi cor-
349 pus.*Et cum accepisset corpus Ioseph , inuoluit il-
I lud sindone munda,posuitq; illud in monumento suo
nouo , quod exciderat in petra : & aduoluto saxo
350 ingenti ad ostium monumenti,abijt. * Erat autẽ ibi
VI Maria Magdalene, & altera Maria, sedentes con-
351 tra sepulchrum. * Postera autem die quæ sequitur
X parasceuen, conuenerunt principes sacerdotum &
pharisæi ad Pilatum,dicentes:Domine,recordati su-
mus

mus,quod impostor ille dixit adhuc uiuẽs:Post tres dies resurgo, iube ergo muniri sepulchrum usq; in diem tertium, ne quando ueniant discipuli eius, & furentur eum,dicantq; plebi,surrexit à mortuis:& erit nouissimus error peior illo priore. Ait illis Pilatus:Habetis custodiam. Ite, munite sicut scitis. Illi autem abeuntes, munierunt sepulchrum obsignato lapide,adhibitis custodibus. CAP. XXVIII

V *Espera autem sabbatorum,quæ lucescit in 352
unam sabbatorũ, uenit Maria Magdalene, I
& altera Maria, ut uiderent sepulchrum. Et ecce terræmotus factus est magnus. Angelus enim domini descendit de cœlo,& accedens,deuoluit lapidem ab ostio,sedebatq; super eum. Erat autem aspectus eius sicut fulgur,& uestimentum eius candidum sicut nix. *Præ timore autem eius concussi sunt custo 353
des,& facti sunt uelut mortui. Respondens autẽ an- II
gelus,dixit mulieribus:Nolite timere uos:scio enim quod Iesum,qui crucifixus est, quæritis:non est hic, surrexit enim sicut dixit. Venite, uidete locum ubi positus erat dominus. Et cito euntes,dicite discipulis eius, quod surrexit à mortuis, & ecce præcedit uos in Galilæam, ibi eum uidebitis, ecce dixi uobis. * Et digressæ celeriter à monumẽto cum timore & 354
gaudio magno,currebant, ut renunciarent discipu- II
lis eius.* Cum autem issent ad renunciandum disci- 355

pulis eius, & ecce Iesus occurrit illis, dicẽs: Auete. Illæ autem acceßerunt & tenuerunt pedes eius, & adorauerunt eum. Tunc ait illis Iesus: Nolite timere, ite renunciate fratribus meis, ut eant in Galilæam, & ibi me uidebunt. Quæ cum abißent, ecce quidam è custodibus uenerunt in ciuitatem, ac renunciauerunt principibus sacerdotum omnia quæ acciderant: & congregati cum senioribus, consilio habito, pecuniam copiosam dederunt militibus, dicentes: Dicite quod discipuli eius nocte uenerint, & furati sint eum nobis dormientibus. Et si hoc auditum fuerit sub præside, nos persuadebimus ei, & securos uos faciemus. At illi accepta pecunia, fecerunt sicut erant edocti, et diuulgatus est hic sermo apud Iudæos usq; in hodiernum diem. Vndecim autem discipuli abierunt in Galilæam, in montem ubi constituerat illis Iesus. Et cum uidißent illum, adorauerunt eum: quidam autem dubitauerũt. Et accedens Iesus, locutus est eis, dicens: Data est mihi omnis potestas in cœlo & in terra, euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine patris & filij, & spiritus sancti, docentes eos seruare omnia quæcunq; præcepi uobis. Et ecce ego uobiscum sum omnibus diebus usq; ad consummationem seculi.

EVANGELII SECVNDVM Matthæum, finis.

VITA SANCTI MARCI

per diuum Hieronymum.

MARCVS *discipulus & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangeliũ. Quod cum Petrus audißet, probauit & ecclesiæ legendum sua autoritate ædidit, sicut Clemens in sexto ὑπο-τυπώσεων libro scribit. Et Papias Hierapolitanus Episcopus meminit huius Marci, & Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: Salutat uos quæ in Babylone cum electa, & Marcus filius meus. Aßumpto itaq; Euangelio, quod ipse cõfecerat, perrexit Aegyptũ, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit ecclesiam tantæ doctrinæ & uitæ continentia, ut omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Deniq; Philo disertißimus Iudæorum, uidens Alexandriæ primam ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librũ super eorum conuersatione scripsit: & quomodo Lucas narrat Hierosolymæ credentes omnia habuisse cõmunia, sic ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.*

EVANGELIVM SECVNDVM MARCVM.

CAP. I

INITIVM Euangelij Ieſu Chriſti filij dei, ſicut ſcriptum eſt in prophetis.* Ecce ego mitto nunciũ meum ante faciem tuam, qui præparabit uiam tuã ante te.* Vox clamantis in deſerto: Parate uiam domini, rectas facite ſemitas eius. Baptizabat Ioannes in deſerto, prædicans baptiſmum pœnitẽtiæ in remiſſionem peccatorum. *Et egrediebantur ad eũ tota Iudæa regio ac Hieroſolymitæ, & baptizabantur omnes ab illo in Iordane flumine, confitentes peccata ſua. Erat autẽ Ioannes ueſtitus pilis cameli, & zona pellicea circa lumbos ſuos: ueſcebaturq; locuſtis ac melle ſylueſtri, & prædicabat, dicens:* Venit is, qui fortior eſt me, poſt me, cuius non ſum idoneus ut procumbens ſoluam corrigiam calciamẽtorum. Ego quidem baptizaui uos aqua, ille uero baptizabit uos ſpiritu ſancto.* Et factũ eſt in diebus illis, uenit Ieſus à Nazareth Galilææ, & baptizatus eſt à Ioanne in Iordane. Et ſtatim cum aſcenderet ex aqua, uidit diffindi cœlos, & ſpiritum quaſi columbã deſcendentem ſuper illũ. Et uox facta eſt de cœlis: Tu es ille filius meus

meus dilectus,in quo mihi bene complacitũ est.* Et 6
cõtinuo spiritus illum expellit in desertum, & erat II
illic in deserto dies quadraginta,& tentabatur à sa
tana,eratq; cum feris,* & angeli ministrabant illi. 7
*Postquàm autem comprehensus esset Ioannes,ue/ VI
nit Iesus in Galilæam,* prædicans Euangelium re/ 8
gni dei,& dicens:Impletum est tempus,instatq; re/ IIII
gnum dei,resipiscite & credite Euangelio.Cũ am/ 9
bularet autem iuxta mare Galilææ, uidit Simonem VI
& Andream fratrem eius , iacientes retia in mare,
erant enim piscatores,& dixit eis Iesus:*Sequami/ 10
ni me , & faciam ut efficiamini piscatores hominũ. II
Ac protinus relictis retibus suis,secuti sunt cũ. * Et 11
progressus illinc pusillam, uidit Iacobum filium Ze VI
bedæi,& Ioannem fratrem eius, qui & ipsi in naui
reconcinnabant retia, statimq; uocauit illos . Et illi
relicto patre suo Zebedæo in naui cũ mercenarijs,
secuti sunt eum.* Et ingrediuntur Capernaum , & 12
statim sabbatis ingressus in synagogam docebat. VIII
*Et stupebãt super doctrina eius.Erat enim docens 13
eos tanquam autoritate præditus,& non sicut scri II
bæ.*Et erat in synagoga eorum homo obnoxius spi 14
ritui immundo,& exclamauit dicens: Ah, quid rei VIII
nobis tecum est Iesu Nazarene?Venisti ad perden/
dum nos? Noui te qui sis , nimirum ille sanctus dei.
Et increpauit illum Iesus,dicens:Obmutesce,& exi

ab homine. Et cum discerpsisset eum spiritus immũ-
dus, exclamasset́q; uoce magna, exijt ab eo. Et ob-
stupuerunt omnes, ita ut conquirerent inter se, di-
cẽtes: Quid est hoc? Quæ doctrina noua hæc? quia
cum autoritate etiam spiritibus immũdis imperat,
& obediunt ei? Emanauit autem fama eius statim
15 in totam undiq; regionem Galilææ finitimam. * Et
II protinus è synagoga egressi, uenerunt in domũ Si-
monis & Andreæ, cũ Iacobo & Ioanne. Socrus au
tem Simonis decumbebat febricitans, & cõtinuo di
cunt ei de illa. Et accedens erexit eam, apprehensa
manu eius: & reliquit eam febris ilico, ac minist ra
bat eis. Vesperi uero, cum occidisset sol, afferebant
ad eũ omnes male habentes, & qui à dæmonijs agi
tabantur. Et ciuitas tota congregata erat ad ostiũ,
& sanauit multos, qui ægrotabant uarijs morbis.
16 *& dæmonia multa eijciebat, & non sinebat loqui
VIII dæmonia, quod ipsum nossent.* Et mane multa ad-
17 huc nocte cum surrexisset, egressus est, & abijt Ie-
VIII sus in desertum locum, ibiq; orabat: & prosecutus
est eum Simon, & qui cum illo erant: & cum inue-
nissent eum, dicunt ei: Omnes te quærunt. Et ait il-
lis: Eamus in proximos uicos, ut & ibi prædicem,
in hoc enim egressus sum. Et prædicabat in synago
18 gis corũ, in tota Galilæa, & dæmonia eijciebat. * Et
II uenit ad eum leprosus deprecans eũ, eiq; ad genua
accidens

accidens,ac dicẽs illi:Si uis potes me mũdare. Ieſus aũt miſertus,protenſa manu tetigit illũ,& dicit ei: Volo,mũdus eſto. Et cũ dixiſſet, ſtatim diſceßit ab eo lepra, & mundatus eſt:& cõminatus ei,ſtatim emiſit illũ, dicitq; ei:Vide ne cui quicquã dicas,ſed abi,teipſum oſtende ſacerdoti, & offer pro emũdatione tui, quæ præcepit Moyſes in teſtimoniũ illis.
* At ille egreſſus cœpit prædicare multa,& diuulgare ſermonem: ita ut iam non poßet Ieſus manifeſte introire in ciuitatem ,ſed foris in deſertis locis erat,& ueniebant ad eum undiq; 19 X

CAP. II

E *T iterum intrauit Capernaum poſt dies aliquot,& auditum eſt quod in domo eßet , & protinus congregati ſunt multi,adeo ut iam nõ caperent eos,nec illa loca quæ erãt circa ianuã,& loquebatur eis ſermonẽ. Et ueniũt ad eũ ferẽtes paralyticũ,qui à quatuor portabatur: & cũ nõ poßent appropinquare illi præ turba,nudauerũt tectũ ædium,in qbus erat:pfoſſoq; tecto,funib.demittũt grabbatũ,in quo paralyticus decũbebat.Cũ aũt uidißet Ieſus fidẽ illorũ,ait paralytico:Fili, remittuntur tibi peccata tua. Erant autẽ illic quidam de ſcribis ſedẽtes,& cogitãtes in cordibus ſuis:Quid hic ſic loquitur blaſphemias? Quis põt remittere peccata,niſi ſolus deus?Et ꝓtinus ubi cognouißet Ieſus ſpiritu ſuo, q̃ ſic cogitarent intra ſeſe,dicit illis: Quid iſta 20 1

cogitas

cogitatis in cordibus uestris? Vtrum est facilius dicere paralytico, remittantur tibi peccata: an dicere, surge, & tolle grabbatum tuum, & ambula? Vt autem sciatis, quod filius hominis habet potestatem in terra remittendi peccata, ait paralytico: Tibi dico, surge, ac tolle grabbatum tuũ, & abi in domum tuam. Et statim surrexit, sublatoq; grabbato, egressus est in conspectu omniũ, adeo ut stupescerent omnes, & glorificarent deum, dicentes: Nũquam sic uidimus. Et egressus est rursus ad mare, omnisq; turba ueniebat ad eum, ac docebat eos.* Et cum præ
21 teriret Iesus, uidit Leui, Alphæi filium, sedentem ad
II telonium, & ait illi: Sequere me. Isq; surgens, secu-
22 tus est eum.* Et factum est, cum accumberet in do-
II mo illius, multi etiã publicani, & peccatores simul discumbebant cũ Iesu & discipulis eius: erant enim multi qui secuti fuerant eum. Et scribæ ac pharisæi cum uidissent eum capientem cibum cum publicanis & peccatoribus, dicebant discipulis eius: Quid est quod cum publicanis & peccatoribus edit ac bibit? Hoc audito Iesus ait illis:* Non opus habẽt qui
23 II ualent medico, sed qui male habent. Non ueni ad uocandum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam. Et discipuli Ioannis ac pharisæorum ieiunabant, ueniuntq; & dicunt illi: Quare discipuli Ioannis & pharisæorum ieiunant, tui autem discipuli non ieiunant

nant

nant? Et ait illis Ieſus: Num poßunt filij thalami nu
ptialis, in quo cum illis ſponſus eſt, ieiunare? Quan/
diu habent ſecum ſponſum, nõ poſſunt ieiunare. Ve
nient autem dies, cum auferetur ab eis ſponſus, &
tunc ieiunabũt in illis diebus. Et nemo aſſumentum
panni rudis aſſuit ueſtimẽto ueteri, alioquin aufert
ſupplementum eius nouum à ueteri, & peior ſcißu
ra fit. Et nemo mittit uinum muſtum in utres uete/
res, alioqui diſrumpit uinum muſtum utres, & ui/
num effunditur, & utres pereunt: ſed uinũ muſtum
in utres nouos mitti debet. * Et accidit, ut tranſiret 24
ſabbatis per ſegetes, & cœperunt diſcipuli eius in/ II
ter uiam uellere ſpicas, & phariſæi dicebant ei: Ec/
ce cur faciunt ſabbatis quod non licet? Et ipſe ait il
lis: Nunquam legiſtis quid fecerit Dauid, cum opus
haberet, & eſuriret ipſe, & qui cum eo erant? quo
modo ingreſſus ſit in domũ dei ſub Abiathar prin/
cipe ſacerdotum, & panes propoſitionis comede/
rit, quos non licet edere niſi ſacerdotibus: & dede/
rit etiam ijs qui ſecum erant? Et dicebat illis: Sab/
batum propter hominem factum eſt, non homo pro
pter ſabbatum. * Itaque dominus eſt filius hominis 25
etiam ſabbati.

CAP. III II

ET introiuit iterum in ſynagogã, & erat ibi
homo arefactam habens manum, & obſerua
bant eum, an ſabbatis ſanaturus eßet eum, ut accu/
ſarent

ſarent illum. Et ait homini habẽti manũ areſactam: Surge in mediũ. Et dicit illis: Vtrũ licet ſabbatis benefaccre, an malefacere? animam ſeruare, an occidere? At illi tacebant. Et cum circũſpexiſſet eos cum iracundia, condoleſcens ſuper cæcitate cordis eorum, dicit homini: Extende manũ tuam. Et extẽdit,
26 & reſtituta eſt manus illius ſana, ut altera. *Egreſ
IIII ſi uero phariſæi, ſtatim unà cũ Herodianis cõſilium inibant aduerſus eum, ut illum perderent. Ieſus aũt
27 cũ diſcipulis ſuis ſeceſſit ad mare,* & ingens mul-
I titudo à Galilæa ſecuta eſt eum, & ab Iudæa, & ab Hieroſolymis, & ab Idumæa, & trans Iordanẽ, & qui circa Tyrum habitabãt ac Sidonem, hominum multitudo magna, qui cum audiſſent, quæ faciebat, uenerunt ad eum. Et iußit Ieſus diſcipulis ſuis, ut naUicula ſibi deſeruiret propter turbã, ne ipſum premerent. Multos enim ſanauerat, ita ut irruerent in eum, quo illum tangerent, quotquot affligebantur.
28 *Et ſpiritus immundi cũ illũ uidißent, procidebant
VIII ei, & clamabant dicentes: Tu es filius dei. & uehementer interminabatur eis, ne ſe manifeſtum faceret.
29 *Et aſcẽdit in montem, ac uocat ad ſe quos uo-
II luit ipſe, & uenerunt ad eum. Et fecit duodecim, ut eſſent ſecum, & ut emitteret eos ad prædicandum,
30 utq; haberent poteſtatem ſanandi morbos, eijcien-
II diq; dæmonia. *Et impoſuit Simoni nomen Petrus:

& Ia-

& Iacobum filium Zebedæi,& Ioannem fratrẽ Iacobi,& imposuit eis nomina Boanerges,quod est, filij tonitrui:& Andream,& Philippũ,& Bartholomæum,& Matthæum,& Thomam,& Iacobum Alphæi filium,& Thaddæum, & Simonem Canæum,& Iudam Iscariotem,qui & prodidit illum.
*Et ueniunt in domũ,& conuenit iterum turba,sic 31
ut nõ liceret illis uel panes edere,& cum audissent X
qui ad illũ attinebant,exierunt ut manus inijcerent
in eum.Dicebant enim:in furorẽ uersus est.* Et scri 32
bæ qui ab Hierosolymis descenderãt,dicebãt:Beel II
zebul habet,& per principẽ dæmoniorũ eijcit dæ 33
monia.*Et ad se uocatis eis,in parabolis dicebat il II
lis:Quomodo potest satanas satanam eijcere? Et si
regnũ aduersus sese diuisum fuerit, nõ potest stare
regnum illud: & si domus cõtra semetipsam diuisa
fuerit,nõ potest stare domus illa:& si satanas insurrexit aduersus semetipsum,ac diuisus est, nõ potest
stare,sed finẽ habet. Non potest quisquam uasa fortis,ingressus in domũ illius,diripere, nisi prius fortẽ alligarit,& tunc domũ eius diripiet.*Amẽ dico 34
uobis:Omnia remittentur filijs hominũ peccata & II
cõuicia,quibuscũq; conuicia i fuerint. At qui conuiciũ dixerit in spiritũ sanctum, non habet remissionem in æternum, sed obnoxius est æterno iudicio. 35
Dicebant enim: Spiritum immundum habet.* Et II

ueniunt

ueniunt mater eius & fratres,& foris ſtantes,miſe/
runt ad eum qui euocarent eum , & ſedebat turba
circa eũ,dicuntq; ei:Ecce mater tua, & fratres tui
foris quærunt te.Et reſpõdit eis dicens:Quæ eſt ma
ter mea,& fratres mei? Et cum circumſpexiſſet in
circuitu circum ſe diſcipulos ſedentes,ait: Ecce ma
ter mea & fratres mei . Qui enim fecerit uolunta/
tem dei,hic frater meus,& ſoror mea,et mater eſt.

CAP. IIII

56 *ET iterum cœpit docere iuxta mare, & con
11 gregata eſt ad eũ turba multa, ita ut nauim
ingreßus,ſederet in mari , & tota turba iuxta ma/
re in terra erat,& docebat eos per parabolas mul
ta,& dicebat illis in doctrina ſua:Audite,Ecce exi/
bat ſeminator ad ſeminandum , & accidit inter ſe/
minandum , aliud quidem cecidit ſecus uiam,uene/
runtq; uolucres cæli & comederũt illud. Aliud ue
ro cecidit ſuper petroſa,ubi non habuit terrã mul/
tam,& ſtatim exortum eſt, quod non haberet alti/
tudinem terræ: ſole autem exorto, æſtu affectũ eſt,
& eo quod non haberet radicem,exaruit. Et aliud
cecidit in ſpinas,& ſuccreuerunt ſpinæ,ac ſuffoca/
uerunt illud, & fructum non dedit. Et aliud cecidit
in terram bonam , & dabat fructum emergentem,
atq; creſcentem , & afferebat unum triginta , &
unum ſexaginta, & unum centum, ac dicebat illis:

Qui

Qui habet aures ad audiẽdum,audiat. Cum autem
cœpisset esse solus,interrogauerunt eum hi,qui cir/
cum illum erant cum duodecim,de parabola, & di
cebat eis : Vobis datum est nosse mysterium regni
dei:*illis autem qui foris sunt,per parabolas omnia 37
fiunt,ut uidentes uideant,& nõ cernant,& audien 1
tes audiant,& non intelligant,nequãdo conuertan Esa.6
tur,& remittantur eis peccata.*Et ait illis,nescitis 38
parabolam hanc?& quomodo omnes parabolas co 11
gnoscetis?Seminator ille sermonem seminat.Isti ue
ro sunt,quorum alij iuxta uiam dicuntur,ubi semi/
natur sermo,& cum audierint,confestim uenit sata
nas,& aufert sermonem, qui seminatus est in cordi
bus eorũ.Et alij sunt similiter,qui in petrosa semen
excipiunt,qui cum audierint sermonem,statim cum
gaudio accipiunt illum , & non habent radicem in
se,sed temporarij sunt,deinde coorta afflictione aut
persecutione propter sermonem , confestim offen/
duntur . Et alij sunt qui in spinas semen excipiunt.
Hi sunt qui sermonem audiunt, & solicitudines se/
culi huius ac deceptio diuitiarum,cæterarumq; re/
rum cupiditates introeũntes, suffocant sermonẽ,ac
redditur infructifer. Et alij sunt qui in terrã bonam
semen exceperunt, qui audiunt sermonem & susci/
piunt , & fructificant , ita ut aliud granum adferat 39
triginta,aliud sexaginta,aliud centum.*Et dicebat 11

illis: Num lucerna incenditur ut ſubter modium po-
natur, aut ſubter lectum? Nónne ut ſuper candela-
40 brum ponatur?* Nõ eſt enim quicquam occultum,
11 quod non manifeſtetur, neq; fuit ſecretum, ſed ut in
propatulum ueniat. Si quis habet aures ad audien-
dum, audiat. Et dicebat illis: Videte quid audiatis.
41 *Qua menſura metimini, alij metientur uobis, &
11 adijcietur uobis qui auditis.* Qui enim habet da-
42 bitur illi, & qui non habet, etiam quod habet, auf-
11 retur ab eo. Et dicebat:* Sic eſt regnum dei, quem-
43 admodum ſi homo iaciat ſemen in terram ac dor-
X miat, atq; illud exurgat nocte ac die, ſegesq; germi-
net, ac ſurgat in altum, dum neſcit. Vltro enim
terra fructificat, primum herbam, deinde ſpicam,
deinde plenum frumentum in ſpica: cum autem pro-
ductus fuerit fructus, ſtatim mittit falcem, quoniam
44 adeſt meßis. Et dicebat:* Cui aßimilabimus regnum
11 dei? aut qua collatione conferemus illud? Eſt ſicut
granum ſinapis, quod cum ſeminatum fuerit in ter-
ra, minus eſt omnibus ſeminibus quæ ſunt in terra,
& cum ſeminatum fuerit, exurgit, & fit maius om-
nibus oleribus, et facit ramos magnos, ita ut poßint
45 ſub umbra eius aues cœli nidificare.* Et talib. mul-
VI tis parabolis loquebatur eis ſermonẽ, put poterant
46 audire, ſine parabola uero nõ loquebatur eis:* ſeor
X ſim autẽ diſcipulis ſuis exponebat oĩa.* Et ait illis

in die

in die illo cum facta eßet ueßpera: Tranſeamus in ul 47
teriorem ripam. Et dimiſſa turba aßumunt eũ, ita 11
ut erat in naui, ſed & aliæ nauiculæ erant cum illo.
Et oritur procella uenti magna, & fluctus irruebãt
in nauim, ita ut illa iam impleretur. Et erat ipſe in
puppi ſuper ceruical dormiens, & excitãt eum, di-
cuntq; illi: Præceptor non eſt tibi curæ quod peri-
mus? Et excitatus increpauit uentum, dixitq; mari:
Tace, obmuteſce. Et conquieuit uentus, factaq; eſt
tranquillitas magna. Et ait illis: Quid timidi eſtis
adeo? Qui fit ut nõ habeatis fiduciã? Et timuerũt ti
more magno, dicebãtq; inter ſeſe: Quiſnam hic eſt,
quia & uentus & mare obediunt ei? CAP. V

ET uenerunt traiecto mari in regionem Ga-
darenorum, egreßoq; ei de naui, ſtatim oc-
currit è monumẽtis homo ſpiritui obnoxius immun
do, qui domicilium habebat in monumentis. Et neq;
catenis quiſquam poterat eum ligare, propterea
quod, cum ſæpe cõpedibus & catenis uinctus fuiſ-
ſet, diſcerptæ eſſent ab illo catenæ, et cõpedes eſſent
comminutæ, neq; quiſquam ualuiſſet eum domare.
Et ſemper die ac nocte in montibus & in monumen
tis erat clamans, & concidens ſeipſum lapidibus.
Cum uidiſſet autem Ieſum eminus, cucurrit, & ado
rauit eum, & clamans uoce magna dixit: Quid mi
hi tecum eſt Ieſu fili dei altißimi? adiuro te per

deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi: Exi ſpiritus immunde ab homine. Et interrogabat eum: Quod tibi nomen eſt? Et reſpondit, dicens ei: Legio mihi nomen eſt, quia multi ſumus. Et deprecabatur eum multum, ne ſe emitteret extra regionem. Erat autem ibi iuxta montes grex porcorum magnus paſcens: & deprecabantur eum omnes dæmones, dicentes: Mitte nos in porcos, ut in eos introëamus. Et permiſit eis ſtatim Ieſus. Et egreſſi ſpiritus immundi, ingreſſi ſunt in porcos. Et fereba tur grex per præceps in mare. Erant autem fermè bis mille, & ſuffocati ſunt in mari. Porrò qui paſcebant porcos fugerunt, & renunciauerunt in ciuitatẽ & in agros. Et egreſſi ſunt ad uidẽdũ quid eſſet quod acciderat, & ueniũt ad Ieſum: & uident illũ qui à dæmonio uexabantur, ſedentem ac ueſtitum, & ſanæ mentis qui habuerat legionem, & timuerunt. Et narrauerunt illis, qui uiderant, qualiter accidiſſet ei, qui dæmonium habuerat: & de porcis. Et rogare cœperunt eum, ut diſcederet de finibus ipſorum. Et cum ingreſſus eſſet nauim, rogabat illum, qui fuerat à dæmonio correptus, ut eſſet cum
48 illo. *Ieſus autem non permiſit eum, ſed ait illi: Abi
VIII in domum tuam ad tuos, & annuncia illis quanta tibi dominus fecerit, & miſertus ſit tui. Et abijt, & cœpit prædicare in decapoli, quanta ſibi feciſſet Ieſus, &

ſus,& omnes mirabantur. Et cum traieciſſet Ieſus
naui rurſus in ulteriorem ripam, conuenit turba
multa ad eum, & erat circa mare. * Et ecce uenit 49
quidam principum ſynagogæ, nomine Iairus: & 11
cum uidiſſet eum, procidit ad pedes eius,& depre-
cabatur eum multum,dicens: Filiola mea in extre-
mis eſt,oro ut uenias,& imponas illi manus,ut ſal-
ua ſit,& uiuet. Et abijt cum illo, et ſequebatur eum
turba multa,& comprimebãt eum. Et mulier quæ-
dam,quæ fuerat obnoxia profluuio ſanguinis annos
duodecim, fueratq; multa perpeſſa à compluribus
medicis, & inſumpſerat omnia ſua, neq; quicquam
adiumenti ſenſerat, ſed magis in deterius uenerat:
cum audiſſet de Ieſu,uenit in turba à tergo,& teti-
git ueſtimentum eius. dicebat enim: Si uel ueſtimen-
ta eius tetigero, ſalua ero. Et confeſtim ſiccatus eſt
fons ſanguinis eius, & ſenſit corpore, quod ſanata
eſſet ab eo flagello. Et ſtatim Ieſus in ſemetipſo co-
gnoſcens uirtutem ex ſeſe prodiſſe,cõuerſus in tur-
ba aiebat: Quis tetigit ueſtimenta mea? Et dicebãt
ei diſcipuli ipſius: Vides turbam undiq; premen-
tem te,& dicis: Quis me tetigit? Et circũſpiciebat,
ut uideret eam quæ hoc fecerat. Mulier uero timẽs
& tremens,ſciens quod factum eſſet in ſe, uenit &
accìdit ei,dixitq; ei omnem ueritatem. Ille autẽ di-
xit ei: Filia,fides tua te ſeruauit,uade cum pace, &

esto sana à flagello tuo. Adhuc eo loquente, uenitũt à principe synagogæ, qui dicerent: Filia tua mortua est, quid ultra uexas magistrum? Iesus autem protinus audito sermone qui dicebatur, ait principi synagogæ: Ne metuas, tãtummodo crede. Et non permisit ut quisquam se sequeretur, præter Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem Iacobi. Et uenit in domum principis synagogæ, uidetq; tumultum ac flentes & eiulantes multum, & ingressus, ait illis: Quid tumultuamini & ploratis? Puella nõ est mortua, sed dormit. Et irridebant eum. Ipse uero eiectis omnibus, assumit patrem & matrem puellæ, & eos qui cum ipso erant: & ingreditur eò ubi puella erat iacens, & apprehensa manu puellæ, ait illi: Talitha, cumi: quod est, si quis interpretetur: Puella, tibi dico, surge. Et confestim surrexit puella, & ambulabat. Erat enim annorũ duodecim. Et obstupuerunt stupore magno. Et præcepit illis uehementer, ne quisquam id sciret: & iussit ut daretur illi quod ederet.

CAP. VI

ET egressus est illinc, uenitq; in patriã suam, & sequũtur eum discipuli sui. Cumq; adesset sabbatum, cœpit in Synagoga docere: multiq; audientes obstupuerunt, dicentes: Vnde huic hæc? & quæ est sapientia, quæ data est illi? & uirtutes tales
50 per manus eius efficiuntur? * Nónne hic est faber il-
I le, fi-

le,filius Mariæ,frater Iacobi,& Ioſe,& Iuda,& Si
monis?Nónne & ſororcs eius hic nobiſcũ ſunt ? Et
offendebantur per eum. * Dicebat autem illis Ieſus: 51
Non eſt propheta contemptus,niſi in patria ſua,& I
inter cognatos & in familia ſua.Et non poterat ibi
uirtutem ullam ædere , niſi quod paucos infirmos,
impoſitis manibus , ſanauit, ac mirabatur propter
incredulitatem eorum:*& obambulabat per uicos 52
undiq; circumiacentes docens . Et accerſit duode/ II
cim,cœpitq; eos emittere binos ac dabat illis pote/
ſtatem aduerſus ſpiritus immundos.*Et præcepit il 53
lis, ne quid tollerent in uiam , niſi uirgam tantum, II
non peram,non panem, non in zona æs, ſed calcia/
rentur ſandalijs , & ne induerentur binis tunicis.
*Et dicebat eis: Vbicunq; introieritis in domum,il/ 54
lic manete donec exeatis illinc.*Et quicunq; non re II
ceperint uos,neq; audierint uos,exeuntes illinc,ex/ 55
cutite puluerem qui eſt ſub pedibus ueſtris, in teſti II
monium illis. Amen dico uobis,tolerabilius erit So/
domis aut Gomorrhis in die iudicij , quàm ciuitati
illi.*Et egreſſi prædicabant ut reſipiſcerent, & dæ 56
monia multa eijciebant , & ungebant oleo multos VIII
ægros & ſanabant.* Et audiuit rex Herodes (in/ 57
notuerat enim nomen eius) dicebatq; : Ioannes il/ II
le qui baptizabat , reſurrexit à mortuis , & pro/ 58
pterea uirtutes agunt in illo.* Alij dicebant He/ X

lias est,alij uero dicebant,propheta est, uel tãquam unus ex prophetis . Cum audisset autem Herodes ait:Cui ego præcidi caput,Ioannes iste est,ipse surrexit à mortuis.*Nam ipse Herodes, missis satelliti
59 bus manus iniecerat in Ioannem, & uinxerat eum
11 in carcere propter Herodiadem uxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam uxorẽ . Dicebat enim Ioannes Herodi: Non licet tibi habere uxorem fratris tui.Herodias autem insidiabatur illi, uolebatq; occidere eum,nec poterat.Herodes enim metuebat Ioannem ,sciens eum uirum iustum ac sanctum , & obseruabat eum , auditoq; eo multa faciebat, & li-
60 benter eum audiebat.*Et cum dies opportunus ac-
VI cidisset,cum Herodes in natalicijs suis cœnam faceret primatibus ac tribunis et primoribus Galilææ, cumq; introisset filia ipsius Herodiadis,ac saltasset, placuissetq; Herodi ac simul accumbentibus , rex ait puellæ:Pete à me quod uis, & dabo tibi.Et iurauit illi:Quicquid à me petieris,dabo tibi usq; ad dimidium regni mei . At illa egressa dixit matri suæ, quid petam?Illa uero dixit:Caput Ioãnis baptistæ. Et ingressa statim cum festinatione ad regem,petiuit,dicẽs: Volo ut protinus des mihi in lance caput Ioannis baptistæ.Et dolore affectus rex,propter iusiurandum,eosq; qui simul accumbebant,noluit eam reijcere . Et confestim rex misso spiculatore , iussit

inferri

inferri caput eius. At ille abijt, ac decollauit eum in carcere: & attulit caput eius in lance, & dedit illud puellæ, & puella dedit illud matri suæ. Quo audito, discipuli eius uenerunt, & sustulerũt cadauer eius, posueruntq; illud in monumento. * Et congregantur apostoli ad Iesum, ac renuntiauerunt ei omnia, & quæ egissent, quæq; docuissent. *Et ait illis: Venite uos soli seorsim in desertum locum, & requiescite pusillum. Erant enim qui uenirent & abirent multi, ac ne cibum quidem capere uacabat. Et abijt in desertum locum nauigio seorsim. Et uiderunt eos abeuntes turbæ, & agnouerunt eum multi, & itinere pedestri ex omnibus ciuitatibus cõcurrerunt illuc, & præuenerunt eos, conueneruntq; ad illum. * Et egressus uidit turbam multam Iesus, & affectu misericordiæ tactus est erga eos, quia erant uelut oues non habentes pastorem. Et cœpit illos docere multa. * Et cum iam multũ diei præterisset, accesserunt ad illum discipuli eius, dicentes: Desertus est locus, & iam multum temporis effluxit, dimitte illos, ut abeant in circumiacentes uillas, ac uicos, emantq; sibi panes, nã quod edant, non habent. At ille respondens, ait illis: Date illis uos quod edãt. Et dixerunt ei: Euntes emamus ducentis denarijs panes, & demus illis quod edant? At ille dicit eis: Quot panes habetis? Ite & uidete. Et cum cognouissent

61 VIII 62 X 63 VI 64 I

uiſſent,dicunt:Quinq;,& duos piſces. Et præcepit illis,ut accumbere facerent omnes,diſtributis conui uijs in uiridi gramine. Et diſcubuerunt diuiſi in ui/ ridaria centeni & quinquageni. Et cum accepiſ/ ſet quinq; panes, ac duos piſces, ſublatis in cœlum oculis benedixit,ac fregit panes, deditq; diſcipulis ſuis,ut apponerent illis, & duos piſces diuiſit om/ nib.Et comederũt omnes,& ſaturati ſunt,& ſuſtu lerũt fragmẽtorũ duodecim cophinos plenos,et de piſcibus. Erant aũt qui comederant circiter quinq;
65 milia uirorũ.* Et ſtatim coëgit diſcipulos ſuos con
VI ſcendere nauim, ut præcederent tranſmiſſo mari
66 Bethſaidam,dum ipſe dimitteret turbam. * Et cum
II dimiſiſſet eos,abijt in montem ad orandũ.* Et cum
67 ueſpera aduenisset,erat nauis in medio mari,et ipſe
IIII ſolus in terra,uiditq; eos laborantes in remigando. Erat enim uentus contrarius eis. Ac circa quartam uigiliam noctis uenit ad eos,ambulans ſuper mare, & uolebat præterire eos. At illi ut uiderunt eum ambulamtem ſuper mare,putauerũt ſpectrum eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim uidebant eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, di/
68 xitq; eis:Cõfidite,ego ſum,ne terreamini.*Et aſcẽ/
VI dit ad illos in nauim, & conquieuit uentus, & ue- hementer ſupra modum intra ſeſe ſtupebant & ad mirabantur. Non enim intellexerunt de panibus,

erat

erat enim cor eorum obcæcatum. Et cum traiecis-
sent, uenerunt in terram Genezareth, & applicue-
runt in portum. Cumq; egressi essent de naui, conti
nuo agnouerũt eum, ac percurrentes totam undiq;
regionem illam, cœperunt in grabbatis eos qui ma
le habebant circũferre, cum audissent eum illic esse:
& quocunq; introisset in uicos aut in ciuitates, aut
in uillas, in plateis ponebant infirmos: * & depreca 69
bantur eum, ut uel fimbriam uestimenti eius tange II
rent, & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

CAP. VII

E *T conueniunt ad eum pharisæi, & quidam 70
de scribis qui uenerãt Hierosolymis: & cum X
uidissent quosdam ex discipulis eius communibus
manibus, id est, illotis edere panes, incusabant.
Nam pharisæi & omnes Iudæi, nisi crebro lauerint
manus, non capiunt cibum, tenentes instituta maio
rum: & à foro uenientes nisi loti fuerint, non come-
dunt. Et alia multa sunt quæ susceperunt seruan-
da: nempe lotiones poculorum & urceorũ & æra
mentorũ, & lectorũ. * Deinde interrogant eũ pha- 71
risæi & scribæ: Quare discipuli tui non ambulãt iu VI
xta ritum traditũ à maioribus, sed illotis manibus
edũt panẽ? At ille respõdẽs, dixit eis: Bene uaticina
tus est Esaias de uobis hypocritis, sicut scriptũ est: Esa. 29
Populus hic labijs me honorat, cor aũt eorum lon-
ge est

ge eſt à me. In uanum autem me colunt, docẽtes doctrinas, præcepta hominum. Nam omiſſo præcepto dei, tenetis cõſtitutionem hominum, ablutiones urceorum & poculorum, aliaq; ſimilia his facitis multa. Et dicebat illis: Bene reiicitis præceptum dei, ut
Exo.20 Deut.5 conſtitutionem ueſtram ſeruetis. Moſes enim dixit: Honora patrem tuum & matrem tuam: & qui maledixerit patri uel matri, morte moriatur. Vos aũt dicitis: Si dixerit homo patri uel matri, corban, quod eſt, donum quodcunq; ex me, in tuũ cedet cõmodũ. Et præterea non ſinitis eum quicquã facere patri ſuo, aut matri ſuæ, & irritum facitis uerbum dei per conſtitutionem ueſtram, quam tradidiſtis. Et ſimilia huiuſmodi multa facitis. Et cũ aduocaſſet ad ſe totam turbam, dicebat illis: Audite me omnes & intelligite: Nihil eſt extra hominem introiens in eum, quod poſſit eum inquinare, ſed quæ de homine procedunt, illa ſunt quæ inquinãt hominem. Si quis
72 habet aures ad audiendum, audiat. * Et cum introiſ-
VI ſet in domum ſemotus à turba, interrogabant eum diſcipuli eius de ſimilitudine. Et ait illis: Adeo & uos intelligentia caretis? Nondũ intelligitis, quod omne foris introiens in homine, non poteſt eũ inquinare: quia nõ intrat in eius cor, ſed in uentrẽ: & in ſeceſſum exit, repurgans omnes eſcas? Dicebat aũt: Quod ab homine exit, illud inquinat hominẽ. Ab interioribus

terioribus enim de corde hominum malæ cogitatio
nes procedunt, adulteria, ſtupra, homicidia, furta,
auariciæ, fraudes, dolus, impudicitia, malus oculus,
cõuicia, ſuperbia, ſtultitia. Omnia hæc mala ab in-
ternis procedunt, & inquinant hominem. Et inde
ſurgens, abijt in confinia Tyri, ac Sidonis, & in-
greſſus domum, neminem uoluit ſcire, nec potuit
latere. *Mulier enim ſtatim ut audiuit de eo, cuius 75
filiola habebat ſpiritum immundum, uenit & acci- VI
dit ad pedes eius. Erat enim mulier Græca Syro-
phœniſſa genere, et rogabat eum ut dæmoniũ eijce
ret de filia ſua. Ieſus autem dixit illi: Sine prius ſatu
rari filios. Nõ eſt enim honeſtum, ſumere panem fi-
liorum, & proijcere catellis. At illa reſpondit, &
dicit illi: Etiam domine, nam catelli quoq; comedũt
ſub menſa de micis filiorũ. Et ait illi: Propter iſtum
ſermonem uade, exijt dæmonium à filia tua. Et cum
abiſſet domum ſuam reperit dæmonium exiſſe, &
filiam iacentem ſuper lectum. *Et rurſum egreſſus 74
de finibus Tyri ac Sidonis, uenit ad mare Galilææ X
per medios fines Decapolis, & adducunt ei ſur-
dum, impeditæq; linguæ, & deprecantur eum, ut
imponat illi manum. Et cum apprehendiſſet eum
de turba ſeorſim, miſit digitos ſuos in auriculas
eius, & ſputo emiſſo, tetigit linguam eius, ac ſuſpi-
ciens in cœlum ingemuit, & ait illi: Ephphatha,

quod

quod est aperire. Et statim apertæ sunt eius aures, & solutum est uinculum linguæ eius, ac loquebatur recte. Ac præcepit illis, ne cui dicerent. Sed quo magis ille eis præceperat, hoc potius amplius prædicabant, * & supra modum stupebant, dicentes: Bene omnia fecit, & surdos facit audire, & mutos loqui.

75
VIII

CAP. VIII

76
VI

IN diebus illis, cum turba admodũ multa esset, nec haberent quod manducarent, accersitis ad se Iesus discipulis suis, ait illis: Misericordia tangor erga turbam, quia iam triduo manent apud me, nec habent quod edant, & si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in uia. Quidam enim ex eis è longinquo uenerunt. Et responderunt ei discipuli sui: Vnde istos quis poterit hic satiare panibus in solitudine? Et interrogauit eos: Quot panes habetis? Illi uero dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ discumbere super terram. Et acceptis septem panibus, cum gratias egisset, fregit, deditq; discipulis suis, ut apponerent: & apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos, & cum benedixisset, iussit apponi & hos. Comederũt autem & saturati sunt, ac sustulerunt quæ superfuerant, fragmentorum septem sportas. Erant autem qui comederant fermè quater mille. Et dimisit illos, & mox ingressus in nauim cum discipulis suis, uenit in partes Dalmanutha

nutha. *Et egreßi ſunt phariſæi, cœperuntq; diſputare cum illo, quærentes ab eo ſignum è cœlo, tentantes eum.* Et cum ingemuiſſet ſpiritu ſuo, dicit: Cur generatio hæc ſignum quærit? Amen dico uobis, ſi dabitur generationi huic ſignum. Et relictis illis, ingreßus rurſus nauim, abijt traiecto lacu. Et obliti fuerant ſumere panes, nec præter unum panem habebant ſecum in naui.* Ac præcepit illis, dicens: Videte, cauete à fermento phariſæorum, & à fermento Herodis.* Et diſputabant inter ſeſe, dicentes: Panes non habemus. Et eo cognito Ieſus dicit illis: Quid diſputatis quod panes non habetis? Nondum animaduertitis nec intelligitis? Adhuc obcæcatum habetis cor uestrum? Oculos habentes, non cernitis: & aures habentes, non auditis, & non meminiſtis? Cum quinq; panes fregißem in hominum quinq; milia, quot cophinos fragmentis plenos ſuſtuliſtis? Dicunt ei: Duodecim. Cum autem ſeptem in quatuor milia, quot ſportas ex reliquijs fragmentorũ tuliſtis? Illi uero dixerũt: Septem. Et dixit illis: Qui fit ut nõ intelligatis?* Et uenit Bethſaidam, & adducunt illi cæcum & obſecrant eum, ut illũ tangeret. Et apprehẽſa manu cæci, eduxit illum extra uicũ, & cũ expuißet in oculos illius, impoſuißetq; illi manus, interrogauit eum, ſi quid uideret. Et recepto uiſu, dicebat: Video homines, quoniam uelut

77 IIII 78 VI 79 II 80 VI 81 X

lut arbores cerno ambulantes. Deinde rursum imposuit manus super oculos illius, & fecit ut uisum reciperet. Et restitutus est, ac denuo uidebat diluci de omnes. Et dimisit illum in domum suam, dicens: Neq; in uicum ingrediaris, neq; dixeris cuiquam
82 in uico. * Et egressus est Iesus & discipuli illius in
I uicos Cæsareæ, quæ cognominatur Philippi, & in uia interrogauit discipulos suos, dicens illis: Quem me dicunt homines esse? Illi uero responderunt: Ioannem baptistam, & alij Heliam, alij rursus unum de numero prophetarum. Et ipse dicit illis: At uos quem me dicitis esse? Respondens autem Petrus, dicit illi: Tu es ille Christus. Et interminatus est eis,
83 ne cui dicerent de se. * Et cœpit docere eos, quod o-
II porteret filiũ hominis multa pati, & reprobari à senioribus summisq; sacerdotibus ac scribis, & occidi, & post tres dies resurgere, & aperte sermonẽ
84 loquebatur. * Et apprehẽdit illũ Petrus, cœpitq; in-
VI crepare eũ. At ille cõuersus, & intuitus discipulos suos, increpauit Petrum, dicẽs: Abi post me satana, quoniã nõ sapis quæ dei sunt, sed quæ sunt hominũ. Et cũ ad se uocasset turbam unà cũ discipulis suis,
85 dixit illis: * Quicunq; uult sequi me, abneget semet-
II ipsum, & tollat crucem suam, ac sequatur me. Nam quisquis uoluerit animã suam seruare, perdet eam. Quisquis autẽ perdiderit animam suam causa meæ

& Euan-

& Euãgelij,hic ſeruabit eam. Quid enim profuerit homini ſi lucratus fuerit mundum totum, & animæ ſuæ iacturã fecerit? Aut quid daturus eſt homo, quo repenſet animam ſuam? *Quencunq; enim puduerit 86
mei ac meorum ſermonum in generatione hac adul/ 11
tera & peccatrice,pudebit illius & filium hominis, ubi uenerit in gloria patris ſui cum angelis ſanctis.

CAPVT IX

E*T dicebat illis: Amen dico uobis: Sunt qui/ 87
dam inter eos qui hic ſtant, qui non guſtabũt 11
mortem, donec uiderint regnum dei uenisſe cum uir tute. Ac poſt dies ſex aſſumit Ieſus Petrum & Iaco/ bum,& Ioannem,& ſubducit eos in montem excel/ ſum ſeorſum ſolos,& transformatus fuit coram illis. & ueſtimenta illius facta ſunt ſplendida, candida ualde ueluti nix,quàm candida facere non poteſt ful lo ſuper terram. Et conſpectus eſt illis Helias cũ Mo ſe,colloquebanturq; cũ Ieſu. Et reſpondens Petrus, dicit Ieſu: Rabbi,bonum eſt nos hic eſſe,& faciamus tabernacula tria,tibi unum, & Moſi unum, & He/ liæ unum. Non enim nouerat quid loqueretur, erant enim expauefacti. Et facta eſt nubes,quæ obumbra/ uit illos. Et uenit uox è nube,dicens: Hic eſt filius me us dilectus,ipſum audite. Et repente cum circunſpe/ xiſſent,non amplius uiderũt quenquam,ſed ſolum Ie ſum eſſe ſecum. Porrò cum deſcenderent de monte,

præcepit illis, ne cui dicerent ea quæ uiderant, niſi
88 cum filius hominis à mortuis reſurrexiſſet.* Ac uer-
bum hoc tenuerunt apud ſeſe, inter ſe diſputantes,
quid eſſet hoc, quod dixerat, è mortuis reſurgere: &
89 interrogabant illum, dicentes:* Quid eſt quod ſcri-
VI bæ dicunt, Heliam oportere uenire prius? Ille uero
reſpondens, dixit illis: Helias quidem ubi uenerit pri
us, reſtituit omnia, & quemadmodum ſcriptũ eſt de
filio hominis, ut multa patiatur, & cõtemnatur. Ve-
rum dico uobis Heliam ueniſſe, & fecerunt illi quæ-
90 cunq; uoluerunt, ſicut ſcriptum erat de illo.* Et cum
X ueniſſet ad diſcipulos ſuos, uidit turbam multam cir
cum illos, & ſcribas diſputantes cum eis. Et proti-
nus uniuerſa turba cum uidiſſet eum, obſtupuit, &
accurrentes ſalutauerunt eum. Et interrogauit ſcri-
91 bas: Quid diſputatis inter uos?* Et reſpondens unus
11 è turba dixit: Præceptor, adduxi filiũ meum ad te,
habentem ſpiritũ mutum, & quandocunq; eum cor-
ripuerit, lacerat eum: atq; ille ſpumat, ac ſtridet den
tibus ſuis, & areſcit. Et dixi diſcipulis tuis ut eijce-
rent, & non potuerunt. At ille reſpondens ei, dicit:
O natio incredula, quouſq; apud uos ero, quouſq; pa
tiar uos? Adducite illum ad me. Et adduxerunt illum
ad eum. At uiſo illo, cõtinuo ſpiritus diſcerpebat eũ.
Et prolapſus in terra uoluebatur ſpumãs. Et interro
gauit patrem illius: Quantũ temporis eſt, quod hoc

accidit

accidit ei? At ille dixit: à puero, & frequenter illum & in ignem abiecit, & in aquas, quo perderet eum. Age si quid potes, subueni nobis misertus nostri. Iesus autem dixit ei: Illud si potes credere: omnia possibilia credenti. Et confestim exclamans pater pueri cum lachrymis dixit: Credo domine, succurre incredulitati meæ. Cum uidisset autem Iesus, quod turba simul accurreret, increpauit spiritum immundum, dicens illi: Spiritus mute, & surde, ego tibi impero, exi ab eo, & ne posthac ingrediaris in illum. Et cum clamasset spiritus, multumq; discerpsisset eum, exiuit. Et factus est tanquam mortuus, adeo ut multi dicerent, mortuus est. At Iesus correpta manu illius, erexit eum, & ille surrexit. E cum esset ingressus domum, discipuli illius interrogabãt eum seorsim: Cur nos nõ quiuimus eijcere illum? Et dixit illis: Hoc genus nulla re potest exire, nisi per deprecationẽ & ieiuniũ. *Et illinc digressi, iter fecerunt per Galile- 92
am, nec uolebat ut quisquàm sciret, docebat enim di- X
scipulos suos, & dicebat illis: * Filius hominis tradi- 93
tur in manus hominum, & occident eum, & occisus II
tertio die resurget. * At illi ignorabant quod dixe- 94
rat, & timebant eum interrogare. Et uenit Caper- X
naum, & cum uenisset in domum, interrogauit illos:
Quid in itinere inter uos disputabatis? At illi silue- 95
runt. * Nam inter se disputauerant inter uiam, quis II

esse maior. Et cum consedisset, accersiuit duodecim, & dicit illis: Si quis uult primus esse, is erit omnium postremus, & omnium minister. Atq; arreptum puerum statuit in medio illorum, & cum cepisset illum
96 in ulnas suas, dixit illis: * Quisquis unum ex talibus
1 pueris receperit nomine meo, me recipit: & quicunque me recipit, non me recipit, sed eum qui misit me.
97 *Respondit autem ei Ioannes, dicens: Præceptor, uiV111 dimus quendam nomine tuo eijcere dæmonia, nec sequitur nos, & prohibuimus illum, propterea quod non sequitur nos. At Iesus ait: Ne prohibeatis illum. Nullus enim est, qui si fecerit uirtutem per nomen meum, possit cito male loqui de me. Qui enim nõ est
98 aduersus nos, pro nobis est. * Quisquis enim ad bibẽ-
V1 dum dederit uobis calicem aquæ nomine meo, quod sitis Christi, amẽ dico uobis, nequaquam perditurus
99 est mercedem suam. *Et quisquis offenderit unum ex
11 pusillis, qui confidunt in me, melius foret illi, si circundaretur saxum molare circa ceruicem eius, & abij-
100 ceretur in mare. * Et si tibi fuerit obstaculo manus
V1 tua, amputa illam. Bonum est tibi mutilum ad uitam ingredi, potius quàm duas manus habentem abire in gehennam, in ignem inextinguibilem, ubi uermis illorũ nõ moritur, & ignis nõ extinguitur. Et si pes tuus fuerit tibi obstaculo, amputa illum. Bonũ est ut ingrediaris ad uitam claudus potius quàm duos pe-

des

des habens mittaris in gehennam,in ignem inextin/
guibilem, ubi uermis illorum non moritur, & ignis
non extinguitur. Et ſi oculus tuus tibi obſtaculo eſt,
erue illum. Bonum eſt tibi ut luſcus introëas in reg/
num dei, potius quàm ut duos oculos habens mitta/
ris in gehennam ignis , ubi uermis eorum non mori/
tur,& ignis non extinguitur.* Nam omnis homo ig 101
ne ſalietur,& omnis uictima ſale ſalietur . Bona res X
eſt ſal:*cæterum ſi ſal inſulſus fuerit, per quid ipſum 102
condietis? Habete in uobiſipſis ſalem,& pacem ha/ 11
bete inter uos inuicem.

CAPVT X

E*T cum inde ſurrexiſſet, uenit in fines Iudææ 103
per regionem quæ eſt ultra Iordanem,& cõ VI
ueniunt rurſum turbæ ad illum,& ſicut cõſueuerat,
rurſum docebat eas Et adeuntes phariſæi interroga
bant illum:Licétne uiro uxorem repudiare? tentan/
tes illum:At ille reſpondens, dixit illis : Quid uobis
præcepit Moſes*At illi dixerunt: Moſes permiſit li/
bellum repudij ſcribere,ac dimittere. Et reſpondens
Ieſus,dixit illis:Ad duritiam cordis ueſtri ſcripſit uo
bis præceptum iſtud: cæterũ ab initio creationis ma
ſculum & fœminam fecit illos deus.Propter hoc re/
linquet homo patrem ſuum & matrem, & adhære/
bit uxori ſuæ, & fient duo caro una . Itaq; non iam
ſunt duo,ſed una caro. Quod igitur deus copulauit,

104 homo non ſeparet.* Et in domo rurſum diſcipuli il-
X lius eadem de re interrogauerunt illum. Et dicit il-
105 lis:* Quicunq; repudiauerit uxorem ſuam, & duxe-
II rit aliam, adulterium committit aduerſus illam. Et
ſi mulier repudiauerit uirum ſuum & nupſerit alte-
106 ri, adulterium cõmittit.* Et attulerunt ad illum puc-
II ros, ut tangeret illos: diſcipuli uero increpabant eos
qui adducebant. Cum uidiſſet autem Ieſus indigna-
tus eſt, & dixit illis: Sinite pueros uenire ad me, ne
prohibete illos: talium enim eſt regnũ dei. Amen di-
co uobis: Quicunq; non acceperit regnum dei tan-
quam puer, haud quaquam ingredietur in illud. Et
cum cepiſſet illos in ulnas, impoſitis manibus ſuper il-
107 los, benedixit eis. * Et cum exiret in uiam, accurrit
II quidam ac genua flexit illi, & interrogabat eũ: Præ-
ceptor bone, quid faciam, ut uitam æternam poßide-
am? Ieſus autem dixit illi: Cur me dicis bonum? Ne-
mo bonus, niſi unus, nempe deus. Præcepta noſti:
Ne committas adulterium: ne occidas: ne fureris: ne
falſum teſtimoniũ dicas: ne fraudes: honora patrem
tuum & matrem. At ille reſpondens, dixit illi: Præ-
108 ceptor hæc omnia ſeruaui ab adoleſcentia mea.* Ie-
II ſus aũt intuitus illũ, dilexit eum, & dixit illi: Vnum
tibi deeſt: Abi, quæcunq; habes uende, & da pauperi-
109 bus, & habebis theſaurum in cœlo, & ueni ſequere
II me, ſublata in humeros cruce.* At ille moleſtia affe-
ctus

ctus propter ſermonem, diſcedebat mœrens: habe/
bat enim poſſeßiones multas. Et cum circunſpexiſſet
Ieſus, dicit diſcipulis ſuis: Quàm difficulter hi qui pe
cunias habent, in regnum dei intrabunt. Diſcipuli ue
ro obſtupuerunt ſuper uerbis illius. At Ieſus rurſum
reſpondens, dicit illis: Filij, quàm difficile eſt eos, qui
fiduciam habent in pecunijs, regnum dei ingredi. Fa
cilius eſt camelum per foramen acus ingredi, quàm
diuitem in regnum dei ingredi. Illi uero ſupra mo/
dum admirati ſunt, dicentes intra ſeſe: Et quis poteſt
eſſe ſaluus? Intuitus autem Ieſus illos, dicit: Apud ho/
mines impoßibile, ſed non apud deum: nam omnia
poßibilia ſunt apud deũ. Et cœpit Petrus dicere illi:
Ecce nos reliquimus omnia, & ſequuti ſumus te. Re
ſpondens autem Ieſus, dixit: Amen dico uobis: *Nul/ 110
lus eſt qui reliquit domum, aut fratres, aut ſorores, 11
aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut liberos,
aut agros mea cauſa & euangelij, quin recipiat cen
tupla, nunc in tempore hoc domus, & fratres, & ſo/
rores, & matres, & liberos, & agros cum perſecu/
tionibus, ac in ſeculo uenturo uitam æternam.* Mul 111
ti autem primi, erunt poſtremi: & poſtremi, primi. 11
* Erant autem in uia aſcendentes Hieroſolymã: & 112
præcedebat illos Ieſus, erãtq; pauefacti, & ſequentes 11
timebãt. Et aſſumptis Ieſus rurſum duodecim, cœpit
illis dicere, quæ ſibi euẽtura eſſent: Ecce aſcendimus

Hierosolymã, & filius hominis tradetur principi-
bus sacerdotũ & scribis, & condemnabunt eum ad
mortem, & tradent illum gentibus: & illudent illi,
& flagellabunt eum, & inspuent in illum, & occi-
x13 dent eum, & tertia die resurget. *Et accedunt ad eũ
V I Iacobus & Ioannes filij Zebedæi, dicentes: Præcep-
tor, uolumus ut quicquid petierimus, facias nobis. Il-
le uero dixit eis: Quid me uultis facere uobis? Illi ue
ro dixerunt ei: Da nobis, ut unus tibi à dextris, & al
ter tibi à sinistris sedeamus in gloria tua. Iesus aũt
dixit illis: Nescitis quid petatis: potestis bibere po-
culum, quod ego bibo? & baptismate, quo ego bap-
tizor, baptizari? At illi dixerunt ei: Possumus. Iesus
autem dixit illis: Poculum quidem quod ego bibo, bi
betis, & baptismate quo ego baptizor, baptizabimi
ni. Cæterum sedere mihi à dextris ac sinistris, nõ est
x14 meum dare, sed ijs cõtinget, quibus paratum est, * Et
I I cum audissent decem, cœperunt indignari de Iaco-
bo & Ioanne. Iesus autem cum uocasset eos ad se, di-
cit illis: Scitis, quod qui uidentur imperare genti-
bus, dominium exercent aduersus illas. Et qui magna
tes sunt inter eas, potestatem exercent in illas. Verũ
non sic erit inter uos, sed quicunq; uoluerit ex uobis
fieri magnus inter uos, erit minister uester. Et qui-
x15 cunq; uoluerit ex uobis esse primus, erit omnium ser
x I I I uus. * Nam & filius hominis non uenit ut sibi mini-
straretur,

ſtraretur, ſed ut ipſe miniſtraret, ac daret animam ſuam redemptionem pro multis. Et ueniunt Hieri/
cho,* cumq; egrederetur ab urbe Hiericho ac diſci/ 116
puli illius,& turba copioſa,filius Timæi Bartimæus 11
cæcus ſedebat iuxta uiam mendicans: & cum audiſ/
ſet quod Ieſus Nazarenus eſſet,cœpit clamare,& di
cere:Fili Dauid Ieſu,miſerere mei.Et increpabant il
lum multi,ut taceret.At ille multo magis clamabat:
Fili Dauid,miſerere mei.Et ſtetit Ieſus ac iußit illum
uocari.Et uocãt cæcũ,dicentes illi:Bono animo eſto,
ſurge, uocat te.Ille uero abiecto pallio ſuo ſurrexit,
& uenit ad Ieſum.Et reſpondẽs,dicit illi Ieſus:Quid
uis faciam tibi? Cæcus autem dixit ei:Rabboni,ut ui
ſum recipiam.Ieſus autem dixit illi:Abi fides tua ſal
uum te reddidit. Ac protinus recepit uiſum, & ſe/
quebatur Ieſum in uia.

CAPVT XI

E*T cũ appropinquant Hieroſolymis ad Beth 117
phage & Bethaniam iuxta montem oliuarũ, 11
emittit duos è diſcipulis ſuis, & dicit illis: Abite in
uicum qui contra uos eſt, & ſtatim ingredientes in
illum inuenietis pullum alligatum,ſupra quem nul/
lus hominũ ſedit: ſoluite eum & adducite:Et ſi quis
uobis dixerit:Cur facitis hoc?Dicite, quod dominus
eo opus habet:& continuo illum mittet huc.* Abie/ 118
runt autem, & inuenerunt pullum alligatum iuxta 11

ianuam foris in biuio, & ſoluunt illum. Et nonnulli eorum qui illic ſtabant, dicebant illis: Quid facitis ſoluentes pullum? At illi dixerunt eis, quemadmodũ præceperat Ieſus, & ſinebant illos. Et adduxerunt pullum ad Ieſum, & iniecerunt illi ueſtimenta ſua,
119 ſeditq; ſuper illum.* Multi uero ueſtimenta ſua ſter-
I nebant in uiam. Alij uero frondes incidebant ex arboribus, & ſternebant in uiam. Et qui præcedebant, quiq; ſequebantur, clamabant, dicentes: Hos anna, benedictus qui uenit in nomine domini: Benedictum quod uenit regnum in nomine domini patris noſtri Dauid, hos anna in altiſſimis. Et ingreſſus eſt Hieroſolymam dominus & in templũ. Et cum circunſpexiſſet omnia, iamq; tempus eſſet ueſpertinum, egreſſus eſt Bethaniam cum duodecim. Et poſtero die cũ
120 exiſſent Bethania, eſurijt.* Cumq; uidiſſet arborẽ fi-
II ci procul habentem fõlia: ueniebat ſi uidelicet inuenturus eſſet aliquid in illa. Et cum ueniſſet ad illam, nihil inuenit, niſi fõlia. Non enim erat tempus ficorum. Et reſpondens Ieſus, dixit ficui: Ne poſt hac ex te in æternum quiſquam fructum edat. Et audiebant diſcipuli illius, ueniũtq; Hieroſolymã.
121 *Et ingreſſus Ieſus
I in templum, cœpit eijcere eos, qui uendebant & emebant in templo, & menſas argentariorum & ſellas uendentium columbas ſubuertit: & non permiſit ut quiſquam deportaret uas per templum, & docebat,

dicens

dicens illis: Nónne ſcriptum eſt: Domus mea do/
mus precationis uocabitur omnibus gentibus? uos
autem feciſtis eam ſpeluncam latronum:* Et audie/ 122
runt ſcribæ principesq; ſacerdotum, & quærebant I
quomodo illum eſſent perdituri. Timebant enim eũ,
quod tota turba admirabatur doctrinam illius.* Et 123
cum ueſpera iam eſſet, egreſſus eſt Ieſus è ciuitate: X
& mane prætereuntes, uiderunt ficum exaruiſſe ra/
dicitus: & recordatus Petrus, dicit illi: Rabbi, ecce
ficus illa, quam execratus es, exaruit. Et reſpondens
Ieſus, dicit illis: Confidite deo.* Amen dico uobis, 124
quod quicunq; dixerit monti huic: Tollaris ac mitta V I
ris in mare: & non hæſitauerit in corde ſuo, ſed cre/
diderit fore quæ dixerit, erit illi quicquid dixerit.
*Propterea dico uobis, quæcunque orantes petitis, 125
credite quod accipitis, & erunt uobis.* Et cum ſtete IIII
ritis orantes, remittite ſi quid habetis aduerſus ali/ 126
quẽ, ut & pater ueſter qui in cœlis eſt, remittat uo/ V I
bis delicta ueſtra.* Et ueniunt rurſum Hieroſolymã, 127
& cum ambularet in templo, ueniunt ad illum prin/ II
cipes ſacerdotum & ſcribæ & ſeniores, & dicunt
illi: Qua autoritate hæc facis? & quis tibi dedit au/
toritatem iſtam, ut iſta facias? Ieſus aũt reſpondens,
dixit illis: Quæram à uobis & ipſe quiddam, &
reſpondete mihi, & dicam uobis, qua autoritate
hæc faciam. Baptiſmus Ioannis utrum è cœlo erat,

an

an ex hominibus ? Respondete mihi . Et cogitabant apud se,dicentes:Si dixerimus,è cœlo,dicet: Cur igitur non credidistis illi? At si dixissent,ex hominibus, timebant populũ . Omnes enim habebant Ioannem, quod uere propheta fuisset. Et respondentes, dicunt Iesu:Nescimus.Et Iesus respondens , dicit illis : Nec ego dicam uobis,qua autoritate hæc faciam.

CAPVT XII

128 II *Et cœpit illis per parabolas loqui . Vineam plantauit homo,& circundederat sepem, & foderat lacum, & ædificauerat turrim, & elocauerat eam agricolis,& peregre profectus est:& misit ad agricolas cum opportunũ esset,seruũ,ut ab agricolis acciperet de fructu uineæ.At illi arreptum illũ cæciderunt,ac remiserunt uacuum . Et rursum misit ad illos aliũ seruũ,& illi coniectis in eũ saxis cõminuerunt illi caput,& remiserũt contumelijs affectũ. Et rursum aliũ misit,& illũ occiderunt,multosq; alios:hos quidem cædentes,illos uero occidentes. Itaq; cum unum adhuc haberet filium suum dilectum,misit etiam illum ad illos postremũ,dicens: Reuerebuntur filium meũ. Illi uero agricolæ dicebant inter se:Hic est hæres,uenite occidamus eũ,& nostra erit hæreditas.Et arreptũ illum occiderũt,& eiecerũt è uinea.Quid igitur facturus est dominus uineæ?ueniet & perdet agricolas, & dabit uineam alijs.An ne hanc

hanc quidē ſcripturā legiſtis? Lapidē quē reproba-
uerūt hi qui ædificabāt, hic factus eſt caput anguli:
à domino factū eſt hoc, & eſt admirabile in oculis
noſtris. *Et quærebant eum cōprehendere, & metue 129
bant turbam: ſciebant enim quod aduerſus ipſos pa- I
rabolam dixiſſet. Et relicto illo, abierunt, * ac mit- 130
tunt ad illum quoſdam è phariſæis & Herodianis, II
ut eum captarent ſermone. Illi uero cum uenissent,
dicunt ei: Præceptor, ſcimus quod uerax es, & non
curas quenquam: non enim reſpicis perſonam homi-
num: ſed cum ueritate uiam dei doces. Licet cenſum
Cæſari dare, an non? demus, an non demus? Ille uero
ſciens illorum ſimulationem, dixit illis: Quid me ten
tatis? Afferte mihi denarium, ut uideam. Illi uero at-
tulerunt. Et dicit eis: Cuius eſt imago hæc & inſcrip
tio? Illi uero dixerunt ei: Cæſaris. Et reſpondens Ie-
ſus, dixit illis: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &
quæ dei ſunt deo. Et admirati ſunt de eo. Et ueniunt
Sadducæi ad illum, qui dicunt non eſſe reſurrectio-
nem, interrogauerunt q; eum, dicentes: Præceptor,
Moſes ſcripſit nobis, ſi cuius frater moriatur, ac re-
linquat uxorem, & liberos non relinquat, ut accipi
at frater eius uxorem illius, & ſuſcitet ſemen fratri
ſuo. Septem fratres fuerunt, ac primus accepit uxo-
rem, isq; moriens non reliquit ſemen: & ſecundus ac
cepit illam, ac mortuus eſt, & nec ipſe reliquit ſe-
men

men, & tertius similiter: & acceperũt eam septem, nec reliquerunt semen. Postrema uero omnium mortua est & uxor. In resurrectione igitur, cũ resurrexerint, cuius illorũ erit uxor? Nam septẽ habuerunt eam uxorẽ. Et respondens Iesus, dixit eis: An nõ propterea erratis, quod nõ sciatis scripturas, neq; uirtutem dei? Cũ enim à mortuis resurrexerint, neq; contrahunt matrimoniũ, neq; nuptũ dantur, sed sunt uelut angeli qui in cœlis sunt. Cæterũ de mortuis quod resuscitantur, nõ legistis in libro Mosi, quomodo in rubo loquutus sit illi deus, dicens? Ego ille deus Abraham, & deus Isaac, & deus Iacob. Non est deus mortuorũ, sed deus uiuentium. Vos igitur multũ er-

131 *ratis.* * *Et cũ accessisset quidam è scribis, & audisset*

VI *eos simul disputantes, uideretq; quod bene respondisset eis, interrogauit illum: Quod est primum omnium præceptorum? Iesus autem respondit illi, Primum omniũ præceptũ est: Audi Israël, dominus deus noster, dominus unus est. Et diliges dominũ deum tuũ ex toto corde tuo, et ex tota anima tua, et ex tota mente tua, & ex totis uiribus tuis. Hoc est primũ præceptum. Et secundum simile hoc est: Diliges proximum tuũ ut teipsum. Maius his aliud præceptum*

132 *nõ est.* * *Et dixit illi scriba: Bene præceptor cum ueri-*

X *tate dixisti, quod unus sit deus, & non sit alius præter illum: quodq; diligere eum ex toto corde, & ex*

tota

tota intelligentia,& ex tota anima,& ex totis uiri-
bus:ac diligere proximum ut ſeipſum:plus ſit,quàm
uniuerſa holocautomata & uictimæ. At Ieſus cum ui
deret quod cordate reſpondiſſet,dixit illi:Haud lon-
ge abes à regno dei.* Et nemo poſt illa audebat illũ 133
interrogare. Et reſpondens Ieſus dicebat, docens in II
templo:* Quomodo dicunt ſcribæ, Chriſtum eſſe fi- 134
lium Dauid? nam ipſe Dauid dixit afflatus ſpiritu II
ſancto: Dixit dominus domino meo, ſede à dextris
mihi:Donec poſuero inimicos tuos, ſcabellũ pedum
tuorum. Ipſe ergo Dauid uocat eum dominũ,& un-
de filius eius eſt? Et pleraq; turba audiebat illũ liben
ter. Et dicebat illis in doctrina ſua:* Cauete à ſcri- 155
bis, qui amant ſtolati obambulare,& amant ſaluta- II
tiones in foris,primasq; ſellas in cõgregationibus,&
primos accubitus in cœnis, qui deuorant domos ui-
duarum, & ſub prætextu longas faciunt preces, iſti
accipient grauiorem damnationẽ. * Et cum ſederet 136
Ieſus ex aduerſo gazophylacij,ſpectabat quomodo VIII
turba mitteret æs in gazophylaciũ. Et multi diuites
mittebant multa. Et uenit quædam uidua pauper,mi
ſitq; minuta duo,quod eſt quadrans. Vocatisq; ad ſe
diſcipulis ſuis,dicit illis: Amen dico uobis, quod ui-
dua hæc pauper plus miſit, quàm omnes qui miſe-
runt in gazophylaciũ. Nam omnes ex eo quod ipſis

ſupererat

ſupererat,miſerũt. At hæc è penuria ſua omnia quæ
cunq; habebat miſit,totam ſubſtantiam ſuam.

CAPVT XIII

137 *E*T *cum exiret è templo, dicit illi quidam è di*
11 *ſcipulis illius: Præceptor,uide quales lapides,*
& quales ſubſtructiones. Et Ieſus reſpondens,ait il-
381 *li:Vides has magnas ſubſtructiones? Non relinque-*
11 *tur lapis ſuper lapidem,qui non diruatur.* * *Et cum*
ſederet in monte oliuarum è regione templi,interro-
gabant illum ſecreto Petrus & Iacobus & Ioannes
& Andreas:Dic nobis:quando hæc erunt? & quod
ſignum eſt, quando hæc omnia ſint conſummanda?
At Ieſus reſpondẽs illis,cœpit dicere:Videte ne quis
uos ſallat. Multi enim uenient in nomine meo,dicen-
tes:Ego ſum Chriſtus:multoſq; decipient. Cum au-
tem audieritis bella & rumores bellorum,ne turbe-
mini,oportet enim fieri,at nondum finis.Inſurget e-
nim gens aduerſus gentem,& regnum aduerſus re-
gnum.Et erunt terræmotus in ſingulis locis,& erũt
139 *fames ac turbationes.Initia dolorum hæc.*Sed caue
I *te uos uobis.Tradent enim uos in concilia & in ſy-*
nagogas,cædemini, & ſub præſidibus ac regibus du-
140 *cemini propter me in teſtimoniũ illis.*Et apud om-
VI *nes gentes oportet prius prædicari Euangelium.*
141 *Cum autẽ duxerint uos tradentes, ne præcogitetis*
11 *quid dicturi ſitis,neq; meditemini:ſed quicquid datũ*
fuerit

fuerit uobis in illa hora, hoc loquamini. Non enim
eſtis uos qui loquimini, ſed ſpiritus ſanctus. Traditu-
rus eſt autem frater fratrem in mortem, & pater fi-
lium, & inſurgent filij aduerſus parentes, ac morte
afficient eos. Et eritis odio habiti ab omnibus pro-
pter nomen meum. Sed qui perſeuerauerit uſq; ad fi-
nem, hic ſaluus erit. * *Porrò cum uideritis abomina-* 142
tionem deſolationis, de qua dictum eſt à Daniele pro VI
pheta, ſtantem ubi nõ oportet, qui legerit, intelligat:
* *tunc qui fuerint in Iudæa, fugiant ad montes. Qui* 143
uero fuerit in tecto, ne deſcendat in domum, nec in- II
grediatur ut quicq̃ tollat è domo ſua. Et qui fuerit
in agro, ne reuertatur ad ea quæ reliquit à tergo, ad
tollendum pallium ſuum. * *Væ autem prægnantibus* 144
& lactantibus in illis diebus. * *Sed orate, ne fiat fuga* II
uestra hyeme. * *Erunt enim dies illi talis afflictio,* 145
qualis non fuit à primordio rerum cõditarum, quas VI
condidit deus, uſq; ad hoc tempus, nec futura eſt. * *Et* 146
niſi dominus abbreuiaſſet dies, haudquaquam ſalua II
fuiſſet uniuerſa caro. Sed propter electos, quos ele- 147
git, abbreuiauit dies. * *Ac tum ſi quis uobis dixerit:* VI
Ecce hic Chriſtus, ecce illic: ne credatis. * *Exorien-* 148
tur pſeudochriſti, & pſeudoprophetæ, & ædent ſig- II
na ac prodigia ad decipiendũ, ſi fieri poſſit, etiã elec- 149
ctos. Vos autem cauete, ecce prædixi uobis omnia. VI
* *Cæterum in illis diebus poſt afflictionem illam ſol* 150

 obtenebrabitur, II

obtenebrabitur, & luna nõ dabit ſplendorem ſuum,
& ſtellæ cœli decidẽt, & uirtutes quæ in cœlis ſunt,
151 concutientur.* Et tunc uidebunt filium hominis ueni
11 entem in nubibus cum poteſtate multa & gloria: &
tunc mittet angelos ſuos, & aggregabit electos ſu/
os à quatuor uentis, à ſummo terræ uſq; ad ſummũ
cœli. A ficu uero diſcite ſimilitudinem: cum ramus
eius iam tener fuerit, produxeritq; fõlia, ſcitis quod
prope ſit æſtas. Sic & uos, cũ hæc uideritis fieri, ſci/
tote quod prope ſit in fõribus. Amẽ dico uobis, quod
non præteribit generatio hæc, donec omnia hæc fa/
cta fuerint. Cœlum & terra præteribunt, ſed uerba
152 mea non præteribunt.* Cæterum de die illo ac tem/
V 1 pore nemo nouit, ne angeli quidem qui in cœlo ſunt,
153 nec ipſe filius, ſed ſolus pater. * Cauete, uigilate &
V 1 orate, neſcitis enim quando tempus ſit. * Sicut homo
154 qui peregre agit, relicta domo ſua, deditq; ſeruis ſuis
11 poteſtatẽ, ac ſuum cuiq; opus, & ianitori mandauit
155 ut uigilaret. * Vigilate igitur, neſcitis enim quando
11 dominus domus uenturus ſit, ſero, an medio noctis,
an in gallicinio, an diluculo: ne ſi uenerit repente,
offendat uos dormientes. Cæterum quæ dico uobis,
omnibus dico, uigilate.

156 CAPVT XIIII

1 *Erat autem paſcha, & azymorũ dies futuri
157 poſt biduũ.* Et quærebant ſummi ſacerdotes
V 1 &

& ſcribæ,quomodo eum per dolum comprehenſum occiderent.Dicebant autẽ:Non in die feſto,ne tumultus fiat populi. * Et cum eſſet Bethaniæ in domo Si- 158
monis leproſi,accũbente eo,uenit mulier habẽs ala- I
baſtrum unguenti nardi piſticæ precioſæ:& cõminuto alabaſtro,effudit illi in caput.*Erant aũt quidam 159
qui indignarentur apud ſeſe, ac dicerent: Ad quid perditio hæc unguenti?Nam poterat hoc uendi pluris quàm trecentis denarijs, ac dari pauperibus. Et infremuerunt aduerſus illam. At Ieſus dixit:Sinite illam,cur illi moleſti eſtis?bonum opus operata eſt erga me.Semper enim pauperes habetis uobiſcum, & quandocunq; uolueritis,poteſtis illis benefacere, me uero non ſemper habetis:quod potuit,hæc fecit, præuenit ut ungeret meum corpus ad ſepulturam. Amẽ dico uobis,ubicunq; prædicatum fuerit Euangelium hoc in totum mundum,etiam hoc quod fecit hæc,dicetur in memoriam ipſius.*Et Iudas Iſcariotes,unus 160
è duodecim, abijt ad ſummos ſacerdotes, ut prode- II
ret eum illis.Quo audito,illi gauiſi ſunt, & polliciti ſunt ei pecuniam ſe daturos. Et quærebat quomodo opportune illũ traderet.Ac primo die azymorũ, cũ paſcha immolarẽt, dicũt illi diſcipuli ſui: Vbi uis ut abeamus et paremus ut edas paſcha?Et emittit duos è diſcipulis ſuis,& dicit illis:Ite in ciuitatẽ,et occurret uobis homo hydriã fictilẽ aquæ plenã baiulans,

ſequimini illum,& quocunq; ingreſſus fuerit, dicite
patrifamilias: Magiſter dicit,ubi eſt diuerſoriũ, ubi
paſcha cum diſcipulis meis edam? Et ille uobis oſten
det triclinium magnum,ſtratum,paratum,illic para
te nobis. Et exierunt diſcipuli eius,& uenerunt in ci
uitatem, & repererunt, quemadmodum dixerat il/
lis,parauerunt́q; paſcha. Et cum ueſpera iam eſſet,
uenit cum duodecim. Et cum accumberent, ederént/
161 que,*dixit Ieſus: Amẽ dico uobis,unus ex uobis pro
IIII ditурus eſt me,qui edit mecum.* At illi cœperunt eſſe
162 mœſti ac dicere illi ſingulatim: Num ego? Et alius:
I Num ego? * Ille uero reſpondens, dixit illis:unus ė
163 duodecim qui intingit mecum in catinum. Filius qui
II dem hominis uadit, ſicut ſcriptum eſt de illo, ſed uæ
164 homini illi,per quem filius hominis proditur:*Bonũ
VI erat illi,ſi natus non fuiſſet homo ille. * Et edentibus
165 illis, ſumpto Ieſus pane cum benedixiſſet, fregit &
I dedit illis,ac dixit: Sumite,comedite, hoc eſt corpus
166 meum.* Et accepto poculo,cum gratias egiſſet, de/
II dit illis. Et biberunt ex eo omnes. Et dixit illis: Hic
eſt ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro multis ef/
167 funditur. * Amen dico uobis, poſthac non bibam de
VI fructu uitis uſq; ad diem illum,cum illud bibero no/
uum in regno dei. Et cum hymnum dixiſſent, exie/
168 runt in montem oliuarũ. Et dicit illis Ieſus: * Omnes
IIII offendiculũ patiemini propter me in nocte hac:quia
ſcriptum

*ſcriptum eſt.*Percutiam paſtorem,& diſſpergentur*	169
oues. Sed poſtea quàm reſurrexero, præcedam uos	VI
in Galilæam.Petrus autem dixit illi: Etiam ſi om/*	170
nes offendiculum paßi fuerint,at non ego.Et dicit il	I
li Ieſus:Amen dico tibi,quod hodie in nocte hac pri/	171
us quàm bis gallus cecinerit,ter abnegabis me. At*	VI
ille uehementius dicebat:Imò ſi me oportuerit com/	172
mori tibi,non te abnegabo. Similiter autem & om/	I
*nes dicebant.*Et ueniunt in locum,cuius nomen Ge*	173
thſemani.Et dicit diſcipulis ſuis: Sedete hic,donec*	VI
digreſſus orauero.Et aſſumit Petrum, & Iacobum,	174
& Ioannem ſecũ,cœpitq; expaueſcere & angi. Et*	IIII
dicit illis:Dolore afficitur anima mea uſq; ad mortẽ,	175
manete hic,& uigilate. Et progreſſus paululũ,pro*	I
ſtratus eſt in terram, & orauit, ut ſi poßibile eſſet,	
tranſiret à ſe hora, & dicebat: Abba pater, omnia	176
*poßibilia ſunt tibi,aufer poculum à me hoc.*Verun*	I
tamen non quid ego uelim,ſed quid tu. Et uenit,&*	177
offendit eos dormientes,dicitq; Petro:Simõ dormis?	II
non potuiſti unam horam uigilare?Vigilate & ora	
*te,ne ueniatis in tentationẽ.*Spiritus quidem prom*	178
ptus,at caro infirma. Et rurſum digreſſus orabat,*	IIII
& eundem dixit ſermonem. Et reuerſus offendit il/	179
los rurſum dormientes:erant enim oculi eorum gra	VI
uati, neque ſciebant quid illi reſponderent. Et uenit	
tertio,dicitq; illis: Dormite poſthac & requieſcite.	

180 Sufficit.* Venit hora,ecce traditur filius hominis in
IIII manus peccatorum.Surgite,eamus. Ecce qui prodit
181 me,appropinquat.*Et continuo adhuc eo loquente,
I accedit Iudas,qui erat unus è duodecim, & cum illo
turba multa cum gladijs & fuſtibus à ſummis ſacer
182 dotibus & ſcribis & ſenioribus.* Dederat autem is
II qui prodebat eum , commune ſignum illis , dicens :
Quencunq; oſculatus fuero,is eſt,comprehendite il/
lum,& abducite caute.Et cum ueniſſet,protinus ac/
cedit ad illum,dicitq; ei:Rabbi rabbi: ac deoſculatus
eſt eum.Illi uero iniecerunt in illum manus ſuas, &
185 comprehenderunt eum.*Vnus autẽ quiſpiam aſtan/
I tium educto gladio,percuſsit ſeruum ſummi ſacerdo
tis,& amputauit eius auriculam. Et reſpondens Ie/
ſus, dixit illis : Tanquam ad latronem exiſtis cum
184 gladijs ac fuſtibus ad comprehendendum me,*quo/
I tidie eram apud uos in templo docens, & non com/
185 prehendiſtis me:* ſed iſta fiunt,ut impleantur ſcrip/
V I turæ.Et relicto illo,omnes fugerunt.*Et unuſquiſpi/
186 am adoleſcentulus ſequebatur illum circumamictus
X ſindone ſuper nudum,& cõprehenderunt illum ado
leſcentuli.Ille uero relicta ſindone, nudus effugit ab
187 illis .* Et abduxerunt Ieſum ad ſummum ſacerdo/
I tem, & conueniunt cum illo omnes ſummi ſacerdo/
188 tes, & ſeniores, & ſcribæ .* Et Petrus eminus ſe/
IIII quebatur illum, donec ueniſſet in atrium ſummi ſa/
cerdotis

cerdotis: & erat ſedens unà cum miniſtris, & ca/
lefiebat, ad lumen. * Summi uero ſacerdotes & to/ 189
tum concilium quærebant aduerſus Ieſum teſtimo/ 11
nium, ut morti traderent eum, nec inueniebant.
Nam multi falſum teſtimonium dixerant aduerſus il
lum, nec erant ſatis idonea teſtimonia. * Et quidam 190
aſſurgebant, & falſum teſtimonium ferebant aduer/ VI
ſus illum, dicentes: Nos audiuimus eũ dicentem: Ego
diruam templum hoc, quod eſt manibus factum, &
tribus diebus aliud ſine manibus factum extruam. Et
ne ſic quidem ſatis idonea erant teſtimonia illorum.
Et ſurgens ſummus ſacerdos in mediũ, interrogabat
Ieſum, dicens: Non reſpondes quicquam? Quid iſti
aduerſum te dicunt teſtimonia? At ille tacebat, neq;
quicquam reſpondebat. Rurſum ſummus ſacerdos
interrogauit, & dicit illi: Tu es ille Chriſtus filius
benedicti? Ieſus autem dixit: Ego ſum: * & uidebitis 191
filium hominis ſedentẽ à dextris uirtutis, & uenien/ I
tem in nubibus cœli. * Summus autẽ ſacerdos dilace/ 192
ratis ueſtibus ſuis dixit: * Quid præterea opus habe/ VI
mus teſtibus? Audiſtis blaſphemiã. Quid uobis uide
tur? Illi uero omnes cõdemnauerunt eũ eſſe reũ mor 11
tis. * Et cœperunt quidam cõſpuere in eũ, & obuela/ 194
re faciem illius, & colaphis eum cædere, & dicere I
illi: Diuina. Ac miniſtri alapas illi impingebant. * Et 195
cũ eſſet Petrus in atrio inferius, uenit una ancillarũ I

ſummi ſacerdotis,cumq; uidiſſet Petrum calefacien-
tem ſe, intuita illum dicit:Et tu cum Nazareno Ieſu
fuiſti?At ille negauit,dicens:Nõ noui,neq; ſcio quid
196 *dicas.* Et exiuit foras in ueſtibulum, & gallus ceci-*
I *nit.Et ancilla cum uidiſſet eum,rurſum cœpit dicere*
his qui aſtabant:Hic ex illis eſt. At ille rurſum nega-
bat.Ac paulo poſt iterum,qui aſtabant,dicebant Pe-
tro:Vere ex illis es,nam & Galilæus es, & loquela
tua conuenit.At ille cœpit execrari ac deierare:Nõ
noui hominem iſtum,de quo dicitis.Et iterum gallus
197 *cecinit * Recordatusq; eſt Petrus uerbi quod dixe-*
II *rat illi Ieſus:Priuſquam gallus cecinerit bis,abnega-*
bis me ter.cœpitq; flere.

CAPVT XV

198 **Et confeſtim diluculo cõcilio inito,ſummi ſa-*
II *cerdotes cum ſenioribus & ſcribis ac toto cõ-*
199 *ſeſſu,*uinctum Ieſum abduxerunt,tradiderunteq; Pi-*
I *lato.*Et interrogauit eum Pilatus:Tu es ille rex Iu-*
200 *dæorum?At ille reſpondens,dixit illi:Tu dicis.Et ac-*
I *cuſabant eum ſummi ſacerdotes de multis. Pilatus*
autem rurſus interrogauit illum,dicens:Non reſpon-
des quicquam?ecce quàm multa aduerſus te teſtan-
tur? Ieſus autem deinde nihil reſpondit, adeo ut ad-
201 *miraretur Pilatus.* Cæterum in feſto dimittebat il-*
IIII *lis unum uinctum,quemcunq; poſtulaſſent.* Erat au-*
202 *tem qui dicebatur Barrabas, qui cum ſeditionis au-*
II

toribus

toribus fuerat uinctus,qui per ſeditionem cædem pa
trauerant.Et cum acclamaſſet turba, cœpit flagita/
re,*ut faceret, quemadmodum ſemper fecerat ipſis. 203
Pilatus autem reſpondit eis,dicens:Vultis dimittam IIII
uobis regem illum Iudæorũ?Sciebat enim,quod pro
pter inuidiam tradidiſſent illum ſummi ſacerdotes.
*Summi uero ſacerdotes concitauerunt turbam, ut 204
potius Barrabam dimitteret ipſis.*Pilatus autẽ re/ I
ſpondens rurſum,aìt illis:Quid igitur uultis faciam 205
ei,quem dicitis regem Iudæorũ? At illi rurſum cla/ I
mauerũt: Crucifige iſtũ.Pilatus autem dicebat illis,
Quid enim mali fecit? At illi uehementius clamaue/
runt:Crucifige eum. * Pilatus uero uolens turbæ fa/ 206
cere ſatis, dimiſit illis Barrabam, & tradidit Ieſum I
flagellatum,ut crucifigeretur.*Milites autem abdu 207
xerunt eum intrò in atrium,quod eſt prætorium,& IIII
conuocant totam cohortem : & induunt illum pur/ 208
pura,& circunponunt ei contextã ſpinis coronam, VI
& cœperunt ſalutare illum:Aue rex Iudæorũ.* Et
uerberabant illius caput arundine,& inſpuebant in
illum,& poſitis genibus adorabant illum.Et cum il
luſiſſent ei,exuerunt eum purpura, & induerunt il/
lum ueſtibus proprijs,& educunt eum ut crucifige/
rent eum.*Et coëgerunt prætereuntem quendam Si 209
monem Cyrenenſem, qui ueniebat ex agro, patrem I
Alexandri & Rufi,ut tolleret crucem eius. Et du/

cunt eum in Golgotha locum,quod eſt,ſi interprete
211 ris, Caluariæ locus .* Et dederunt illi bibere myr/
IIII rhatum uinum,ſed ille non ſumpſit.* Cumq; crucifi/
212 xiſſent eum, partiti ſunt ueſtimenta eius, mittentes
I ſortem ſuper illa,quis quid tolleret.*Erat autem ho
213 ra tertia,& crucifixerũt eũ.*Et erat inſcriptio cau
X ſæ illius inſcripta:Rex Iudæorum.*Et cum eo cruci/
214 figunt duos latrones, unum à dextris, & alterum à
I ſiniſtris eius.*Et impleta eſt ſcriptura quæ dicit: Et
215 cum iniquis deputatus eſt.*Et qui præteribant,con/
I uiciabantur illi,mouentes capita ſua,ac dicentes:Væ
216 qui demoliris templum,& in tribus diebus extruis,
VIII ſerua teipſum,& deſcende de cruce .* Similiter &
217 ſummi ſacerdotes illudentes inter ſeſe cum ſcribis,
VI dicebant:Alios ſeruauit,ſeipſum ſeruare non poteſt.
218 Chriſtus ille rex Iſraël deſcendat nunc de cruce, ut
II uideamus & credamus .* Et qui crucifixi fuerant
219 cum illo,probra iaciebant in eum.* Cum uero facta
II eſſet hora ſexta,tenebræ ortæ ſunt ſuper totam ter-
220 ram,uſq; ad horam nonam.*Et hora nona clamauit
II Ieſus uoce magna,dicens : Eloi,eloi lamaſabachtha/
221 ni: quod eſt, ſi quis interpretetur : Deus meus, deus
VI meus,cur me deſeruiſti? Et quidam aſtantium, cum
222 audiſſent, dicebant: Ecce Heliam uocat. * Accurrit
II autẽ quidam, & impleta ſpongia aceto, impoſitaq;
223 arudinini,porrexit illi potum,dicens:* Sinite,uidea
I mus

mus an uenturus ſit Helias ad deponendũ eum. Ieſus autẽ, emiſſa uoce magna, expirauit. * Et uelũ templi 224
ſciſſum eſt in duas partes à ſummo uſq; ad imũ. * Cũ II
uidiſſet autem centurio, qui aſtabat ex aduerſo illi, 225
quod ſic emiſſo clamore expiraſſet, dixit: Vere ho/ II
mo hic filius erat dei. * Erant autẽ & mulieres è lon 226
ginquo ſpectantes, inter quas erat Maria Magdale/ VI
ne, & Maria Iacobi parui & Ioſe mater, et Salome:
quæ etiam, cũ eſſet in Galilæa, ſequutæ fuerant illũ,
& miniſtrauerãt ei: aliæq; cõplures, quæ ſimul aſcẽ/
derant cum eo Hieroſolymã. * Et cũ iam ueniſſet ue/ 227
ſpera, quoniam erat paraſceue, quæ præcedit ſabba- I
tum, uenit Ioſeph ortus ex ciuitate Arimathæa, hone
ſtus ſenator, qui & ipſe erat expectans regnũ dei:
& ſumpta audacia, ingreſſus eſt ad Pilatũ, & petijt
ab eo corpus Ieſu. Pilatus autẽ admiratus eſt, ſi iam
mortuus eſſet: & accerſito ad ſe centurione, interro/
gauit illum, an iam dudũ mortuus fuiſſet. Et re cog/
nita ex centurione, donauit corpus ipſi Ioſeph. * Et 228
is mercatus ſindonẽ, depoſitũ eum inuoluit ſindoni, I
depoſuitq; in monumento, quod erat exciſum è pe/
tra. Et aduoluit lapidẽ ad oſtiũ monumenti. * At Ma 229
ria Magdalene & Maria Ioſe ſpectabant ubi pone/ VI
retur.

CAP. XVI

E * T cum præteriſſet ſabbatum, Maria Magda 230
lene, & Maria Iacobi, & Salome, emerũt aro VIII
mata,

231 mata,ut uenirent & ungerent eum. * Et ſummo di/
I luculo diei primi ſabbatorum ueniunt ad monumen
tum,exorto ſole, dicebantq; inter ſeſe : Quis reuol/
uet nobis lapidem ab oſtio monumenti ? Et cum re-
ſpexiſſent,uident lapidem eſſe reuolutum: nam erat
magnus ualde.Et ingreſſæ in monumentum, uiderũt
adoleſcentem ſedentem à dextris, amictũ ſtola can/
232 dida,& expauerũt.* At ille dicit eis:Ne expaueſca/
II tis,Ieſum quæritis Nazarenũ,qui fuit crucifixus,ſur
rexit,non eſt hic:ecce locus ubi poſuerant illum.Sed
abite,dicite diſcipulis eius & Petro , quod ille præ/
cedit uos in Galilæam:illic eum uidebitis, ſicut dixit
233 uobis.*Et abeuntes,cito fugerunt à monumento. Ha
II bebat enim illas tremor & ſtupor , neque cuiquam
quicquam dicebant,timebant enim.Cum ſurrexiſſet
autem Ieſus mane primo die ſabbati , apparuit pri/
mum Mariæ Magdalenæ,de qua ciecerat ſeptem dæ
monia. Illa profecta renunciauit his, qui cũ illo fue/
rant , lugentibus ac flentibus . Et illi cum audiſſent
quod uiueret,ac uiſus eſſet ab illa, non crediderunt.
234 *Poſt hæc autem duobus ex ipſis ambulantibus ap/
VIII paruit in alia forma,euntibus rus.Et illi abierunt,ac
235 renunciarũt reliquis,nec his illi crediderũt.*Poſtea
X diſcumbentibus illis undecim apparuit , & expro/
brauit illis incredulitatẽ ſuam, & cordis duriciem,
quod his qui ipſum uidiſſent reſuſcitatũ, non credi/
diſſent.

dissent. Et *dicebat eis:* Ite *in mundum uniuersum,* & *prædicate* Euangeliũ *omni creaturæ:* Qui *credide*rit, & *baptizatus fuerit, saluus erit: qui uero nõ cre*diderit, *condemnabitur.* Porrò *signa eos qui credide*rint, *hæc subsequentur:* Per *nomen meum dæmonia eijcient, linguis loquentur nouis, serpentes tollent:* & *si quid letale biberint, nõ nocebit eis.* Super *ægro*tos *manus imponent,* & *bene habebunt.* Itaq; *domi*nus *quidem postquàm loquutus fuisset eis, receptus est in cœlũ,* & *consedit à dextris dei.* Illi *uero egres*si, *prædicauerunt ubiq; domino cooperante,* & *ser*monem *confirmante per signa subsequentia.*

EVANGELII SECVNDVM
Marcum finis.

VITA SANCTI LVCAE
per diuum Hieronymum.

LVCAS *medicus* Antiochensis, *ut eius scripta indicant,* Græci *sermonis nõ ig*narus *fuit, sectator apostoli* Pauli, & *omnis peregrinationis eius comes, scri*psit Euangelium: *de quo idem* Paulus: Misimus, *in*quit, *cũ illo fratrem, cuius laus est in* Euangelio *per omnes ecclesias.* Et *ad* Colossenses: Salutat *uos* Lu*cas medicus charissimus.* Et *ad* Timotheum: Lucas *est mecum solus.* Aliud *quoque ædidit uolumen egre*

gium,

gium, quod titulo, πράξεις ἀποστόλων, prænotatur, cuius historia usque ad biennium Romæ cõmorantis Pauli peruenit, id est, usq; ad quartũ Neronis annũ. Ex quo intelligimus, in eadem urbe librũ esse cõpositum. Igitur περιόδους Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, ut indiuiduus comes apostoli, inter cæteras eius res, hoc solũ ignorauerit? Sed & Tertulianus uicinus eorũ temporũ, refert presbyterũ quendam in Asia ἀποστασίῳ apostoli Pauli, conuictũ apud Ioannẽ, quod autor esset libri, & cõfessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse. Quidam suspicantur, quotiescunq; in epistolis suis Paulus dicit, iuxta Euangeliũ meũ, de Lucæ significare uolumine: & Lucam nõ solum ab apostolo Paulo didicisse Euangeliũ, qui cum domino in carne non fuerat, sed à cæteris apostolis, quod ipse quoq; in principio sui uoluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi uiderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Euangeliũ, sicut audierat, scripsit. Acta uero apostolorum, sicut uiderat, cõposuit. Vixit octoginta et quatuor annos, uxorem nõ habens. Sepultus est Constantinopoli, ad quã urbem uicesimo Constantij anno, ossa eius cum reliquijs Andreæ apostoli translata sunt de Achaia.

FINIS.

Euangelium

EVANGELIVM
SECVNDVM LVCAM.

VONIAM *complures aggreſsi ſunt contexere narrationem eorum quæ inter nos certiſsimæ fidei ſunt, rerum: ſicuti tradiderunt nobis hi, qui ab initio ſuis oculis uiderant, ac pars aliqua fuerant eorum quæ narrabant: uiſum eſt & mihi, ut cunctis ab initio exacta diligentia perueſtigatis, deinceps tibi ſcriberẽ optime Theophile, quo agnoſcas eorum, de quibus edoctus fueras, certitudinem.*

CAPVT I

ERat in diebus Herodis regis Iudææ ſacerdos quidam nomine Zacharias, de uice Abia: & uxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Elizabet. Erant autem iuſti ambo coram deo, uerſantes in omnibus præceptis & iuſtificationibus domini irreprehenſibiles: nec erat illis proles, eo quod eſſet Elizabet ſterilis, & ambo prouectæ iam eſſent ætatis. Factum eſt autem, cum is ſacerdotio fungeretur in ordine uicis ſuæ coram deo, ſecundum conſuetudinem functionis ſacerdotalis, ſors illi obuenit, ut odores incenderet, ingreſſus in templum domini:

&

& omnis multitudo populi precabatur foris tempo re thymiamatis. Apparuit autem illi angelus domi ni, ſtans à dextris altaris, in quo thymiamata ſolent adoleri. Et Zacharias turbatus eſt eo uiſo, ac timor irruit ſuper eum. Ait autem ad illum angelus: Ne ti meas Zacharia, quoniã exaudita eſt deprecatio tua. Vxorq; tua Elizabet pariet tibi filiũ, & uocabis no men eius Ioannem: & erit gaudium tibi & exulta tio, & multi ſuper eius natiuitate gaudebunt. Erit enim magnus coram domino, & uinũ ſiceramq; non bibet. Et ſpiritu ſancto replebitur iam inde ab utero matris ſuæ, multosq; filiorum Iſraël conuertet ad do minum deum ipſorum. Et ipſe præcedet ante illum cum ſpiritu & uirtute Heliæ, ut conuertat corda pa trum in filios, & inobedientes ad prudentiam iuſto rum, ut paret domino plebẽ perfectam. Et dixit Za charias ad angelum: Quo argumento iſtud cogno ſcam? Ego enim ſum ſenex, & uxor mea prouectæ æ tatis eſt. Ac reſpondẽs angelus, dixit ei: Ego ſum Ga briel, q aſtiti in conſpectu dei, miſſusq; ſum ut loquar ad te, & hæc tibi læta nunciem. Et ecce fiaurũ eſt, ut ſis tacitus, nec fari poßis ad eũ uſq; diem, quo hæc fi ant, eo quod nõ credidiſti uerbis meis, quæ implebun tur in tẽpore ſuo. Et erat populus expectans Zacha riam, et mirabantur q, moraretur in templo. Egreſ ſus autẽ nõ poterat loqui illis. Et cognouerunt quod uiſionem

uisionem uidisset in templo. Et ipse innuebat illis, permansitq; mutus. Et accidit ut impleti sunt dies officij eius, abijt in domum suam. Post hos autẽ dies concepit Elizabet uxor eius, & occultabat se mensibus quinq;, dicẽs: Sic fecit mihi dominus in diebus, quibus me respexit, ut auferret probrum meum inter homines. In mense autem sexto missus est angelus Gabriel à deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazareth, ad uirginem desponsam uiro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid, ac nomen uirginis Maria. Et ingressus angelus ad eam, dixit: Aue gratiosa, dominus tecum, benedicta tu inter mulieres. Illa uero cum uidisset, turbata est super oratione eius, & cogitabat qualis esset illa salutatio. Et ait angelus ei: Ne timeas Maria, nacta es enim gratiã apud deum. Ecce concipies in utero, & paries filium, & uocabis nomen eius Iesum. Is erit magnus, & filius altissimi uocabitur: & dabit illi dominus deus sedem Dauid patris ipsius, regnabitq; super domum Iacob in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad angelum: Quomodo erit istud, quandoquidem uirum nõ cognosco? Et respondens angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superuenit in te, & uirtus altissimi obũbrabit tibi. Quapropter & quod nascetur sanctum, uocabitur filius dei. Atque ecce Elizabet cognata tua, & ipsa concepit filium

Matth. 1

Esa. 7

in ſenectute ſua: & hic menſis eſt ſextus illi, quæ dicebatur ſterilis: quia nõ erit impoſſibile apud deum omne uerbum. Dixit autem Maria: Ecce ancilla domini, fiat mihi ſecundum uerbum tuum. Ac diſceſſit ab illa angelus. Exurgens autem Maria in diebus his, abijt in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, ac ſalutauit Elizabet. Et factum eſt, ut audiuit ſalutationẽ Mariæ Elizabet, ſalijt infans in utero eius. Et repleta eſt ſpiritu ſancto Elizabet, exclamauitq; uoce magna, & dixit: Benedicta tu inter mulieres, & benedictus fructus uentris tui. Et unde hoc mihi, ut ueniat mater domini mei ad me? Ecce enim ut facta eſt uox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit præ gaudio infans in utero meo. Et beata quæ credidit: quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt ei à domino. Et ait Maria: Magnificat anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in deo ſeruatore meo. Quia reſpexit ad humilitatẽ ancillæ ſuæ: ecce enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes: Quia fecit mihi magnifica qui potens eſt, & ſanctum nomen eius: Et miſericordia eius in progeniẽ & progeniem, timentibus ipſum. Præſtitit robur per brachium ſuum, diſperſit ſuperbos cogitatione cordis ipſorum. Detraxit potẽtes de ſedibus, & euexit humiles. Eſurientes impleuit bonis, & diuites dimiſit inanes

inanes. Suſcepit Iſraël puerũ ſuum, ut memor eſſet miſericordiæ : Sicut locutus eſt ad patres noſtros, nimirũ Abrahamo & ſemini eius in æuũ. Mãſit aũt Maria cum illa circiter menſibus tribus, & reuerſa eſt in domum ſuam. Elizabetæ uero impletum eſt tempus pariendi, & peperit filiũ Et audierunt uicini & cognati eius, quod magnifice dominus miſericordia ſua uſus eſſet erga illã, & gratulabantur ei. Et factum eſt in die octauo, uenerũt ad circunciden dum puerum, & uocabant eũ nomine patris ſui Zachariam. Et reſpõdens mater eius, dixit: Nequaquã, ſed uocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Nemo eſt in cognatione tua, qui uocetur iſto nomine. Innuebant autem patri eius, quid uellet uocari eum. Iſq; poſtulatis tabellis ſcripſit, dicens : Ioannes eſt nomen eius. Et admirati ſunt uniuerſi. Apertum eſt autem os eius illico, & lingua eius, & loquebatur laudans deum. Et peruaſit timor omnes uicinos eorum, & per omnem montanam regionem Iudææ diuulgabantur omnia uerba hæc, & poſuerunt omnes qui audierant in corde ſuo, dicẽtes : Quid nam puer hic erit? Et manus domini erat cũ illo: & Zacharias pater eius repletus eſt ſpiritu ſancto, prophetauitq;, dicẽs: Laudãdus dominus deus Iſraël, quia uiſitauit & fecit redemptionem populo ſuo. Et erexit cornu ſalutis nobis in domo Dauid pueri ſui:

Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo fuerunt, prophetarum suorum, Forc ut seruaremur ab inimicis nostris, & de manu omniũ qui oderũt nos: Vt uteretur misericordia erga patres nostros, ac memor esset testamenti sui sancti. Præstaretq; iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrũ: ac daret nobis, Vt sine timore de manu inimicorum nostrorum liberati, seruiremus ipsi, Cum sanctitate & iustitia coram ipso, cunctis diebus uitæ nostræ. Et tu puer propheta altissimi uocaberis, præibis enim ante faciem domini, ad parãdum uias eius: Ad dandam scientiã salutis populo ipsius, per remissionem peccatorum eius: Per uiscera misericordiæ dei nostri, quibus uisitauit nos oriens ex alto: Vt illuce sceret his qui in tenebris & umbra mortis sedebãt, ad dirigendos pedes nostros in uiam pacis. Puer autem crescebat & corroborabatur spiritu, & erat in desertis, donec ueniret dies, quo ostendẽdus erat apud Israëlitas.

CAP. II

FActum est autẽ in diebus illis: Exijt decretum à Cæsare Augusto, ut censeretur totus orbis. Hæc descriptio prima facta est præside Syriæ Cyrenio. Et ibant omnes ut profiterẽtur, in suam quisq; ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa, de ciuitate Nazareth, in Iudæam, in ciuitatem Dauid, quæ uocatur Bethleem, eo quod esset de domo & familia

milia Dauid, ut profiteretur cum Maria desponsa
sibi uxore, quæ erat prægnãs.* Accidit autem cum 2
essent ibi, completi sunt dies pariendi. Et peperit fi V
lium suum primogenitũ, ac fascijs eum inuoluit,* re 3
clinauitq; eum in præsepi, quod non esset eis locus 1
in diuersorio. Et pastores erant in regione eadem
uigilantes, & excubantes excubias nocte super gre
gem suũ. Et ecce angelus domini astitit illis, & cla
ritas domini circunfulsit illos, & timuerunt timore
magno. Et dixit illis angelus: Ne timeatis. Ecce enĩ
annuncio uobis gaudium magnum, quod futurũ est
toti populo: quia natus est uobis hodie seruator, qui
est Christus dominus, in ciuitate Dauid. Et hoc uo/
bis signum: Inuenietis infantem fascijs inuolutũ, po/
situm in præsepi. Et subito facta est cũ angelo mul/
titudo militiæ cœlestis laudantium deum, & dicen/
tiũ: Gloria ĩ altissimis deo, ac in terra pax, in homi
nibus bona uoluntas. Et factum est, ut discesserũt ab
eis angeli in cœlum, & homines pastores loqueban
tur inter sese: Transeamus iã Bethleẽ usq;, & uidea
mus hoc quod audiuimus accidisse, quod dominus
aperuit nobis. Et uenerũt festinantes, & inuenerũt
Mariam & Ioseph, & infantem positum in præse/
pi. Cum uidissent autem, diuulgauerunt de uerbo,
quod dictum erat ipsis de puero hoc. Et omnes qui
audierunt, mirati sunt de his, quæ dicta erant à pa/

ſtoribus ad ipſos. Porrò Maria conſeruabat omnia uerba hæc, cõferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores, glorificantes ac laudãtes deum ſuper omnibus quæ audierant & uiderant, ita ut dictũ fuerat ipſis. Et poſtquàm conſummati ſunt dies octo, ut circuncideretur puer, uocatum eſt nomen eius Ieſus, quod uocatum erat ab angelo prius quàm in utero
Leuit.12 conciperetur. Et poſtea quàm completi fuiſſent dies purgationis eorum ſecundum legem Moſi, adduxerunt eum Hieroſolyma, ut ſiſterent eum domi-
Exo.34 no: ſicut ſcriptum eſt in lege domini: Omne maſculi-
Num.8 num adaperiens uuluam, ſanctum domino uocabitur: & ut darent hoſtiam ſecundum quod dictũ eſt in lege domini, par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat Hieroſolymis, cui nomen Simeon, & homo iſte iuſtus ac pius, expectãs conſolationem Iſraël, & ſpiritus ſanctus erat ſuper eum. Et reſponſum acceperat à ſpiritu ſancto, nõ uiſurum ſe mortem, niſi prius uideret Chriſtum domini. Et uenit per ſpiritum in templum. Et cum inducerent puerum Ieſum parẽtes, ut facerent ſecũdum conſuetudinem legis pro eo, ipſe quoq; accepit eum in ulnas ſuas, & laudauit deum, ac dixit: Nũc dimittis ſeruum tuum domine ſecũdum uerbum tuum in pace: Quia uiderũt oculi mei ſalutare tuũ, quod paraſti ante faciem omniũ populorum: Lumẽ ad reuelationem

lationem gentium,& gloriam plebis tuæ Iſraël.Et erat pater & mater eius mirãtes ſuper his,quæ dicebãtur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius:Ecce poſitus eſt hic in ruinam,& in reſurrectionem multorũ in Iſraël, & in ſignũ cui contradicitur. Quin & tuã ipſius animã penetrabit gladius, ut retegantur ex multis cordibus cogitationes.Et erat Anna pphetiſſa filia Phanuël de tribu Aſer:hæc proceſſerat in multã ætatẽ, & uixerat cũ uiro annis ſeptẽ à uirginitate ſua.Et hæc uidua annorum fermé octoginta quatuor, quæ nõ diſcedebat de tẽplo, ieiunijs ac deprecationibus ſeruiẽs nocte ac die. Et hæc eadẽ hora ſuperueniẽs, uiciſsim cõfitebatur domino, & loquebatur de illo oĩbus q expectabãt redẽptionẽ Hieroſolymis.Et ut pfecerũt oĩa ſecũdũ legẽ domini,reuerſi ſunt in Galilæã in ciuitatẽ ſuã Nazareth. Puer autẽ ſuccreſcebat corroborabaturq; ſpiritu,& implebatur ſapiẽtia,et gratia dei erat ſuper illũ.Et ibãt parẽtes eius quotãnis Hieroſolymã in die feſto Paſchæ.Et cũ factus eſſet annorũ duodecim,aſcendẽtib.illis Hieroſolymã,ſecundũ conſuetudinẽ diei feſti,conſummatisq; diebus cũ redirent illi,remanſit puer Ieſus Hieroſolymis,& nõ cognouerunt parentes eius. Cæterũ rati illũ eſſe in comitatu, uenerũt itinere diei,& requirebãt eũ inter cognatos & inter notos.Et cũ

non inuenissent eũ, reuersi sunt Hierosolymam quæ
rentes eum. Et accidit post triduum, inuenerunt il-
lum in templo sedentem in medio doctorum, audien
4 tem illos, & interrogantem eos. *Stupebant autem
II omnes qui eum audiebant, super intelligentia & re
5 sponsis eius: & uiso eo, admirati sunt. * Et dixit ma
X ter eius ad illum: Fili, cur feci sti nobis sic? Ecce pa-
ter tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad
illos: Quid est quod quærebatis me? an nesciebatis
quod in his quæ patris mei sunt, oportet me esse? Et
illi non intellexerunt sermonem quem locutus est
ipsis. Et descendit cum eis, uenitq; Nazareth, eratq;
subditus illis. Mater autem eius conseruabat omnia
uerba hæc in corde suo. Et Iesus proficiebat sapien-
tia & ætate & gratia apud deum atq; homines.

CAP. III

ANno autem decimoquinto imperij Tiberij
Cæsaris, Pontio Pilato præside Iudææ, te-
trarcha uero Galilææ Herode, Philippo autem fra-
tre eius tetrarcha Iturææ & Trachonitidis regio-
nis, & Lysania Abilenes tetrarcha, sub pontificib.
Anna & Caipha, factum est uerbum domini super
6 Ioannem Zachariæ filium in deserto. * Et uenit in
IIII omnem regionem finitimam Iordani, prædicans ba
ptismum pœnitentiæ in remißionem peccatorum:
sicut scriptum est in libro sermonum Esaiæ prophe
tæ, di-

tæ,dicentis:*Vox clamãtis in deſerto, parate uiam 7
domini,rectas facite ſemitas eius . Omnis uallis im- I
plebitur,& omnis mõs & collis reddetur humilis. Eſa.40
Et fient quæ obliqua ſunt , directa : & aſperæ uer-
tentur in uias planas, & uidebit omnis caro ſaluta-
re dei.*Dicebat ergo ad turbas, quæ exibant ut ba 8
ptizarentur ab ipſo:Progenies uiperarũ, quis ſub- V
monſtrauit uobis ut fugeretis à uentura ira? facite
ergo fructus dignos pœnitentiæ:& ne cœperitis di
cere intra uoſipſos:Patrẽ habemus Abrahamũ. Di
co enim uobis , potens eſt deus de lapidibus iſtis ſu-
ſcitare filios Abrahamo . Iam uero & ſecuris ad
radicem arborũ poſita eſt . Omnis ergo arbor non
faciens fructum bonum,exciditur,& in ignem con-
ijcitur.*Et interrogabant eũ turbæ,dicentes:Quid 9
ergo faciemus?Reſpõdens autem,dicit illis:Qui ha X
bet duas tunicas,impertiat non habenti : & qui ha-
bet eſcas,ſimiliter faciat. Venerunt autem & publi
cani,ut baptizarentur, & dixerunt ad illum:Magi
ſter,quid faciemus? At ille dixit ad eos:Ne quid am
plius,quàm quod cõſtitutum eſt uobis,exigatis.In-
terrogabãt autem eum & milites,dicentes: Et nos
quid faciemus?Et ait illis : Ne quem concutiatis,ne
quem calumniemini:& cõtenti eſtote ſtipendijs ue-
ſtris . Expectante autem populo , & cogitantibus
omnibus in cordibus ſuis de Ioanne , num ipſe eſſet

ille Christus: respondit Ioannes, dicens uniuersis:
10 *Ego quidem aqua baptizo uos, sed uenict fortior*
I *me, cuius non sum dignus soluere corrigiam calcia*
mentorũ, ipse uos baptizabit spiritu sancto & igni:
11 *cuius uentilabrũ in manu ipsius, & purgabit aream*
V *suam: & congregabit triticum in horreum suum,*
paleas autem comburet igni inextinguibili. Multa
quidem & alia exhortans, euangelizabat populo.
12 Herodes autem tetrarcha, cum corriperetur ab il
II *lo de Herodiade uxore fratris sui, deq; omnibus ma*
lis quæ faciebat Herodes, adiecit & hoc super om
13 *nia, & inclusit Ioannem in carcerem.* Factum est
I *autem cum baptizaretur omnis populus, ut & Ie-*
su baptizato & orante, apertum sit cœlum, ac de-
scendit spiritus sanctus corporali specie, quasi co-
lumba in ipsum, & uox de cœlo facta est, quæ dice-
ret: Tu es filius ille meus dilectus, in te cõplacitum
14 *est mihi.* Et ipse Iesus incipiebat esse fermè anno-
III *rum triginta, ut putabatur, filius Ioseph, qui fuit fi-*
lius Heli, qui fuit Mathat, qui fuit Leui, qui fuit Mel
chi, qui fuit Ianne, q fuit Ioseph, qui fuit Matatthiæ,
qui fuit Amos, qui fuit Naum, qui fuit Hesli, qui fuit
Nagge, qui fuit Maath, qui fuit Matathiæ, qui fuit
Semei, qui fuit Iosech, qui fuit Iuda, qui fuit Ioanna,
qui fuit Rhesa, qui fuit Zorobabel, q fuit Salathiel,
qui fuit Neri, qui fuit Melchi, qui fuit Addi, qui fuit

Cosam

Coſam, qui fuit Helmadam, qui fuit Her, qui fuit Ieſo, qui fuit Heliezer, qui fuit Ioram, qui fuit Matha, qui fuit Leui, qui fuit Symeon, qui fuit Iuda, qui fuit Ioſeph, qui fuit Ionam, qui fuit Heliachim, qui fuit Meleam, qui fuit Menam, qui fuit Mathatha, qui fuit Nathan, qui fuit Dauid, qui fuit Ieſſe, qui fuit Obed, qui fuit Booz, qui fuit Salmon, qui fuit Naaſſon, qui fuit Aminadab, qui fuit Aram, qui fuit Eſrom, qui fuit Phares, qui fuit Iudæ, qui fuit Iacob, qui fuit Iſaac, qui fuit Abrahæ, qui fuit Tharræ, qui fuit Nachor, qui fuit Saruch, q fuit Ragau, qui fuit Phalec, qui fuit Heber, qui fuit Sale, qui fuit Cainan, qui fuit Arphaxat, qui fuit Sem, qui fuit Noë, qui fuit Lamech, qui fuit Mathuſala, qui fuit Enoch, qui fuit Iareth, qui fuit Malalehel, qui fuit Cainan, qui fuit Enos, qui fuit Seth, qui fuit Adam, qui fuit dei.

CAP. IIII

I*Eſus autem plenus ſpiritu ſancto, regreſſus 15
eſt à Iordane, & actus eſt per ſpiritum in 11
deſertum, ac diebus quadraginta tentabatur à
diabolo, * nihilqúe comedit in diebus illis: & 16
conſummatis illis, deinde eſuriit. Dixit autem V
illi diabolus: Si filius es dei, dic lapidi huic ut
panis fiat. Et reſpondit ad illum Ieſus, dicens:
Scriptum eſt: Non pane ſolo uiuet homo, ſed Deut.8
omni

omni uerbo dei. Et ſubduxit illum diabolus in mon-
tem excelſum, & oſtẽdit illi omnia regna orbis ter-
ræ in puncto temporis, & ait illi diabolus: Tibi da-
bo poteſtatem hãc uniuerſam, & gloriam illorum,
quia mihi tradita ſunt, et cuicũq;, uolo do illã: tu er-
go ſi adoraueris prouolutus coram me, erunt tua
omnia. Et reſpondens Ieſus, dixit illi: Abi poſt me ſa-
Deut. 6 tana. Scriptum eſt enim: Adorabis dominum deum
tuum, & illum ſolum coles. Et duxit illum Hieroſo-
lyma, ſtatuitq; eum ſuper pinnam templi, & dixit
Pſal. 90 illi: Si filius dei es, mitte teipſum hinc deorſum. Scri-
ptum eſt enim, quod angelis ſuis mandauit de te, ut
ſeruent te, & in manibus tollent te, ne offendas ad
lapidem pedem tuum. Et reſpondens Ieſus, ait illi:
Deut. 6 Dictum eſt: Non tentabis dominum deum tuum. Et
conſummata omni tentatione, diabolus receßit ab
illo uſq; ad tempus. Et reuerſus eſt Ieſus uirtute ſpi-
17 ritus in Galilæam: * & fãma exijt per uniuerſam
I regionem de illo. Et ipſe docebat in ſynagogis eo-
18 rum, & glorificabatur ab omnibus. * Et uenit Na-
X zareth, ubi erat nutritus, & intrauit ſecũdum con-
ſuetudinem ſuam die ſabbatorũ in ſynagogam, &
ſurrexit ut legeret. Et traditus eſt illi liber Eſaiæ
prophetæ, & ut explicuit librum, inuenit locũ ubi
Pſal. 61 ſcriptum erat: Spiritus domini ſuper me, propterea
quod unxit me, ad euãgelizandum pauperibus mi-
ſit me

*fit me, ut ſanem contritos corde: ut prædicem captiuis remiſſionem, & cæcis uiſum: ut emittam confractos per remiſſionem, ut prædicem annum domini acceptum. Et cõplicato libro reddidit miniſtro, ac reſedit. Et omnium in ſynagoga oculi erant defixi in eum. Cœpit autem dicere ad illos: Hodie impleta eſt hæc ſcriptura in auribus uestris. Et omnes teſtimonium illi dabant, & mirabãtur ſuper gratia ſermonum, qui procedebant ex ore ipſius, dicebantq;: *Nõne hic eſt filius Ioſeph? Et ait illis: *Omnino dicetis mihi hanc ſimilitudinẽ: Medice, cura teipſum. Quæcunq; audiuimus facta in Capernaum, fac & hic in patria tua. Ait autem: Amen dico uobis: *Nemo propheta acceptus eſt in patria ſua. * Sed in ueritate dico uobis, multæ uiduæ erant in diebus Heliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cœlum annis tribus & menſibus ſex, cum facta eſſet fames magna per omnem terram, & ad nullam illarũ miſſus eſt Helias, niſi in Sarephtha Sidonis ad mulierem uiduam. Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Heliſæo propheta, & nemo eorum mundatus eſt, niſi Naaman Syrus. Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hæc audientes. Et inſurrexerunt eiecerunt q; illum è ciuitate, & duxerunt illum uſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, ut præcipitarent eum. Ipſe autem tranſiens, per medium*

19 I 20 X 21 I 22 X

3.Reg.17 4.Reg.5

dium illorum ibat. * Et descendit Capernaum ciuitatem Galilææ, ibiq; docebat illos sabbatis. * Et stupebant super doctrina eius, quia cum potestate cõiunctus erat sermo ipsius. * Et in synagoga erat homo habens spiritum dæmonis immundi, & exclamauit uoce magna, dicens: Eia, quid tibi nobiscum est Iesu Nazarene? Venisti ad perdendum nos? Scio te qui sis, sanctus ille dei. Et increpauit illum Iesus, dicens: Obmutesce, & exi ab eo. Et cum proiecisset illum dæmonium in medium, exijt ab illo, nihilq; illi nocuit. Et factus est pauor super omnes, & colloquebantur inter sese, dicentes: Quis sermo hic est? quia cum autoritate ac potestate imperat immundis spiritibus, & exeunt? Et diuulgabatur fama de illo in omnem locũ undiq; finitimæ regionis. * Cum surrexisset autẽ Iesus de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur febri magna, & rogauerunt illum pro ea: & astans supra illam, increpauit febrem, & febris dimisit illam: statimq; surgens, ministrabat illis. Cum autem sol occideret, omnes qui habebant infirmos morbis uarijs, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens, sanabat eos. * Exibant autem & dæmonia à mutis, clamantia, ac dicentia: Tu es Christus ille filius dei. Et increpans nõ sinebat ea loqui, quod sciebant ipsum esse Christum. * Facto autem

die

die egreßus ibat in deſertum locum, & turbæ quæ rebant eum, & uenerunt uſq; ad ipſum, & detine/ bant illum,ne diſcederet ab eis. Quibus ille ait : Et alijs ciuitatibus oportet me euangelizare regnum dei:nam in hoc miſſus ſum. Et prædicabat in ſyna/ gogis Galilææ.

CAP. V

F *Actum eſt autem , cum turba immineret ei, 29
ut audiret uerbum dei , & ipſe ſtabat iuxta X
ſtagnum Genezareth , & uidit duas naues ſtantes
ad ſtagnum,piſcatores autem deſcenderant ex illis,
& abluebant retia. Ingreßus autẽ in unam nauim,
quæ erat Simonis, rogauit eum, ut à terra abduce/
ret puſillum:& ſedens docebat de naui turbas.* Vt 30
ceſſauit autem loqui,dixit ad Simonem: Duc in al/ IX
tum,& laxate retia ueſtra in capturam.Et reſpon/
dens Simon,dixit illi:Præceptor,per totam noctem
laborantes nihil cepimus , tamen tuo iußu laxabo
rete.Et cum hoc feciſſent, concluſerunt piſciũ mul/
titudinem copioſam . Rumpebatur autem rete eo/
rum.Et annuerãt ſocijs,qui erant in altera naui, ut
uenirent & adiuuarent ipſos:& uenerunt,atq; im/
pleuerunt ambas naues,ita ut mergerẽtur.* Quod 31
cum uideret Simon Petrus,accidit ad genua Ieſu,di X
cens : Diſcede à me domine , quia homo peccator
ſum . Stupor enim circundederat eum , & omnes
qui cum illo fuerant , ſuper captu piſcium quem
ceperant

ceperant: similiter autem Iacobum & Ioannem fi-
lios Zebedæi, qui erant socij Simoni. Et ait ad Simo
32 nem Iesus: *Ne metuas, posthac homines capies. Et
11 subductis in terram nauibus, relictis omnibus secu-
33 ti sunt eum. *Et accidit, cum esset in quadam ciuita-
11 te, & ecce uir plenus lepra, cumq; uidisset Iesum,
prostratus in faciem, rogauit eum, dicens: Domine,
si uis potes me mundare. Et protensa manu tetigit
eum, dicens: Volo, mundus esto. Et confestim lepra
discessit ab illo. Et ipse præcepit illi, ne cuiquam di-
ceret: sed uade, inquit, ostẽde teipsum sacerdoti, &
offer pro emundatione tui, quemadmodum præce-
Leuit.13 pit Moses in testimonium illis. * Peruagabatur au-
34 tem magis rumor de illo, & conueniebant turbæ
1 multæ, ut audirent & sanarentur ab ipso ab infir-
35 mitatibus suis. * Ipse autem agebat in secessu in de-
11 sertis, & orabat. Et factum est quodam die, & ipse
docebat, erantq; pharisæi sedentes, ac legis docto-
res, qui uenerant ex omni castello Galilææ & Iu-
36 dææ, & Hierusalem: * & uirtus domini aderat ad
11 sanandũ eos. *Et ecce uiri portantes in lecto homi-
37 nem, qui erat paralyticus, & quærebant eum infer
1 re, & ponere ante illum. Et non inuenientes, qua
parte illum inferrent præ turba, ascenderunt super
tectum, ac per tegulas demiserunt eum cum lectulo
in medium ante Iesum. Quorum fidem ut uidit, di-
xit illi

xit illi: Homo,remittantur tibi peccata tua.Et cœ/
perunt cogitare ſcribæ & phariſæi,dicentes: Quis
eſt is,qui loquitur blaſphemias? Quis poteſt remit
tere peccata,niſi ſolus deus? Vt cognouit autem Ie
ſus cogitationes eorum, reſpondens dixit ad illos:
Quid cogitatis in cordibus ueſtris? Vtrum eſt faci/
lius dicere,remittantur tibi peccata,an dicere,ſur/
ge & ambula ? Vt autem ſciatis quod filius homi/
nis habet poteſtatem in terra remittendi peccata,
ait paralytico:Tibi dico,ſurge, tolle lectulũ tuum,
& uade in domum tuam. Iſq; confeſtim ſurgens co/
ram illis,tollebat in quo iacuerat,abiitq; in domum
ſuam,glorificans deum.Et ſtupor corripuit omnes,
& glorificabant deũ,& repleti ſunt timore,dicen/
tes:Vidimus incredibilia hodie.*Et poſt hæc exijt, 38
ac uidit publicanum,nomine Leui, ſedentem ad te/ 11
lonium, & ait illi:Sequere me. Atq; is relictis omni
bus,ſurgens,ſecutus eſt eum.*Et fecit ei conuiuium 39
magnum Leui in domo ſua, & erat turba multa pu 11
blicanorum & aliorum, qui cum illis accumbebãt.
Et murmurabant ſcribæ & phariſæi aduerſus diſci
pulos eius,dicentes: Quare cum publicanis & pec
catoribus editis & bibitis? Et reſpondens Ieſus, di-
xit ad illos:*Nõ egent qui ſani ſunt,medico,ſed qui 40
male habent. Non ueni uocare iuſtos, ſed peccato/ 11
res ad pœnitentiam.At illi dixerũt ad eum: Quare

discipuli Ioannis ieiunant frequenter,& obsecratio
nes faciunt,similiter & pharisæorum,tui uero edũt
& bibunt? Quibus ipse ait: Num potestis facere ut
filij thalami,dum cum illis est sponsus,ieiunent? Ve/
nient autem dies,& cum ablatus fuerit ab illis spõ/
sus,tunc ieiunabunt in illis diebus. Dicebat autẽ &
similitudinem ad illos:Nemo immißuram noui uesti
menti immittit in uestimentũ uetus,alioquin & no
uum rumpit, & ueteri non conuenit immissura ex
nouo. Et nemo mittit uinum nouũ in utres ueteres,
alioqui rumpet uinum nouum utres,& ipsum effun
detur,& utres peribunt.Sed uinum mustũ in utres
nouos mittendum est,& utraq; cõseruantur.Et ne/
mo qui biberit uetus,statim uult nouum,dicit enim:
uetus melius est. CAP. VI

41 11 *Ccidit autem, ut in sabbato secũdoprimo
transiret per sata,ac uellebãt discipuli eius
spicas,edebantq;,confricantes manibus. Quidam au
tem pharisæorum dicebant illis: Quid facitis, quod
non licet facere in sabbatis? Et respondens Iesus, ad
1.Reg.2 eos dixit:Ne hoc quidem legistis,quod fecit Dauid,
cum esurißet ipse,& qui cũ illo erant,quomodo in/
trauit in domum dei, & panes propositionis sum/
psit,editq;,ac dedit etiam his qui secum erant, quos
42 nõ licet edere,nisi tantum sacerdotibus? Et dicebat
11 illis:*Dominus est filius hominis etiam sabbati. Fa/
ctum

ctum est autem & in alio sabbato, ut intraret in sy
nagogã, ac doceret. Et erat ibi homo, et manus eius
dextra erat arida. Obseruabant autem eum scribæ
ac pharisæi, an in sabbato sanaturus esset, ut inueni
rent unde accusarent eum. Ipse uero sciebat cogita
tiones eorum, & ait homini qui habebat manũ ari
dam: Surge, & sta in medio. Ille uero surgens stetit.
Ait igitur ad illos Iesus: Interrogabo uos: utrũ licet
sabbatis benefacere, an malefacere: animã seruare,
an perdere? Et circũspectis omnibus illis, dixit ho
mini: Extende manũ tuam. Ille autem fecit, & resti
tuta est manus eius sana sicut altera. Ipsi autem re
pleti sunt amentia, & colloquebãtur inter sese, quid
nam facerẽt Iesu. * Factum est autem in illis diebus, 43
exijt in montem ad orandum, eratq; pernoctans in 11
deprecatione dei Et cum dies factus esset, * uocauit 44
discipulos suos, & elegit duodecim ex ipsis, quos 11
& apostolos nominauit, Simonem, quem & nomi
nauit Petrum, & Andream fratrem eius: Iacobum
& Ioannem: Philippum & Bartholomæum: Mat
thæum, & Thomam: Iacobũ Alphæi filiũ, & Simo
nem qui uocatur Zelotes: & Iudã Iacobi, et Iudam
Iscariotẽ qui idẽ fuit proditor. Et descẽdẽs cũ illis,
stetit in loco campestri, turbaq; discipulorum eius,
* et multitudo copiosa plebis ex omni Iudæa et Hie 45
rusalem, & à maritima Tyro & Sidone, qui uene 1

rant ut audirent eum, & ſanarentur à morbis ſuis,
& qui uexabantur à ſpiritibus immundis, & ſana-
bantur. Et omnis turba quærebat eum tãgere, quia
46 uirtus ab illo exibat, & ſanabat omnes. *Et ipſe at-
V tollẽs oculos ſuos in diſcipulos, dicebat: *Beati pau-
47 peres, quia ueſtrum eſt regnum dei. *Beati qui eſuri
V tis nũc, quia ſaturabimini. Beati qui fletis nũc, quia
48 ridebitis. * Beati eritis, cũ uos oderint homines, &
V ſeparauerint uos, & exprobrauerint, & eiecerint
49 nomen ueſtrum, tanquam malum propter filiũ ho-
V minis. Gaudete in illo die & exultate, ecce enim
merces ueſtra multa eſt in cœlis. Secũdũ hæc enim
50 faciebant prophetis patres eorum. *Veruntamẽ uæ
X uobis diuitibus, qui habetis cõſolationem ueſtram.
Væ uobis qui ſaturati eſtis, quia eſurietis. Væ uobis
51 qui ridetis nunc, quia lugebitis & flebitis. *Væ uo-
X bis cum laudauerint uos omnes homines. Secũdum
hæc enim faciebant pſeudoprophetis patres eorũ.
52 Sed uobis dico qui auditis: * Diligite inimicos ue-
V ſtros, benefacite ijs qui uos oderunt. Benedicite ma-
ledicentibus uobis, & orate pro calũniantibus uos.
53 *Percutienti te in maxillam, præbe & alteram: &
ab eo qui aufert tibi pallium, etiã tunicam noli pro-
hibere. Omni autem exigenti abs te, tribue, & ab
54 eo qui aufert quæ tua ſunt, ne repoſcas. * Et prout
V uultis ut faciãt uobis homines, uos quoq; facite illis
ſimiliter.

similiter.*Et si diligitis eos qui uos diligũt, quæ uo 55
bis est gratia?Nam & peccatores eos à quibus di- V
liguntur,diligũt.Et si beneſeceritis his qui uobis be
neſaciunt,quæ uobis est gratia?Siquidem & pecca
tores hoc ſaciunt.Et si mutuum dederitis his,à qui-
bus ſperatis uos recepturos, quæ gratia est uobis?
Nam & peccatores peccatoribus dant mutuum,ut
recipiãt paria. Quinimò diligite inimicos uestros,
& beneſacite,& mutuum date,nihil inde ſperãtes,
& erit merces uestra multa,& eritis filij altißimi,
quia ipse benignus est erga ingratos ac malos. Esto
te ergo miſericordes, ſicut & pater ueſter miſeri-
cors est.Nolite iudicare,& non iudicabimini. Noli
te condemnare, & nõ condemnabimini.Remittite,
& remittetur uobis.Date & dabitur uobis. Menſu
ram bonam & conſertam & concuſſam atq; exun-
dantem dabunt in ſinũ uestrũ.*Eadem quippe men 56
ſura qua metimini metientur alij uobis. Dicebat au II
tem illis ſimilitudinem.* Nunquid poteſt cæcus cæ- 57
cũ ducere?nónne ambo in ſoueam cadunt?* Nõ est V
diſcipulus ſupra magiſtrum ſuum, perfectus autem 58
omnis erit, ſicut magiſter ipſius.* Quid autem ui- III
des feſtucam in oculo fratris tui, trabem autẽ quæ 59
in oculo proprio est,non animaduertis?Aut quomo V
do potes dicere fratri tuo:frater, ſine eijciam feſtu-
cam quæ in oculo tuo est: ipſe in oculo tuo trabem

non uidens? Hypocrita, eijce primũ trabem ex ocu
lo tuo, & tũc perſpicies, ut eijcias feſtucam, quæ eſt
60 in oculo fratris tui.* Non eſt enim arbor bona, quæ
V facit fructũ malum, neq; arbor mala faciens fructum
bonum. Vnaquæq; enim arbor ex fructu ſuo cogno-
61 ſcitur.* Neq; enim è ſpinis colligunt ficus, neq; è ru-
V bo uindemiãt uuam.* Bonus homo ex bono theſau-
62 ro cordis ſui profert bonũ, & malus homo ex malo
V theſauro cordis ſui profert malũ. Ex abũdãtia enim
63 cordis loquitur os eius.* Quid autẽ uocatis me do-
III mine, domine, & nõ facitis quæ dico?* Quiſquis ue
64 nit ad me, & audit ſermones meos, & facit eos, oſtẽ
V dam uobis, cui ſimilis ſit. Similis eſt homini ædifican
ti domũ, qui fodit in altum, & poſuit fundamentum
ſuper petram. Inundatione autẽ facta, illiſum eſt flu
men domui illi, & non potuit eam mouere. Funda-
ta enim erat ſuper petram. Qui autem audiuit &
non fecit, ſimilis eſt homini, qui ædificauit domum
ſuam ſuper terram abſq; fundamento, in quam illi-
ſus eſt fluuius, & continuo cecidit, & facta eſt rui-
na domus illius magna. CAP. VII

CVm autem conſummaſſet omnia uerba ſua,
65 audiente populo,* intrauit Capernaum. Cen
III turionis autem cuiuſdam ſeruus male habens, age-
bat animam, qui illi erat charus. Cum audiſſet autẽ
de Ieſu, miſit ad eũ ſeniores Iudæorũ, rogans eum,
ut ueni-

ut ueniret & ſeruaret ſeruum ſuum. At illi cum ue
niſſent ad Ieſum,rogabant eum ſtudioſe,dicẽtes: Di
gnus eſt,ut hoc illi præſtes: diligit enim gentem no
ſtram,& ſynagogam ipſe ædificauit nobis.Ieſus au
tem ibat cum illis . Et cum iam non longe abeſſet à
domo,miſit ad eum centurio amicos, dicens ei:Do/
mine,noli uexari. Non enim ſum dignus , ut ſub te/
ctum meum intres . Quapropter nec meipſum ſum
dignum arbitratus,ut uenirem ad te,ſed dic uerbo,
& ſanabitur puer meus. Nam et ego homo ſum ſub
poteſtate conſtitutus, habens ſub me milites,& di/
co huic,uade,ac uadit:& alteri, ueni, ac uenit : &
ſeruo meo,fac hoc,ac facit. Auditis autem his, Ieſus
miratus eſt eũ,& conuerſus,ſequẽti ſe turbæ dixit:
Dico uobis,ne in Iſraël quidẽ tantã fidẽ inueni.* Et 66
reuerſi qui miſſi fuerant,in domum, repererunt ſer V
uum qui lãguerat,ſanũ.*Et factũ eſt deinceps, ibat 67
in ciuitatẽ,quæ uocatur Nain, & ibant cũ eo diſci/ X
puli eius multi,turbaq; copioſa.Cum aũt appropin
quaret portæ ciuitatis, ecce defunctus efferebatur,
filius unicus matri ſuæ, et hæc uidua erat:& turba
ciuitatis multa cũ illa . Quam cũ uidiſſet dominus,
miſericordia motus ſuper eam,dixit illi: Noli flere.
Et acceſſit,tetigitq; loculum . Porrò qui portabant
ſubſtiterunt:Et ait: Adoleſcens , tibi dico ſurge . Et
reſedit qui erat mortuus , & cœpit loqui . & dedit

illum matri ſuæ. Accepit autẽ omnes timor, & glo-
rificabant deum, dicentes: Propheta magnus ſurre-
68 xit inter nos, & deus uiſitauit plebẽ ſuã. * Et exijt
X hic rumor in uniuerſam Iudæam de eo, & omnem
finitimam regionem. Et nunciauerunt Ioanni diſci-
69 puli ipſius de his omnibus. * Et conuocauit duos de
V diſcipulis ſuis Ioannes, miſitq; ad Ieſum, dicens: Tu
es qui uenturus es, an alium expectamus? Cum aũt
ueniſſent ad eum uiri, dixerũt: Ioannes baptiſta mi-
ſit nos ad te, dicens: Tu es ille qui uenturus erat, an
alium expectamus? In eadem autem hora multos
ſanauit à morbis, ac plagis, & ſpiritibus malis, &
cæcis multis donauit uiſum. Et reſpondens dixit il-
lis: Euntes renunciate Ioanni, quæ uidiſtis & audi-
ſtis, quod cæci uident, claudi ambulant, leproſi mun
dantur, ſurdi audiũt, mortui reſurgunt, pauperibus
annunciatur Euangeliũ, & beatus eſt quicunq; nõ
fuerit offenſus per me. Et cum diſceſſiſſent nuncij Io
annis, cœpit de Ioanne dicere ad turbas: Quid exi-
ſtis in deſertum ut uideretis? harũdinem uento agi-
tari? Sed quid exiſtis uiſuri? hominẽ mollibus ueſti
mentis indutũ? Ecce qui ueſtitu ſplendido ueſtiũtur
& in delicijs agũt, in aulis regũ ſunt. Sed quid exi-
ſtis ad uidendum? prophetam? Vtiq; dico uobis, &
70 plus quàm prophetam. * Hic eſt de quo ſcriptũ eſt:
11 Ecce mitto angelum meum ante faciem tuam, qui
præpa-

præparabit uiam tuam ante te. * Dico enim uobis: 71
Maior inter natos mulierum propheta Ioanne Ba/ V
ptiſta nemo eſt: attamen qui minor eſt in regno dei,
maior eſt illo. * Et omnis populus audiens, & publi 72
cani iuſtificauerunt deum, baptizati baptiſmo Ioan X
nis. Phariſæi autem, & legisperiti conſiliũ dei ſpre
uerunt aduerſus ſemetipſos, nõ baptizati ab eo. Ait
autem dominus. * Cui ergo ſimiles dicam homines 73
generationis huius, & cui ſimiles ſunt? Similes ſunt V
pueris ſedentibus in foro, & acclamãtibus inter ſe,
ac dicentibus: Cantauimus uobis tibijs, & non ſal/
taſtis: cecinimus uobis lugubria, & non ploraſtis.
Venit enim Ioannes baptiſta, neq; edens panẽ, neq;
bibens uinum, & dicitis: Dæmonium habet. Venit fi
lius hominis edens ac bibens, & dicitis: Ecce homo
edax, & uinipotor, amicus publicanorum ac pecca
torum. Et iuſtificata eſt ſapientia à filijs ſuis omni/
bus. Rogabat autem illum quidam è phariſæis, ut
caperet cibum cum ipſo. Et ingreſſus domum pha/
riſæi, accubuit. * Et ecce mulier quæ fuerat in ciuita 74
te peccatrix, ut cognouit quod accubuiſſet in domo I
phariſæi, attulit alabaſtrum unguenti, ſtansq; ad pe
des eius à tergo, flens, lachrymis cœpit rigare pe/
des eius, & capillis capitis ſui extergebat, & de/
oſculabatur pedes eius, & unguento ungebat. * Vi/ 75
dens autem phariſæus, qui uocauerat eum, ait in/ X

tra ſe,dicens:Hic ſi eßet propheta,ſciret utiq; quæ & qualis eſt mulier,quæ tangit ipſum,quia pecca/trix eſt.Et reſpondens Ieſus,dixit ad illum: Simon, habeo quiddam quod tibi dicã. At ille ait:Magiſter dic.Duo debitores erant cuidam creditori, unus debebat denarios quingentos,& alter quinquaginta. Cum aũt illi non eſſent ſoluendo,cõdonauit utriſq;: horum igitur dic uter eam plus diliget? Reſpõdens Simon,dixit: Exiſtimo quod is cui plus cõdonauit. At ille dixit ei:Recte iudicaſti. Et conuerſus ad mulierem,dixit Simoni:Vides hanc mulierem?Intraui in domum tuam , aquam pedibus meis non dediſti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos,& capillis capitis ſui exterſit.Oſculum mihi nõ dediſti:hæc autem ex quo intraui, nõ ceſſauit deoſculari pedes meos.Oleo caput meum non unxiſti,hæc autem unguento unxit pedes meos : propter quod dico tibi: Remittantur peccata eius multa , quoniam dilexit multum.Cui autem minus remittitur,is minus diligit.Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata.Et cœperunt qui ſimul accumbebãt,dicere intra ſe: Quis eſt hic,qui etiam peccata remittit ? Dixit autem ad mulierem:Fides tua te ſaluam fecit, uade cum pace.

CAP. VIII

ET factũ eſt deinceps,& ipſe iter faciebat per ſingulas ciuitates & caſtella, prædicans & annun/

annuncians regnum dei, & duodecim cum illo, si/
mulq; mulieres aliquæ, quæ erant ſanatæ à ſpiriti/
bus malis & infirmitatibus: Maria quæ uocatur
Magdalene de qua ſeptem dæmonia exierãt, & Io
anna uxor Chuſæ procuratoris Herodis, & Suſan/
na, & aliæ multæ quæ miniſtrabant ei de facultati/
bus ſuis. Cum autem turba plurima conueniret, &
è ſingulis ciuitatibus properarẽt ad eum, dixit per
ſimilitudinem: *Exijt qui ſemẽtem faciebat, ad ſemi 76
nandum ſemen ſuum. Et inter ſeminandum, aliud ce 11
cidit circa uiam, & conculcatum eſt, & uolucres
cœli comederũt illud. Et aliud cecidit ſuper petrã,
& enatum aruit, quia non habebat humorem. Et
aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul enatæ ſpinæ ſuf-
focauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam,
& enatum fecit fructum centuplum. Hæc dicẽs, cla/
mabat: Qui habet aures ad audiendum, audiat. In/
terrogabant autem eum diſcipuli eius, dicẽtes, quæ
eſſet iſta parabola. At ille dixit: Vobis datũ eſt noſ/
ſe myſteria regni dei, * cæteris autẽ per parabolas, 77
ut uidentes non uideãt, & audientes nõ intelligãt. 1
*Eſt autem hæc parabola: Semen eſt ſermo dei: qui 78
autem iuxta uiam, hi ſunt qui audiunt, deinde uenit 11
diabolus, & tollit ſermonem de corde eorũ, ne cre
dentes ſeruentur. Nam qui ſuper petram, ij ſunt, qui
cum audierint, cum gaudio ſuſcipiunt ſermonem:

& hi

& hi radices non habent, qui ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in ſpinas cecidit, hi ſunt, qui audierunt, & à ſolicitudinibus & diuitijs ac uoluptatibus uitæ euntes ſuffocantur, nec referunt fructum. Quod autem in bonam terram, hi ſunt, qui in corde honeſto ac bono audientes ſermonem, retinent, & fructũ afferunt
79 per patientiam. *Nemo uero cum lucernam accen-
11 derit, operit eam uaſe, aut ſubter lectum ponit: ſed ſuper candelabrum ponit, ut intrantes uideant lu-
80 men. *Non eſt enim occultum, quod nõ manifeſtum
11 ſit futurum: nec abſconditũ, quod non ſit cognoſcendum, & in propatulum uenturũ. *Videte ergo quo
81 modo audiatis. Quiſquis enim habet, dabitur illi, & quicunq; non habet, etiam quod putat ſe habere, au-
82 feretur ab illo. * Venerũt autem ad illum mater &
11 fratres eius, & non poterant adire eum præ turba, & nunciatũ eſt illi, dictumq;: Mater tua & fratres tui ſtant foris, uolentes te uidere. Qui reſpondens, dixit ad eos: Mater mea & fratres mei hi ſunt, qui
83 ſermonem dei audiunt, ac faciunt illum. * Factũ eſt
11 autem quodam die, & ipſe aſcendit in nauim, ac diſcipuli eius, & ait ad illos: Traijciamus in ulteriorem ripam ſtagni. ac ſoluerunt. Cæterum nauigantibus illis, obdormiuit: & ingruit procella uenti in ſtagnum, & complebantur ac periclitaban-

tur. Ac

tur. Accedentes autem ſuſcitauerunt eum, dicẽtes: Præceptor, præceptor, perimus. At ille experrectus, increpauit uentum ac tempeſtatem aquæ: & ceſſauerunt, factaq; eſt tranquillitas. Dixit autem illis: Vbi eſt fides ueſtra? Timẽtes autem mirati ſunt inter ſe, dicentes: Quis putas hic eſt? quia uentis quoque & aquæ imperat, & obediunt ei? Et nauigauerunt ad regionem Gadarenorum, quæ eſt contra Galilæam. Et cum de naui egreſſus eſſet ad terram, occurrit illi uir quidam è ciuitate, qui habebat dæmonium iam temporibus multis: & ueſtimento non induebatur: neque in domo manebat, ſed in monumentis. Is ut uidit Ieſum, & exclamaſſet, prócidit ante illum, ac uoce magna dixit: Quid mihi rei tecum eſt Ieſu fili dei altiſſimi? Obſecro te, ne me torqueas. Præcipiebat enim ſpiritui immundo, ut exiret ab homine. Frequenter enim corripuerat illum, & uinciebatur catenis, & compedibus cuſtodiebatur, & ruptis uinculis agebatur à dæmonio in deſerta. Interrogauit autem illum Ieſus, dicens: Quod tibi nomen eſt? At ille dixit: Legio. quia intrauerunt dæmonia multa in eum. Et rogauerunt illum, ne imperaret ipſis, ut in abyſſum irent. Erat autem ibi grex porcorum multorum paſcentium in monte, & rogabãt eum ut permitteret ipſis in illos ingredi. Et permiſit illis. Exierũt ergo dæmonia ab

homine

homine, & intrauerunt in porcos, & impetu abijt grex per præceps in stagnũ, & ſuffocatus eſt. Porrò ut uiderunt quod acciderat ij qui paſcebant, fugerunt, rumoremq; nunciauerũt in ciuitatem ac uillas. Exierunt autem, ut uiderent quod factum erat, & uenerunt ad Ieſum, & inuenerunt hominem ſedentem, à quo dæmonia exierant, ueſtitum ac ſana mente, ad pedes Ieſu, & timuerunt. Nunciauerunt autẽ illis etiam qui uiderant, quomodo ſanus factus eßet is, qui agitabatur à dæmonio. Et rogauerunt illum omnis multitudo Gadarenorum, ut diſcederet
84 ab ipſis, quia magno timore tenebantur. *Ipſe autẽ
VIII conſcenſa naui reuerſus eſt. Rogauerat enim illum uir à quo dæmonia exierant, ut cum eo eßet, ſed abiegauit eum Ieſus, dicens: Redi in domum tuam, & narra quæcũq; tibi fecerit deus. Et abijt per totam ciuitatem, prædicans quæcunq; ſibi feciſſet Ieſus. Factum eſt autem cum rediret Ieſus, excepit illũ turba. nam omnes expectabãt eum. *Et ecce uenit uir,
85 cui nomen Iairus, & ipſe princeps ſynagogæ erat,
II acciditq; ad pedes Ieſu, rogans eum, ut intraret in domum ſuam: quoniam unica filia erat ei ferè annorum duodecim, & hæc moriebatur. Verũ inter eundum, turbæ coartabant eum. Et mulier quæ erat obnoxia profluuio ſanguinis ab annis duodecim, quæ in medicos impenderat omnem ſubſtantiam, nec ab

ullo

ullo potuerat curari, acceßit retro, & tetigit fimbriam ueßtimẽti eius, & cõfeßtim ßiſtebatur fluxus ſanguinis eius. Et ait Ieſus: Quis eſt q̃ me tetigit? Negantibus autẽ omnibus, dixit Petrus, & qui cũ illo erant: Præceptor, turbæ te conſtringunt & afflictant, & dicis: Quis me tetigit? Et dixit Ieſus: Tetigit me aliquis. Nam ego noui uirtutẽ à me exiſſe. Videns autem mulier quod nõ latuißet, tremens uenit ac procidit ante pedes eius: & ob quam cauſam tetigiſſet eum, indicauit ei coram toto populo, & quemadmodum confeſtim ſanata fuiſſet. At ipſe dixit ei: Cõfide filia, fides tua te ſeruauit, uade cũ pace. Adhuc illo loquente, uenit quidã à domo principis ſynagogæ, dicens ei: Mortua eſt filia tua, noli uexare magiſtrum. Ieſus aũt audito hoc uerbo, reſpõdit patri puellæ: Noli timere, crede tantũ, & ſaluaerit. Et cũ uenißet in domũ, nõ permiſit intrare ſecũ quenq̃, niſi Petrũ, & Iacobũ, & Ioannẽ, et patrẽ ac matrẽ puellæ. Flebãt aũt oẽs & plãgebãt illam. At ille dixit: Nolite flere, nõ eſt mortua puella, ſed dormit. Et deridebãt eũ, ſciẽtes quod mortua eſſet. Ipſe aũt eiectis foras omnibus, apprehẽſa manu eius clamauit, dicens: Puella, ſurge. Et reuerſus eſt ſpiritus eius, & ſurrexit continuo. Ac iußit illi dari cibum. Et ſtupuerunt parentes eius. At ille præcepit eis, ne cui dicerẽt quod factũ erat. CAP. IX

Conuo-

86 C *Onuocatis autem Ieſus duodecim, dedit il/
II lis poteſtatem & autoritatem ſuper omnia
dæmonia, & ut morbos ſanarent. Et miſit illos ut
prædicarent regnum dei, & ſanarent infirmos. Et
87 ait ad illos:* Ne quid tuleritis in uiã, neq; uirgam,
II neq; peram, neq; panem, neq; pecuniam, neq; binas
tunicas habeatis. Et in quamcunq; domum intraue-
88 ritis, illic manete, atq; illinc exeatis.* Et quicunque
II non receperint uos, exeuntes de ciuitate illa, etiam
puluerem è pedibus ueſtris excutite, in teſtimoniũ
89 aduerſus illos.* Egreſſi autem circumibant per ca/
VIII ſtella, euangelizantes & curantes ubiq;.* Audiuit
90 autem Herodes tetrarcha omnia quæ fiebãt ab eo,
II & hæſitabat, eo quod diceretur à quibuſdam, quod
Ioannes ſurrexiſſet: à qbuſdã uero, quod
Helias apparuiſſet: ab alijs aũt, quod propheta quiſ
piã ex antiquis ſurrexiſſet. Et ait Herodes: Ioannẽ
ego decollaui, quis eſt aũt iſte, de quo ego talia au/
91 dio? Et q̃rebat uidere eũ.* Et reuerſi apoſtoli, narra
VIII uerũt illi quæcũq; fecerãt.* Et aſſũptis illis, ſeceſſit
92 ſeorſum in locũ deſertũ ciuitatis, quæ uocatur Beth
III ſaida. Quod cũ cognouiſſent turbæ, ſecutæ ſunt illũ:
& excepit eos, & loquebatur illis de regno dei: &
93 eos q curatione indigebãt, ſanabat.* Dies aũt cœpe
I rat declinare: et accedẽtes duodecĩ, dixerũt illi: Di/
mitte turbas, ut eũtes ĩ caſtella uillasq; uicinas diuer
tant

tant,& inueniant eſcas: quia hic in loco deſerto ſu-
mus. Ait autem ad illos: Vos date illis quod edant.
At illi dixerunt:Non ſunt nobis plures, quàm quin-
que panes,& duo piſces,niſi nos eamus & emamus
in omnem hunc populum eſcas.Erant autem ferè ui-
ri quinquies mille.Ait autem ad diſcipulos ſuos: Fa-
cite illos diſcumbere in ſingulo quoq; diſcubitu quin
quagenos : atq; ita fecerunt, & fecerunt omnes di-
ſcumbere . Acceptis autem quinq; panibus & duo-
bus piſcibus,ſublatis in cœlum oculis benedixit illis,
& fregit,diſtribuitq; diſcipulis ut apponerẽt turbæ.
Et comederunt omnes,& ſaturati ſunt.Et ſublatum
eſt quod ſuperfuit illis fragmentorum cophini duo-
decim.*Et factum eſt,cum ſolus eſſet orans,erant cũ 94
illo & diſcipuli, interrogauitq; illos,dicens : Quem 1
me dicunt eſſe turbæ? At illi reſponderunt, & dixe-
runt:Ioannem baptiſtam,alij autem Heliam,alij ue-
ro quod propheta quiſpiam de antiquis ſurrexit. Di
xit autem illis:Vos autem quem me eſſe dicitis? Re-
ſpondens Simon Petrus,dixit : Chriſtum dei. At ille
comminatus illis, præcepit, ne cui dicerent hoc, di-
cens:*Oportet filium hominis multa pati,& repro- 95
bari à ſenioribus & principibus ſacerdotum & ſcri 11
bis,& occidi, & tertia die reſurgere. Dicebat autẽ
ad omnes: * Si quis uult poſt me uenire, abneget ſe- 96
metipſum,& tollat crucem ſuam quotidie,& ſequa- 11

m tur me.

tur me. Qui enim uoluerit animam ſuam ſaluam fa-
cere, perdet illam. Qui uero perdiderit animã ſuam
propter me, is ſaluam faciet illam, Quid enim profi-
cit homo, ſi lucretur uniuerſum mundum, ſe autem
97 ipſum perdat, aut iacturam ſui ipſius faciat? * Nam
11 quem mei meorumq; ſermonum puduerit, huius &
filium hominis pudebit, cũ uenerit in maieſtate ſua
98 & patris, ſanctorumq; angelorum. * Dico autem uo
11 bis uere: ſunt quidam hic ſtantes, qui non guſtabũt
mortem, donec uideant regnum dei. Factum eſt au-
tem poſt hæc uerba ferè diebus octo, & aſſumſit Pe-
trum, & Ioannem, & Iacobum, & aſcendit in mon-
tem, ut oraret. Et facta eſt, dum oraret, ſpecies uul-
tus eius alia, & ueſtitus eius candidus ac refulgens.
Et ecce duo uiri loquebantur cum illo, qui erant Mo
ſes & Helias: qui uiſi in maieſtate dicebãt exceſſum
eius, quem cõpleturus erat Hieroſolymis. Petrus ue
ro, & qui cũ illo erant, grauati erant ſomno. Exper
recti autem uiderunt maieſtatem eius, & duos uiros
qui ſtabant cum illo. Et factum eſt cum diſcederent
ab illo, ait Petrus ad Ieſum: Præceptor, bonũ eſt nos
hic eſſe, & faciamus tria tabernacula, unum tibi, &
unum Moſi, et unũ Heliæ: neſciens quid diceret. Hæc
autem illo loquente, facta eſt nubes, & obumbrauit
eos: timuerunt autem intrantibus illis in nubem. Et
uox facta eſt de nube, dicens: Hic eſt filius meus dile-

ctus,

ctus, ipſum audite. Et dum fieret uox, inuentus eſt Ie
ſus ſolus: & ipſi tacuerunt, & nemini dixerunt in il-
lis diebus quicquam ex his quæ uiderant. *Factũ eſt 99
autem in ſequenti die deſcendentibus illis de monte, 11
occurrit illi turba multa. Et ecce uir de turba excla
mauit, dicens: Magiſter, obſecro te, reſpice ad filium
meũ, quia unicus eſt mihi: & ecce ſpiritus apprehen
dit eũ, & ſubito clamat, & diſcerpit eum cũ ſpuma,
& uix diſcedit ab eo dilanians eũ: & rogaui diſcipu
los tuos, ut eijcerent illum, & nõ potuerunt. Reſpon
dens autẽ Ieſus, dixit: O natio infidelis & peruerſa,
uſquequo ero apud uos, ac patiar uos? Adduc huc fi
lium tuũ. Cũ adhuc autẽ accederet, laniauit illũ dæ-
monium, et diſſipauit. Increpauit aũt Ieſus ſpiritũ im
mundũ, & ſanauit puerũ, & reddidit illũ patri ſuo.
*Stupebant aũt omnes ſuper magnificentia dei. *Sed 100
omnibus mirantibus ſuper omnibus quæ faciebat, di VIII
xit ad diſcipulos ſuos: Ponite uos in auribus uestris 101
ſermones iſtos. Filius enim hominis, futurũ eſt ut tra 11
datur in manus hominũ. At illi ignorabant uerbum
iſtud, & erat abſconditũ ab illis, ut nõ intelligerent
illud. Et timebãt eũ interrogare de hoc uerbo. Intra
uit aũt cogitatio inter eos, quis eorũ maior eſſet. At
Ieſus uidens cogitationem cordis illorum, apprehen
dit puerũ, & ſtatuit illum iuxta ſe, & ait illis: Qui-
cunq; receperit puerũ hunc nomine meo, me recipit.

Et quicunq; me receperit, recipit eum qui me misit.
102 *Nam qui minor est inter omnes uos, hic erit mag-
11 nus.*Respondens autẽ Ioannes, dixit: Præceptor, ui-
105 dimus quendam sub nomine tuo eijcientem dæmo-
VIII nia, & prohibuimus eum: quia nõ sequitur nobiscũ.
Et ait ad illum Iesus. Nolite prohibere. Qui enim nõ
104 est aduersum nos, pro nobis est.* Factũ est autẽ dum
X complerentur dies assumptionis eius, & ipse faciem
suam obfirmauerat, ut iret Hierosolymam, & misit
nuncios ante conspectum suum, & euntes intraue-
runt in ciuitatem Samaritanorum, ut pararent illi.
Et non receperunt eum, quia facies eius erat euntis
Hierosolymam. Cũ uidissent autem discipuli eius, Ia
cobus & Ioannes, dixerunt: Domine, uis dicamus ut
ignis descendat de cœlo, & consumat illos, quemad-
modum & Helias fecit? Conuersus autem Iesus, in-
crepauit illos, dicẽs: Nescitis cuius spiritus estis uos.
Filius enim hominis non uenit ad perdendũ animas
hominum, sed ad seruandum. Et abierunt in aliud ca
105 stellum.* Factum est autẽ, ambulantibus illis in uia,
V dixit quidam ad illum: Sequar te quocunq; ieris. Di-
xit illi Iesus: Vulpes cauernas habent, & uolucres
cœli nidos, filius autem hominis non habet ubi caput
suum reclinet. Ait autem ad alterum: Sequere me. Il-
le autem dixit: Domine, permitte mihi ut prius abe-
am, ac sepeliam patrem meum. Dixit autem ei Iesus

Sine

Sine ut mortui ſepeliant mortuos ſuos:tu uero uade,
& annuncia regnum dei.*Et ait alius:Sequar te do 106
mine,ſed permitte mihi prius, ut dicam uale his qui X
ſunt domi meæ. Ait ad illum Ieſus : Nemo qui manu
ſua admota aratro reſpexerit à tergo, aptus eſt re-
gno dei.

CAP. X

P*Oſt hæc autem deſignauit dominus & alios 107
ſeptuaginta,miſitq; illos binos ante faciem ſu/ X
am in omnem ciuitatem & locum,quo erat ipſe uen
turus : dicebat ergo illis:*Meßis quidem multa, ſed 108
operarij pauci.Rogate ergo dominum meßis,ut ex/ V
trudat operarios in meſſem ſuam.*Ite,ecce ego mit/ 109
to uos ſicut agnos inter lupos.* Nolite portare ſac/ V
culum, neq; peram, neq; calciamenta : & neminem 110
per uiam ſalutaueritis.* In quancunq; domum intra 11
ueritis,primum dicite:Pax huic domui:& ſi ibi fue/ 111
rit filius pacis,requieſcet ſuper illum pax uestra:ſin V
minus,ad uos reuertetur.*In eadem autẽ domo ma/ 112
nete, edentes & bibentes quæ dantur ab illis . Dig/ 11
nus eſt enim operarius mercede ſua. * Nolite tranſi/ 113
re de domo in domũ.Et in quamcunq; ciuitatem in/ X
traueritis & ſuſceperint uos,edite quæ apponuntur
uobis,& ſanate infirmos qui in illa ſunt, & dicite il
lis:Appropinquauit in uos regnũ dei.* In quancun/ 114
que autem ciuitatem intraueritis, & nõ ſuſceperint 11
uos, exeuntes in plateas eius, dicite:Etiam puluerẽ,

qui adhæſit nobis de ciuitate uestra, extergimus in
uos:tamen hoc ſcitote, quod appropinquauit in uos
regnum dei.Dico uobis,quod Sodomis in die illo re/
115 miſsius erit, quàm illi ciuitati. * Væ tibi Chorozaſ/
V in,uæ tibi Bethſaida,quia ſi in Tyro & Sidone factæ
fuiſſent uirtutes,quæ factæ ſunt in uobis,olim in cili/
cio & cinere ſedentes,ſcelerum ſuorum egiſſent pœ
nitentiam, ueruntamen Tyro & Sidoni remiſsius
erit in iudicio,quàm uobis.Et tu Capernaũ,quæ uſq;
116 ad cœlum elata es,uſq; ad infernũ deprimeris.*Qui
I uos audit,me audit : & qui uos ſpernit, me ſpernit:
qui autẽ me ſpernit,ſpernit cũ qui miſit me.*Reuer/
117 ſi ſunt autem ſeptuaginta cum gaudio,dicentes:Do/
X mine,etiam dæmonia ſubijciuntur nobis per nomen
tuum. Ait autem illis:Videbam ſatanam ſicut fulgur
de cœlo cadentem. Ecce do uobis poteſtatem calcan
di ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem
uirtutem inimici,& nihil uobis nocebit.Veruntamẽ
in hoc nolite gaudere,quod ſpiritus uobis ſubijciun/
tur,ſed gaudete, quod nomina uestra ſcripta ſunt in
cœlis . In eadem hora exultauit ſpiritu Ieſus, & di/
118 xit : * Confiteor tibi pater, domine cœli & terræ,
V quod abſcondiſti hæc à ſapientibus & prudentibus,
& reuelaſti ea paruulis, etiam pater quoniam ſic
119 complacitũ eſt coram te. * Omnia mihi tradita ſunt
III à patre meo:& nemo ſcit quis ſit filius,niſi pater:&

quis

quis sit pater, nisi filius, & cui uoluerit filius aperi-
re. *Et conuersus ad discipulos, seorsim dixit: Beati 120
oculi qui uident quæ uos uidetis. Dico enim uobis, V
quod multi prophetæ & reges uoluerunt uidere,
quæ uos uidetis, & non uiderunt: & audire quæ au
ditis, & non audierunt. * Et ecce quidam legisperi- 121
tus surrexit, tentans illum, & dicens: Magister, quid II
faciendo uitam æternam possidebo? At ille dixit ad
eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille
respondens dixit: Diliges dominum deum tuum ex
toto corde tuo, & ex toto anima tua, & ex totis uiri-
bus tuis, & ex tota mente tua: & proximum tuum
sicut teipsum. Dixitq; illi: Recte respondisti: hoc
fac, & uiues. *Ille autem uolens iustificare seipsum, 122
dixit ad Iesum: Et quis est meus proximus? Re- X
spondens autem Iesus, dixit: Homo quidam descen-
debat ab Hierosolymis in Hiericho, & incidit in la-
trones, qui etiam despoliauerunt eum uestibus: ac
uulneribus inflictis, abierunt semimortuo relicto: Ac
cidit autem ut sacerdos quidam descenderet eadem
uia, uisoque illo præterijt. Similiter & leuita, cum
iret iuxta locum, cum accessisset ac uidisset eum,
præterijt. Samaritanus autem quidam iter faciens,
uenit ad eum, & uiso eo, misericordia motus est: &
accedens obligauit uulnera eius, infundens oleum ac
uinum, & imponens illum in suum iumentū, duxit in

diuerſorium,& curam eius egit.Et poſtcro die egrediens, depromptos duos denarios dedit hoſpiti, & ait ei:Curam illius habe,& quodcunq; præterea inſumpſeris,ego cum rediero,reddam tibi. Quis ergo horum trium uidetur tibi proximuss fuiſſe illi, qui incidit in latrones? At ille dixit:Qui exercuit miſericordiam in illum.Ait igitur illi Ieſus: Vade, & tu fac ſimiliter.Factum eſt autem dum irent, ut ipſe intraret in quoddam oppidulum, ac mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum ſuam, & huic erat ſoror, nomine Maria, quæ etiam aſſidens ad pedes Ieſu,audiebat ſermonem illius.Martha autem diſtrahebatur circa frequens miniſterium, quæ aſſiſtens ait: Domine, non eſt tibi curæ, quod ſoror mea reliquit me ut ſola miniſtrẽ? dic ergo illi ut me adiuuet.Et reſpondens dixit illi Ieſus: Martha,Martha ſolicita es, & tumultuaris circa multa. Atqui unum eſt neceſſarium. Maria bonam partem delegit,quæ non auferetur ab ea.

CAPVT XI

125 V *ET factum eſt cum oraret quodam in loco,ut ceſſauit, dixit quidam ex diſcipulis eius ad eum: Domine, doce nos orare, ſicut & Ioannes docuit diſcipulos ſuos.Et ait illis:Cum oratis,dicite:Pater noſter,qui es in cœlis,ſanctificetur nomen tuum. adueniat regnum tuum: fiat uoluntas tua quemadmodum

modum in cœlo, ſic etiam in terra. Panem noſtrum
quotidianũ da nobis quotidie: & remitte nobis pec-
cata noſtra, ſiquidẽ & nos remittimus omni debenti
nobis. Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera
nos à malo. * Et ait ad illos: Quis ueſtrum habebit 124
amicũ, & ibit ad illũ media nocte, & dicet illi: Ami- X
ce, da mihi mutuo tres panes, quoniam amicus meus
uenit de uia ad me, & nõ habeo quod apponam illi.
Et ille intus reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſ-
ſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt
in cubili, non poſſum ſurgere & dare tibi. Dico uo-
bis, etiam ſi non daturus ſit illi ſurgens, eo quod ami
cus eius ſit: propter improbitatẽ tamen eius ſurget,
ac dabit illi quotquot habet opus. * Et ego dico uo- 125
bis: Petite, & dabitur uobis: quærite, & inuenietis: V
pulſate, & aperietur uobis. Omnis enim qui petit, ac
cipit: & qui quærit, inuenit: & pulſanti aperietur:
Quis autẽ ex uobis pater, à quo ſi filius petierit pa-
nem, num lapidem dabit illi? Aut ſi piſcem, num pro
piſce ſerpentem dabit illi? Aut ſi petierit ouũ, num
porriget illi ſcorpium? Si ergo uos, cum ſitis mali,
noſtis bona dona dare filijs ueſtris: quanto magis pa
ter ueſter cœleſtis dabit ſpiritum ſanctum poſcenti-
bus ſe. * Et erat eijciens dæmonium, & illud erat mu 126
tum: cumq; eiecisſet dæmonium, loquutus eſt mutus: V
& admiratæ ſunt turbæ. * Quidam autem ex eis di- 127
xerunt: II

xerunt: Per Beelzebul principem dæmoniorum eij-
128 cit dæmonia.*Et alij tentantes,ſignum de cœlo quæ-
V rèbant ab eo.Ipſe autem cum ſciret cogitationes eo-
129 rũm,dixit eis:* Omne regnum aduerſus ſeipſum di-
11 uiſum,deſolatur,& domus ſuper domũ cadit.Quod
ſi ſatanas quoq; aduerſus ſeipſum diuiſus eſt,quomo-
do ſtabit regnũ eius?quia dicitis,per Beelzebul eij-
cere me dæmonia. Quod ſi ego Beelzebul præſidio
eijcio dæmonia, filij ueſtri cuius præſidio eijciunt?
Ideo ipſi iudices ueſtri erunt.Porrò ſi digito dei eij-
cio dæmonia, profectò peruenit ad uos regnum dei.
Cum fortis armatus cuſtodit atrium ſuum, in pace
ſunt ea quæ poſſidet. Vbi uero fortior eo ſuperueni-
ens uicerit eum,uniuerſa arma eius aufert,in quibus
confidebat,& ſpolia eius diſtribuit.Qui non eſt me-
cum,contra me eſt:& qui non colligit mecum,diſſper-
130 git.*Cum immundus ſpiritus exierit ab homine, am
V bulat per loca arentia,quærens requiem,& non in-
ueniens dicit:Reuertar in domum meam unde exiui.
Et cum uenerit,inuenit eam ſcopis mundatam atque
ornatam:tunc uadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus
ſecum nocentiores ipſo,& ingreſſi habitant ibi: &
131 fiunt extrema hominis illius peiora primis. * Factũ
X eſt autẽ cum hæc diceret, extollens uocem quædam
mulier de turba,dixit illi: Beatus uenter qui te por-
tauit,& ubera quæ ſuxiſti. At ille dixit: Quinimò,

beati

beati qui audiũt ſermonem dei, & cuſtodiunt illum.
Turbis autem condenſantibus ſe, cœpit dicere: *Na/ 132
tio hæc mala eſt, ſignum quærit, & ſignum non da/ V
bitur ei, niſi ſignum Ionæ prophetæ. Nam ſicut fuit
Ionas ſignum Niniuitis, ita erit & filius hominis na/
tioni iſti. Regina Auſtri ſurget in iudicio cum uiris
nationis huius, & condemnabit illos: quia uenit à
finibus terræ, ut audiret ſapientiam Solomonis, &
ecce plus quàm Solomon hoc in loco. Viri Niniuitæ
ſurgent in iudicio cum natione hac, & condemna/
bunt illam: quia ad pœnitentiam adducti ſunt præ/
dicatione Ionæ: & ecce plus quàm Iona hoc in lo/
co. * Nemo lucernam accendit, & in abſcondito 133
pönit, neque ſubter modium, ſed ſuper candela/ II
brum: ut qui ingrediuntur, lumen uideant. *Lucer/ 134
na corporis eſt oculus. Cum igitur oculus tuus fue/ V
rit ſimplex, totum quoq; corpus tuum lucidum erit.
Quod ſi malus fuerit, etiam corpus tuum tenebro/
ſum erit. Vide ergo, ne lumen quod in te eſt, tene/
bræ ſint. Si ergo corpus tuum totum lucidum fue/
rit, non habens aliquam partem tenebroſam, ſic erit
lucidum totum, ut cum lucerna fulgore illuminat te.
Et cũ loqueretur, rogauit illum quidam phariſæus,
ut pranderet apud ſe. Ieſus autẽ ingreſſus accubuit.
Phariſæus autẽ cum uidiſſet, admiratus eſt, quod nõ
prius lauiſſet ante prandiũ. Et ait dominus ad illum:

*Nũc

135 *Nunc uos phariſæi exteriora poculi,catiniq; mun-
V datis:& quod intus eſt ueſtri,plenum eſt rapina &
malicia. Stulti, nónne qui fecit quod foris eſt,etiam
id quod intus eſt fecit? Veruntamen quod ſupereſt,
date eleemoſynam, & ecce omnia munda ſunt uo-
136 bis.*Sed uæ uobis phariſæis,quia decimatis menthã
V & rutam,& quoduis olus, & præteritis iudiciũ &
charitatem dei,Imò hæc oportuit facere,& illa non
137 omittere.*Væ uobis phariſæis, quia diligitis primas
I I cathedras in ſynagogis,& ſalutationes in foro.*Væ
138 uobis ſcribæ & phariſæi hypocritæ,quia eſtis ut mo
V numenta quæ nõ apparent, & homines ambulantes
ſuper ea neſciunt.Reſpondens aũt quidã ex legiſpe-
ritis, ait illi: Magiſter, hæc dicens etiam nos afficis
139 cõtumelia.At ille ait:*Et uobis legiſperitis uæ,quia
V oneratis homines oneribus,quæ portare nõ poſſunt,
140 & ipſi uno digito ueſtro nõ attingitis ſarcinas.*Væ
V uobis,quia ædificatis monumenta prophetarum,pa-
tres autem ueſtri occiderunt illos: profecto teſtami-
ni,quod comprobatis facta patrum ueſtrorum:quo-
niam illi quidem eos occiderunt,uos autem ædifica-
141 tis eorum ſepulchra.*Propterea & ſapientia dei
V dixit: Mittam ad illos prophetas & apoſtolos, &
ex illis occident,& perſequentur,ut requiratur ſan
guis omnium prophetarum, qui effunditur à conſti-
tutione mundi,à natione iſta, à ſanguine Abel uſque
ad ſanguinẽ

ad ſanguinem Zachariæ, qui perijt inter altare &
ædem: profecto dico uobis, requiretur ab hac natio/
ne. *Væ uobis legiſperitis, quia tuliſtis clauem ſcien/ 142
tiæ, ipſi nõ introiſtis: & eos qui introibant, uetuiſtis. V
*Cum autem hæc ad illos diceret, cœperunt legiſpe/ 143
riti & phariſæi grauiter inſiſtere, & captioſe inter X
rogare eum de multis, inſidiantes ei: & quærentes
aliquid uenari ex ore eius, quo accuſarent eum.

CAPVT XII

CVm autem conueniſſet innumera turbæ mul/
titudo, adeo, ut ſe inuicem conculcarent, cœ/
pit dicere ad diſcipulos ſuos: Primũ, *cauete uobiſip 144
ſis à fermento phariſæorum, quod eſt hypocriſis. Ni/ II
hil enim opertum eſt, quod non reuelabitur: neq; ab/
ſconditum, quod non ſcietur. *Quoniam quæ in tene 145
bris dixiſtis, in lumine audientur: & quod in aurem V
loquuti eſtis in conclauibus, prædicabitur in tectis.
Dico autem uobis amicis meis: Ne terreamini ab his
qui occidunt corpus, & poſt hæc non habent quod
amplius faciant. Oſtendam autem uobis quem timea
tis. Timete eum, qui poſtquàm occiderit, habet po/
teſtatem conijciendi in gehennam: certe dico uobis,
hunc timete. Nónne quinq; paſſerculi ueneunt minu/
tis aſſibus duobus? & unus ex illis non eſt in obliuio
ne coram deo: quin & pili capitis ueſtri omnes nu/
merati ſunt. Nolite ergo timere, multis paſſeribus
pluris

pluris eſtis. Dico autẽ uobis:omnis quicunq; confeſ/
ſus fuerit me coram hominibus, & filius hominis cõ
146 fitebitur illum coram angelis dei.* Qui autem nega
11 uerit me coram hominibus, negabitur coram ange/
147 lis dei.* Et quiſquis loquitur dictum in filium homi/
11 nis,remittetur illi:ei uero qui in ſpiritũ ſanctum cõ/
148 uicium dixerit,non remittetur.* Cum autẽ adduxe/
11 rint uos ad ſynagogas & ad magiſtratus ac poteſta/
tes,nolite ſoliciti eſſe,qualiter, aut quid reſpondea/
tis, aut quid dicatis: ſpiritus enim ſanctus docebit
149 uos in eadem hora, quid oporteat uos dicere.* Ait
X autem ei quidam de turba:Magiſter,dic fratri meo,
ut diuidat mecũ hæreditatem. At ille dixit ei:Homo,
quis me conſtituit iudicem,aut diuiſorem ſuper uos?
dixitq; ad illos: Videte & cauete ab auaricia: quia
nõ in abundantia cuiuſquam uita eius eſt ex his quæ
poßidet. Dixit autem ſimilitudinem ad illos, dicens:
Hominis cuiuſdam diuitis uberes fructus ager attu/
lit:& cogitabat intra ſe,dicens: Quid faciam,quod
non habeam quo congregem fructus meos? Et dixit:
Hoc faciam: Deſtruam horrea mea, & maiora ex/
truam,& illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mi
hi bona mea, & dicam animæ meæ: Anima, habes
multa bona repoſita in annos multos, requieſce, co/
mede,bibe,gaude. Dixit autẽ illi deus:Stulte,hac no/
cte animam tuam repetũt abs te. Quæ uero paraſti,

cui

tui cedent? Sic qui recondit ſibi, nec eſt erga deũ di-
ues. Dixitq; ad diſcipulos ſuos: *Ideo dico uobis, noli 150
te ſolliciti eſſe animæ uestræ quid edatis, neq; corpo V
ri quid induamini. Anima plus eſt quàm eſca, & cor
pus plus eſt quàm indumentũ. Conſiderate coruos,
quia nõ ſeminant, neq; metunt: quibus nõ eſt penua-
rium, neq; horreũ, & deus paſcit illos. Quanto ma-
gis uos præſtatis uolucribus? Quis autẽ ueſtrum ſo-
licitudine ſua poteſt adijcere ad ſtaturam ſuam cubi
tum unũ? Si ergo ne id quidem quod minimũ eſt po
teſtis, quid de cæteris ſoliciti eſtis? Conſiderate lilia
quomodo creſcunt: nõ laborant, neq; nent: dico autẽ
uobis, nec Solomon in omni gloria ſua ueſtiebatur ſi
cut unum ex iſtis. Si autem gramen, quod hodie eſt
in agro, & cras in clibanum mittitur, deus ſic ueſtit,
quanto magis uos ueſtiet ò parũ fidentes? Et uos no-
lite quærere quid eſuri ſitis, aut quid bibituri, & no
lite in ſublime tolli. Hæc enim omnia gentes mundi
quærunt: pater autem ueſter ſcit quod iſtis indige-
tis. Quin pótius quærite regnum dei, & hæc omnia
adijcientur uobis. *Noli timere puſille grex, quia cõ 151
placitum eſt patri ueſtro dare uobis regnũ. * Vendi X
te quæ poſſideatis, & date eleemoſynã. *Parate uo- 152
bis ſacculos, qui nõ ueteraſcũt, theſaurũ nõ deficien II
tem in cœlis, quò fur nõ accedit, neq; tinea corrũpit. 153
Vbi enim theſaurus ueſter eſt, ibi & cor ueſtrũ erit. V

*Sint

154 *Sint lumbi uestri præcincti,& lucernæ accensæ,&
X uos similes hominibus expectantibus dominũ suum,
quando reuertatur à nuptijs:ut cum uenerit ac pul-
155 sauerit,confestim aperiant ei. * Beati serui illi, quos
V cum uenerit dominus, inuenerit uigilantes: Amen
dico uobis,quod præcinget se,& faciet illos discum-
bere: & transiens ministrabit illis. Et si uene-
rit in secunda uigilia, & si in tertia uigilia uene-
rit,atq; ita inuenerit,beati sunt serui illi. Hoc autem
scitote,quod si scisset paterfamiliâs qua hora fur uĕ-
turus fuisset, uigilasset utiq;, nec passus fuisset perfo-
156 di domũ suam.*Et uos igitur estote parati,quia qua
II hora non putatis,filius hominis uenict. Ait autem ei
Petrus: Domine ad nos dicis istam parabolam, an
157 etiam ad omnes?Dicit autẽ dominus:* Quisnam est
V fidelis dispensator ac prudens,quem constituet domi-
nus super familitiũ suum,ut det illis in tempore de-
mensum cibum? Beatus ille seruus, quem cum uene-
rit dominus,inuenerit ita facientẽ: uere dico uobis,
158 quod omnibus quæ possidet,præficiet illum.*Quod
V si dixerit seruus ille in corde suo,differt dominus me
us reditum, cœperitq; percutere seruos & ancillas,
& edere bibereq; & inebriari,ueniet dominus serui
illius in die quo non sperat, & hora qua nescit, &
159 dissecabit eum,partemq; eius cum infidis ponet.*Il-
X le autem seruus qui cognouit uoluntatẽ domini sui,
& non

& non ſe præparauit, nec fecit ſecundũ uoluntatem
eius, plagis uapulabit multis: qui autem nõ cognouit
& fecit digna plagis, uapulabit paucis. Porrò cuicũ-
que multum datum eſt, multum quæretur ab eo, &
cui commendauerunt multum, plus petent ab eo. Ig-
nem ueni miſſurus in terram, & quid uolo, ſi iam ac
cenſus eſt? Sed baptiſmo habeo baptizari, & quomo
do coartor donec perficiatur? * Putatis, quod pacem 160
uenerim miſſurus in terram? Non, dico uobis, imò ſe- V
parationem. Erunt enim ex hoc quinq; in domo una
diuiſi, tres aduerſus duos, & duo contra tres: diuide
tur pater aduerſus filiũ, & filius aduerſus patrem,
mater aduerſus filiam, & filia aduerſus matrem, ſo-
crus aduerſus nurum ſuam, & nurus aduerſus ſocrũ
ſuam. * Dicebat autem & ad turbas: Cum uideritis 161
nubem orientem ab Occaſu, ſtatim dicitis, imber ue- V
nit, & ita fit: & cum auſtrum flantem, dicitis, quod
æſtus erit, & fit. Hypocritæ, faciem cœli & terræ
noſtis probare, hoc autem tempus qui fit ut non pro
betis? Cur autẽ & ex uobis ipſis non iudicatis quod
iuſtum eſt? * Cum enim uadis cum aduerſario tuo 162
ad magiſtratum in uia, da operam ut libereris ab il- V
lo, ne fortè pertrahat te ad iudicem, & iudex tradat
te exactori, & exactor conijciat te in carcerem. Di
co tibi, non exibis inde, donec ultimum etiam minu-
tum reddas.

CAPVT XIII

163 X *Derant autem quidam eodem in tempore, nunciantes illi de Galilæis, quorum ſangui-
nem Pilatus miſcuerat cũ ſacrificijs ipſorũ. Et reſpõ-
dens Ieſus, dixit illis: Putatis quod hi Galilæi præ-
cunctis Galilæis peccatores fuerint, quia talia paſſi
ſunt? Non, dico uobis, imò niſi reſipueritis, omnes ſi-
militer peribitis: Aut illi decem & octo, ſupra quos
cecidit turris in Siloa, & occidit eos, putatis quod
debitores fuerint ultra cunctos homines habitantes
Hieroſolymis? Non, dico uobis, imò niſi reſipueritis,
omnes ſimiliter peribitis. Dicebat & hanc ſimilitu-
164 dinem. * Arborẽ fici habebat quidam plantatam in
II uinea ſua, & uenit quærens fructũ in illa, & non in-
uenit. dixit autem ad cultorem uineæ: Ecce anni tres
ſunt, ex quo uenio quærens fructũ in ficu hac, & nõ
inuenio, ſuccide illam, ad quid uel terram occupat?
At ille reſpondens, dixit illi: Domine, ſine illam &
hoc anno, donec fodero circum illam, & miſero ſter-
cus, & ſiquidem fecerit fructum: ſin minus, in poſte-
rum ſuccides eam. Docebat autem in una ſynagoga-
rum ſabbatis: & ecce mulier quæ habebat ſpiritum
infirmitatis annis decem & octo: eratq; contracta,
nec omnino poterat erigere caput: quam cum uide-
ret Ieſus, uocauit eam ad ſe, & ait illi: Mulier, libera-
ta es ab infirmitate tua. Et impoſuit illi manus, &
confeſtim

confestim erecta est,& glorificabat deum. Respon/
dens autem princeps synagogæ,indignans quod sab
bato sanasset Iesus, dicebat turbæ : Sex dies sunt, in
quibus oportet operari,in his ergo uenite,ut sanemi
ni,& non in die sabbati.Respondens autem ad illum
dominus,dixit:*Hypocrita,unusquisq; uestrum sab/ 165
bato nónne soluit bouem suum, aut asinum à præse/ II
pi,& ducit aquatum?*Hanc autem filiam Abrahæ, 166
quam alligauit satanas ecce decem & octo annis,nõ X
oportuit solui à uinculo isto die sabbati?Et cum hæc
diceret,erubescebant omnes aduersarij eius: & om/
nis populus gaudebat super uniuersis quæ cum glo/
ria fiebant ab eo.*Dicebat ergo: Cui simile est reg/ 167
num dei,& cui simile faciam illud?Simile est grano II
sinapis,quod acceptum homo misit in hortum suum,
& creuit:& euasit in arborẽ magnam, & uolucres
cœli nidulabantur in ramis eius .* Et iterum dixit: 168
Cui simile faciam regnum dei ? Simile est fermento, V
quod acceptum mulier,abscondit in farinæ sata tria,
donec fermentetur totum.* Et ibat per ciuitates & 169
castella docens,& iter faciens Hierosolymam. Ait II
autem illi quidam : Domine,an pauci sunt, qui salu/
tem consequuntur ? Ille uero dixit ad illos :* Con/ 170
tendite intrare per angustam portam , quia multi, V
dico uobis , quærent intrare , & non poterunt.
*Cum autem surrexerit paterfamiliâs & clauserit 171

 ostium, V

ostium,& cœperitis foris stare,& pulsare ostium,dicentes : Domine,domine,aperi nobis,Et respondens dicet uobis:Nescio uos unde sitis,Tunc incipietis dicere:Edimus coram te & bibimus,& in plateis nostris docuisti.Et dicet,dico uobis:Nescio uos unde sitis. Discedite à me omnes, qui patratis iniquitatem.
172 Ibi erit fletus & stridor dentium,*cum uideritis A
V braham & Isaac & Iacob, & omnes prophetas in regno dei,uos autem expelli foras.Et uenient ab Oriente & Occidente,& aquilone & austro,& accumbent in regno dei. * Et ecce sunt postremi qui erunt
173 primi,& sunt primi qui erũt postremi.* Eodem die
II accesserũt quidam pharisæorum,dicentes illi:* Exi,
174 & uade hinc: quia Herodes uult te occidere . Et ait
X illis:Ite & dicite uulpi illi : Ecce eijcio dæmonia, & sanitates perficio hodie & cras , & tertia die consummor . Veruntamen oportet me hodie & cras & perendie ambulare:quia fieri non potest,ut prophe
175 ta pereat alibi quàm Hierosolymis.*Hierusalẽ Hie
V rusalem quæ occidis prophetas, & lapidas eos qui mittuntur ad te,quoties uolui congregare filios tuos,quemadmodum auis nidum suum sub pennis, & noluistis.Ecce relinquitur uobis domus uestra deserta. Dico autem uobis, quod non uidebitis me, donec uenerit tempus cum dicetis : Benedictus qui uenit in nomine domini.

CAP.

CAPVT XIIII

ET accidit ut introiret in domum cuiusdam 176
principis pharisæorum sabbato,ad capiendũ I
cibum,& ipsi obseruabant eum. Et ecce homo qui-
dam hydropicus erat ante illũ. Et respondens Iesus,
dixit ad legisperitos & pharisæos,dicens:Num licet
sabbato sanare? At illi tacuerũt. Ipse uero apprehen
sum sanauit eum,ac dimisit.Et respondens ad illos,di
xit: *Cuius uestrum asinus aut bos in puteum cadet, 177
& non continuo extrahet illum die sabbati? Et non II
poterant ad hæc respondere illi.* Dicebat autem & 178
ad inuitatos,parabolam,intendens quomodo primos X
accubitus eligerent, dicens ad illos: Cum inuitatus
fueris ab aliquo ad nuptias,ne accumbas in primo lo
co,ne quando honoratior te sit inuitatus ab illo, &
ueniẽs is qui te & illũ uocauit,dicat tibi: Da huic lo
cum:& tũc incipias cum rubore extremũ locũ tene
re. Quin potius cum uocatus fueris, uade,accumbe
in nouissimo loco,ut cum uenerit, qui te inuitauit,di
cat tibi:Amice, ascende superius: tunc erit tibi glo-
ria coram simul discumbentibus. * Quia omnis qui 179
se extollit,deijcietur: & qui se deijcit,extolletur. V
*Dicebat autem & ei,qui se inuitauerat: Cum facis 180
prandium aut cœnam,noli uocare amicos tuos, neq;
fratres tuos,neq; cognatos tuos,neq; uicinos diuites,
ne quando & ipsi te uicissim inuitent,ac rependatur

tibi beneficium. Imò cum facis conuiuium,uoca pau/
peres,debiles,claudos,cæcos,& beatus eris,quia nõ
possunt rependere tibi:rependetur enim tibi in resur
rectione iustorum . Hæc cum audisset quidam de si/
mul accumbentibus,dixit illi:Beatus qui comedit pa
181 nem in regno dei . At ipse dixit ei : * Homo quidam
V apparauerat cœnam magnam , & uocauit multos,
misitq; seruum suum hora cœnæ,ut diceret inuitatis:
Venite,quia iam parata sunt omnia.Et cœperunt si/
mul omnes excusare.Primus dixit ei:Villam emi,&
necesse mihi est exire & uidere illam, rogo te habe
me excusatum.Et alter dixit:Iuga boum emi quinq;,
& eo ad probandum illa: rogo te, habe me excusa/
tum.Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideo non pos/
sum uenire.Ac reuersus seruus, renunciauit hæc do/
mino suo.Tunc iratus paterfamiliâs,dixit seruo suo:
Exi cito in plateas & uicos ciuitatis , & pauperes
ac debiles , claudosq; & cæcos introduc huc. Et ait
seruus : Domine, factum est ut imperasti, & adhuc
locus est.Et ait dominus seruo:Exi in uias & sepes,
& compelle intrare,ut impleatur domus mea. Dico
enim uobis , quod nemo uirorum illorum qui uocati
sunt,gustabit cœnam meam.Ibant autem turbæ mul/
182 tæ cum eo,& conuersus dixit ad illos:* Si quis uenit
V ad me,nec odit patrem suũ ac matrẽ,& uxorem,&
filios,& fratres & sorores, præterea aũt & animã
suam,

ſuam,non poteſt meus eſſe diſcipulus. Et quiſquis nõ baiulat crucem ſuam, & uenit poſt me, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Quis enim eſt ex uobis,qui uc 183
lit turrim ædificare,quin prius ſedens computet ſum X
ptus, an habeat quibus opus eſt ad perficiendum, ne poſtquam poſuerit fundamentum, nec potuerit per/ficere, omnes qui uiderint, incipiant illudere ei, di/centes: Hic homo cœpit ædificare, nec potuit con/ſummare? Aut quis rex proficiſcens, ut committat prælium aduerſus alterum regem,nónne ſedens pri/us cogitat, an poßit cum decem milibus occurrere ei,qui cum uiginti milibus uenit contra ſe? alioquin adhuc illo longe agente, legatione miſſa, petit ea
quæ pacis ſunt. Sic ergo omnis ex uobis,qui non re 184
nunciat omnibus quæ poßidet, non poteſt meus eſſe V
diſcipulus. Bonus eſt ſal,ſi uero ſal infatuatus fue/ 185
rit,per quod condietur? Neq; in terram, neq; in ſter/quilinium utilis eſt, foras proijciunt illum. Qui ha/bet aures ad audiendum,audiat. II

CAPVT XV

A *Ccedebant autẽ ad eum omnes publicani* 186
& peccatores,ut audirent illũ, & murmu/ II
rabant phariſæi ac ſcribæ,dicentes: Hic peccatores recipit, ac cibum capit cum illis. Dicebat autem ad illos parabolam hanc, dicens: Quis ex uobis eſt 187

homo qui habet centum oues, & ſi perdiderit unam ex illis, nónne relinquit nonaginta nouem in deſerto, & uadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cũ inuenerit eam, imponit in hùmeros ſuos gaudens, ueniensq; domum, conuocat amicos & uicinos, dicens illis: Gaudete mecum, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico uobis, quod ita gaudium erit in cœlo ſuper uno peccatore reſipiſcente, magis quàm ſuper nonaginta nouem iuſtis, qui nõ indigent
188 pœnitentia. * Aut quæ mulier habens drachmas de
X cem, ſi perdiderit drachmam unam, non accendit lucernam, & uerrit domũ, quæritq; diligenter, donec inueniat? Et cum inuenerit, conuocat amicas ac uicinas, dicens: Gaudete mecum, quia inueni drachmam
189 quam perdideram. * Ita dico uobis gaudium erit co
V ram angelis dei ſuper uno peccatore reſipiſcente.
190 * Ait autem: Homo quidam habuit duos filios, & di
X xit adoleſcentior illorum patri: Pater, da mihi portionem ſubſtantiæ, quæ ad me redit. Et diuiſit illis ſubſtantiam. Ac poſt dies non multos, cũ omnia contraxiſſet adoleſcentior filius, peregre profectus eſt in regionem longinquam, & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam uiuendo luxurioſe. Et poſtquam omnia conſumpſiſſet, facta eſt fames ualida in regione illa. Et ipſe cœpit egere: & abijt, & adhæſit uni ciuium regionis illius: atq; is miſit illum in uillam ſuam, ut paſce-

ret

ret porcos: & cupiebat implere uentrem ſuum de ſiliquis, quibus porci ueſcebantur, neq; quiſquam illi dabat. In ſe autem reuerſus, dixit: Quàm multi mercenarij patris mei abundant panibus, ego uero fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater, peccaui in cœlum & coram te: iam nõ ſum dignus uocari filius tuus, fac me ſicut unum de mercenarijs tuis. Et ſurgens, uenit ad patrem ſuum. Cum autem adhuc longe abeſſet, uidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt: & accurrens, ruit in collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitq; ei filius: Pater peccaui in cœlum & coram te, neq; poſthac ſum dignus uocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calciamenta in pedes, & adducite uitulum illum ſaginatum, atq; mactate, ſumptisq; epulis lætemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit, perierat & inuentus eſt. Et cœperunt lætari. Erat autem filius eius ſenior in agro, & cum ueniret, & appropinquaſſet domui, audiuit concentum & choros, & uocauit unum de ſeruis ſuis, & interrogauit quid eſſent illa. At is dixit illi: Frater tuus uenit, & occidit pater tuus uitulum illum ſaginatum, quod incolumem illum recepe-rit. Indignatus eſt autem, nec uolebat introire. Pater ergo illius egreſſus rogabat illũ. At ille reſpondens,

dixit patri:Ecce tot annis ſeruio tibi,nec unquã præceptum tuum tranſgreſſus ſum, nec unquam dediſti mihi hœdũ,ut cũ amicis meis lætarer: ſed poſtquàm filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam tuam cum meretricibus,uenit,occidiſti illi uitulum illum ſaginatum. At ille dixit ei:Fili,tu ſemper mecum es,& omnia mea tua ſunt.Lætari autem & gaudere oportebat,quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit,perieratq;,& inuentus eſt.

CAPVT XVI

DIcebat autẽ & ad diſcipulos ſuos:Homo quidam erat diues , qui habebat diſpenſatorem, & hic delatus eſt apud illum,ut qui diſſiparet bona ipſius. Et uocauit illũ,& ait illi : Quid hoc audio de te?Redde rationem diſpenſationis tuæ:non enim poteris poſthac diſpenſare . Ait autem diſpenſator intra ſe: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me diſpenſationem?Fodere non ualeo,mendicare erubeſco. Scio quid faciam,ut cum amotus fuero à diſpenſatione,recipiant me in domos ſuas.Conuocatis itaq; ſingulis debitoribus domini ſui,dicebat primo: Quã tum debes domino meo?At ille dixit: Centum batos olei.Dixitq; illi:accipe cautionem tuam, & ſede cito,& ſcribe quinquaginta. Deinde alteri dixit : Tu uero quantum debes? Qui ait:Centum coros tritici. Ait illi : Accipe cautionẽ tuam,& ſcribe octogintã.

Et laudauit dominus dispensatorem iniquum, quod prudenter fecisset. Quia filij huius seculi prudentiores sunt filijs lucis in natione sua. Et ego uobis dico: Facite uobis amicos ex mammona iniusto: ut cum defeceritis, recipiant uos in æterna tabernacula. Qui fidelis est in minimo, & in multo fidelis est: & qui in minimo iniquus est, is & in multo iniquus est. Si ergo in iniquo mammona fideles non fuistis, quod uerum est, quis credet uobis? Et si in alieno fideles non fuistis, quod uestrũ est, quis dabit uobis? *Nemo seruus potest duobus dominis seruire: aut enim unum odio habebit, & alterum diliget: aut uni adhærebit, & alterum contemnet. Non potestis deo seruire & mammonæ. *Audiebant autem hæc omnia & pharisæi, qui erant auari, & deridebant illum. Et ait illis: Vos estis qui iustificatis uos ipsos coram hominibus, deus aũt nouit corda uestra. Quia quod hominibus excelsum est, abominandum est coram deo. *Lex & prophetæ usq; ad Ioannem, ab eo tempore regnum dei annunciatur, & quiuis in illud uim facit. *Facilius est aũt cœlũ & terrã præterire, quàm legis unũ apicem cadere. *Quisquis dimittit uxorẽ suã & alterã ducit, adulteriũ cõmittit: & qui dimissam à uiro ducit, adulteriũ cõmittit. *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura et bysso, & epulabatur quotidie splendide. Erat aũt quidã mẽdicus nomine

191 V
192 X
193 V
194 V
195 II
196 X

Lazarus,

Lazarus,qui iacebat ad ianuam eius hulceroſus,cupiens ſaturari de micis,quæ cadebant de menſa diuitis:Sed & canes ueniebant, ac lingebant hulcera eius.Accidit autem ut moreretur mendicus,& deportaretur ab angelis in ſinum Abrahæ.Mortuus eſt autem & diues,ac ſepultus eſt: atq; in tartaro ſublatis oculis ſuis , cum eſſet in tormentis , uidet Abraham eminus & Lazarum in ſinu eius : & ipſe clamans, dixit:Pater Abraham,miſerere mei,& mitte Lazarum,ut intingat extremū digiti ſui in aquam,ac refrigeret linguam meam,quia crucior in flamma hac. Dixit autem Abraham:Fili,recordare quod receperis bona tua in uita tua, & Lazarus ſimiliter mala, nunc autem hic ſolatio fruitur,tu uero cruciaris . Et ſuper hæc omnia inter nos & uos hiatus ingens firmatus eſt,ut ij qui uolūt hinc tranſire ad uos,nō poſſint,neq; iſthinc huc tranſcendere.Ait aūt:Rogo ergo te pater,ut mittas eum in domum patris mei: habeo enim quinq; fratres, ut teſtificetur illis,ne et ipſi ueniant in hunc locum cruciatus.' Ait illi Abraham: Habent Moſen ac prophetas,audiant illos. At ille dixit : Non pater Abraham : ſed ſi quis ex mortuis ierit ad eos , reſipiſcent . Ait autem illi : Si Moſen & prophetas non audiunt,neque ſi quis ex mortuis reſurrexerit,credent.

CAPVT

CAPVT XVII

AIt autẽ ad diſcipulos:*Fieri non poteſt,quin 197
ueniant offẽdicula: uæ tamen illi per quem 11
ueniunt: expedit illi ,ſi mola aſinaria ponatur circa
collũ eius,& proiectus fuerit in mare, potius quàm
ut offendiculo ſit uni de puſillis iſtis. * Cauete uobis. 198
Si peccauerit in te frater tuus , increpa illum : & ſi V
pœnituerit,remitte illi.*Et ſi ſepties in die peccaue/ 199
rit in te, & ſepties in die conuerſus fuerit ad te, di/ V
cens: Pœnitet me: remittes illi. Et dixerunt apoſtoli
domino: Adauge nobis fidem. *Dixit autem domi/ 200
nus: Si haberetis fidem ſicut granum ſinapis, dixiſ/ V
ſetis huic arbori ſycamino:Eradicare & tranſplan/
tare in mare : & obediſſet uobis . * Quis autem ue/ 201
ſtrum habens ſeruum arantem aut paſcentem, qui X
regreſſo ab agro dicat : ſtatim tranſi & accumbe:
ac non potius dicit illi : para quod cœnem, & præ/
cinge te, ac miniſtra mihi donec edero & bibero,&
poſt hæc edito & bibito tu? Num gratiam habet ſer
uo illi,quia fecit quæ ei imperata fuerant ? Non pu-
to.Sic & uos, cũ feceritis omnia quæ præcepta ſunt
uobis,dicite:Serui inutiles ſumus:quod debuimus fa/
cere, fecimus. Et factũ eſt dum iret Hieroſolymam,
& ipſe tranſibat per mediam Samariam & Galilæ/
am.Et cum ingrederetur quendam uicum,occurre/
runt ei decem uiri leproſi , qui ſteterunt procul, in/
tentaq;

tentaq; uoce, dixerunt: Ieſu præceptor, miſerere noſtri. Quos ut uidit, dixit illis: Ite, oſtendite uos ſacerdotibus. Et factũ eſt, ut inter eundum mundati ſint. Vnus autem ex illis, ut uidit quod mundatus eſſet, regreſſus eſt, cum uoce magna glorificans deũ, & procidit in faciem ad pedes eius, gratias agens ei: & hic erat Samaritanus: Reſpondens autem Ieſus, dixit: Nónne decem mundati ſunt? Nouem autem illi ubi? Non ſunt reperti qui redierint, ut darent gloriam deo, niſi hic alienigena. Et ait illi: Surge, uade, fides tua te ſeruauit. Interrogatus autẽ à phariſæis, quando uenturum eſſet regnum dei: reſpondit eis, & dixit: Non ueniet regnum dei cum obſeruatione, *neque dicent: ecce hic, aut ecce illic. Ecce enim regnũ dei intra uos eſt. Et ait ad diſcipulos: * Venient dies, quando deſiderabitis uidere unum dierum filij hominis, nec uidebitis. *Et dicent uobis: Ecce hic, ecce illic. Nolite ire neq; ſectemini. * Nam ſicut fulgur coruſcans è regione quæ ſub cœlo eſt, in alteram quæ ſub cœlo eſt fulget, ita erit filius hominis in die ſuo. *Sed prius oportet illum multa pati, & reprobari à natione hac. * Et ſicut accidit in diebus Noë, ita erit & in diebus filij hominis. Edebant, bibebant. uxores ducebant, & dabantur nuptũ ad eum uſq; diem, quo intrauit Noë in arcam, & uenit diluuium, & perdidit omnes. * Conſimiliter etiam ſicut accidit in die-

bus Lot: Edebant, bibebant, emebant, uendebãt, plan-
tabant, ædificabant: cæterum quo die exijt Lot è So-
domis, pluit igni & ſulphure de cœlo, & omnes per-
didit. Secundum hæc erit dies, quo filius hominis re-
uelatur. * In illo die qui fuerit in tecto, & uaſa eius 209
in domo, ne deſcendat ad tollendum illa: & qui in II
agro, ſimiliter non redeat ad relicta. * Memores au- 210
tem eſtote uxoris Lot. * Quicũq; quæſierit animam X
ſuam ſeruare, perdet illam: & quicunq; perdiderit 211
illam, uitam illi parabit. Dico uobis: * in illa nocte III
erũt duo in lecto uno: unus aſſumetur, & alter relin- 212
quetur. Duæ erunt molentes ſimul: una aſſumetur, et V
altera relinquetur. Et reſpondentes, dicunt illi. Vbi
domine? Qui dixit illis. * Vbicũq; fuerit corpus, illuc 213
congregabuntur & aquilæ. V

CAPVT XVIII

D * Icebat autẽ & parabolam ad illos, huc ſpe- 214
ctantem, quod oporteret ſemper orare, nec X
defatigari, dicens: Iudex quidam erat in quadã ciui-
tate, qui deum non timebat, nec hominem reuereba-
tur. Vidua autem quædam erat in ciuitate illa, & ue
niebat ad eũ, dicens: Vindica me de aduerſario meo.
Et nolebat aliquandiu. Poſt hæc autem dixit intra
ſe: Quanquam deum non timeo, nec hominem reue-
reor, tamen quia moleſta eſt mihi hæc uidua, uindica
bo illam, ne tandem ueniens ſuggillet me. Ait autem
dominus:

dominus:Audite quid iudex iniquus dicat: Deus autem non faciet uindictam electorum ſuorum,clamantium ad ſe die ac nocte,etiam cum patiens fuerit ſuper illis ? Dico uobis, quod faciet uindictam illorum cito. Veruntamen filius hominis cum uenerit,an reperturus eſt fidem in terra? Dixit autem & ad quoſdam,qui in ſe confidebant,quod eſſent iuſti,& aſpernabantur cæteros , parabolam iſtam : Duo homines aſcendebant in templum,ut precarentur:unus phariſæus & alter publicanus. Phariſæus ſtans,hæc apud ſe orabat:Deus gratias ago tibi, quod non ſim ſicut cæteri homines,raptores, iniuſti,adulteri, uelut etiam hic publicanus:ieiuno bis in ſabbato: decimas do omnium quæ poſſideo. Et publicanus procul ſtans, nec oculos uolebat ad cœlum attollere, ſed percutiebat pectus ſuum, dicens : Deus propitius eſto mihi peccatori . Dico uobis: Deſcendit hic iuſtificatus in
215 domum ſuam magis quàm ille . * Quia omnis qui ſe
V extollit, humiliabitur, & qui ſe humiliat, extolle/
216 tur . * Afferebant autem ad eum & infantes , ut eos
II tangeret. Quod cum uiderent diſcipuli increpabant illos. Ieſum autem cum illos ad ſe uocaſſet,dixit:Sinite pueros uenire ad me,& nolite uetare eos: talium
217 eſt enim regnum dei.* Amen dico uobis, quicunque
II non acceperit regnũ dei ueluti puer, non intrabit in
218 illud.* Et interrogauit eum quidam princeps, dicẽs:
II Magiſter

Magister bone, quid faciendum mihi, ut consequar uitam æternam? Dixit autem ei Iesus: Quid me dicis bonũ? Nemo bonus, nisi solus deus. Præcepta nosti: Non committes adulterium: non occides: non facies furtum: non fàlsum testimonium dices: honora patrem tuum, & matrem tuam. At ille ait: Hæc omnia seruaui à iuuentute mea? * Quo audito Iesus 219
ait ei: Adhuc unum tibi deest: Omnia quæcunq; ha- II
bes, uende, & distribue pauperibus, & habebis thesaurum in cœlo, & ueni sequere me. * His ille audi- 220
tis, mœrore affectus est, quia diues erat ualde. Vi- II
dens autẽ Iesus illũ mœrore affectum, dixit: Quàm difficile qui pecunias habent, in regnum dei intrabunt. Facilius est enim camelum per foramen acus transire, quàm diuitem intrare in regnum dei. Et dixerunt qui audierãt: Et quis potest saluus fieri? At ille ait: Quæ impoßibilia sunt apud homines, poßibilia sunt apud deum. Ait autẽ Petrus: Ecce, nos reliquimus omnia, & secuti sumus te. Qui dixit eis:
* Amẽ dico uobis, nemo est qui reliquit domum, aut 221
parentes, aut fratres, aut uxorem, aut liberos pro- II
pter regnum dei, qui non recepturus sit multo plura in hoc tempore, & in seculo uenturo uitã æternam. * Assumpsit autem Iesus duodecim, & ait illis: 222
Ecce ascendimus Hierosolymã, & consummabun- II
tur omnia quæ scripta sunt per prophetas de filio

hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & contumelijs afficietur, & conſpuetur, & poſtquàm flagellauerint occident eum, ac die tertia reſurget.
223 *Et ipſi nihil horum intellexerunt. Et erat uerbum
X iſtud abſconditum ab eis, nec intelligebant quæ di-
224 cebantur.*Accidit autem cũ appropinquaret Hie-
11 richo, cæcus quidam ſedebat iuxta uiam, mendicãs: & cum audiret turbam prætereuntem, interroga-bat quid hoc eßet. Dixerunt autẽ ei, quod Ieſus Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: Ieſu fili Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eũ, ut taceret. Ipſe uero multo magis clamabat: Fili Dauid, miſerere mei. Stans autem Ieſus, iußit illum adduci ad ſe. Et cũ appropinquaſſet, interrogauit illũ, dicens: Quid tibi uis faciã? At ille dixit: Domine, ut uiſum recipiam. Et Ieſus dixit ei: Recipito uiſum. Fides tua te ſaluũ reddidit. Et cõfeſtim uiſum recepit, ac ſequebatur illũ, glorificans deũ. Et omnis plebs ut uidit, dedit laudem deo. CAP. XIX

225 *Et ingreßus, perambulabat Hiericho. Et ec-
X ce uir nomine Zacchæus, atque is princeps erat publicanorum, & idem erat diues, & quærebat uidere Ieſum, quis eßet: nec poterat præ turba, quod ſtatura puſillus eßet. Et præcurrens aſcendit in arborem Sycomorum, ut uideret eum: nam illâc erat tranſiturus. Et cum uenißet ad locum, ſuſpiciens

ciens Ieſus,uidit illum,dixitq; ad eum:Zacchæe, feſtinans deſcende, quia hodie domi tuæ oportet me manere. Et feſtinans deſcendit, & excepit illum gaudens. Cumque uiderent omnes,murmurabant, dicentes:quod ingreſſus eßet apud hominem peccatorem diuerſaturus. Stans autem Zacchæus, dixit ad dominum:Ecce dimidium bonorum meorum domine do pauperibus: & ſi quid aliquem defraudaui,reddo quadruplum. Ait Ieſus ad eum: Hodie ſalus domui huic contigit, eo quod & ipſa filia ſit Abrahæ.*Venit enim filius hominis quærere & ſer 226
uare quod perierat.* Hæc illis audientibus, adij- V
ciens dixit parabolam, eo quod eſſet prope Hiero- 227
ſolymã,quodq; exiſtimarent fore, ut confeſtim re- X
gnum dei manifeſtaretur. Dixit ergo:* Homo qui- 228
dam genere clarus, profectus eſt in regionem lon- II
ginquam, ut acciperet ſibi regnum, ac reuertere-
tur. Vocatis autem decem ſeruis ſuis,*dedit eis de- 229
cem minas, & ait ad illos: Negociemini donec ue- V
niam. Ciues autem eius oderant eum,miſeruntq; legationem poſt illum,dicentes:Nolumus hunc regnare ſuper nos. Et factũ eſt, ut rediret accepto regno: iußitq; uocari illos ſeruos ad ſe, quibus dederat pecuniam, ut ſciret quantum quiſq; negociatus eßet. Venit aũt primus,dicens:Domine, mina tua decem minas acquiſiuit. Et ait illi:Euge bone ſerue,quia in

minimo fuisti fidelis, habeto potestatē super decem ciuitates. Et alter uenit, dicēs: Domine, mina tua cō-fecit quinq; minas. Et huic ait: Et tu præfectus esto quinq; ciuitatibus. Et alius uenit, dicens: Domine, ecce mina tua quam habui repositā in sudario: timui enim te, quod homo austerus sis: tollis quod non posuisti, & metis quod non seminasti. Dicit ei: de ore tuo te iudicabo serue male: sciebas quod ego homo austerus sim, tollens quod nō posui, & metens quod non seminaui: & quare non dedisti pecuniā meam ad mensam, & ego ueniens, cum usuris utiq; exegissem illam? Et astantibus dixit: auferte ab illo minā, & date illi qui decem minas habet. Et dixerunt ei:
230 Domine, habet decē minas. * Dico enim uobis, quod
II omni habenti dabitur: ab eo autem qui non habet,
231 etiam quod habet, auferetur. * Quin inimicos meos
V illos, qui noluerunt me regnare super se, adducite
232 huc, & interficite ante me. * Et his dictis, ibat per-
II gens ascendere Hierosolymā. Et factum est cum appropinquasset ad Bethphage, & Bethaniam iuxta montem, qui uocatur oliuarum, misit duos discipulos suos, dicens: Ite in castellum, quod è regione est: in quod introēuntes, inuenietis pullum alligatum: in quo nemo unquam hominum sedit: soluite illum & adducite. Et si quis uos interrogauerit: Quare soluitis? sic dicetis ei: Quia dominus eo opus habet

bet.*Abierunt autem qui miſsi erant,& inuenerũt 235
ſicut dixerat illis . Soluentibus autem illis pullum, 11
dixerunt domini eius ad illos : Quare ſoluitis pul/
lum?At illi dixerũt: Quia dominus eo habet opus.
Et duxerunt illum ad Ieſum. Et iectis ueſtimentis
ſuis ſuper pullum,impoſuerũt Ieſum.* Eunte autem 254
illo,ſubſternebant ueſtimenta ſua in uia.Et cum ap I
propinquaret iam ad deſcenſum montis oliuarũ,cœ
perunt omnis multitudo diſcipulorũ gaudentes lau
dare deũ uoce magna ſuper omnibus quas uiderant
uirtutibus,dicentes:Benedictus qui uenit rex in no/
mine domini : pax in cœlo , & gloria in altiſsimis.
*Et quidam phariſæorum é turba dixerunt ad illũ: 235
Magiſter,increpa diſcipulos tuos. Quibus ipſe ait: V
Dico uobis,quod ſi hi tacuerint,mox lapides clama
bunt.*Et ut appropinquauit, uidens ciuitatem,fle- 236
uit ſuper illa,dicens:Si cognouiſſes & tu,& quidẽ X
in iſto die tuo,quæ ad pacem tuam pertinent, cura
res.Nunc autem abſcõdita ſunt ab oculis tuis.Quia
uenient dies in te,& circũdabunt te inimici tui ual
lo,& cingent te,& coangustabunt te undiq;,& ſo
lo æquabunt te,& filios tuos qui in te ſunt.* Et nõ 237
relinquent in te lapidem ſuper lapidem:eo quod nõ 11
cognoueris tempus uiſitationis tuæ. * Et ingreſſus 238
in templũ,cœpit eijcere uendentes in illo,& emen/ I
tes,dicẽs illis:Scriptum eſt:domus mea domus pre/

cationis est: uos autem fecistis illam speluncam la-
239 tronum. Et docebat quotidie in templo.* Principes
I autem sacerdotum & scribæ quærebant illum per-
dere, & primores plebis, nec inueniebant quid face
rent: totus enim populus pendebat ab ore eius, cum
audiret illum. CAP. XX

240 *Et factum est in uno dierum illorum, docen-
II te illo populum in templo & euãgelizante,
conuenerunt principes sacerdotum & scribæ cũ se
nioribus: & aiunt illi dicentes: Dic nobis: qua auto-
ritate ista facis? Aut quis est qui dedit tibi istam au
toritatem? Respondens autem Iesus, dixit ad illos:
Interrogabo uos & ego unum quiddam, & respon
dete mihi: Baptismus Ioannis è cœlo erat, an ex ho-
minibus? At illi cogitabãt intra se dicentes: Si dixe-
rimus è cœlo, dicet: Quare ergo nõ credidistis illi?
Sin dixerimus: ex hominibus, plebs uniuersa lapida
bit nos. Persuasum enim habet, Ioãnem prophetam
esse. Et responderunt se nescire unde esset. Et Iesus
ait illis: Neq; ego dico uobis, qua autoritate hæc fa-
241 ciam. * Cœpit autem dicere ad plebem parabolam
II hanc: Homo quidam plantauit uineam, & locauit
eam colonis, & ipse peregre egit multo tempore.
Cumq; esset opportunum, misit ad colonos seruum,
ut de fructu uineæ darent ipsi. Qui cæsum emiserũt
eum inanẽ. Et rursus adhuc alterũ seruum misit: Illi

uero

uero hunc quoq; cæſum,& contumelijs affectũ emi
ſerunt inanem.Rurſus miſit & tertium. At illi hũc
quoq; uulneribus inſlictis,eiecerunt.Dixit autẽ do/
minus uineæ:Quid faciam?Mittam filium meum di
lectum: forſitan cum hunc uiderint , reuerebuntur.
Quem cum uidiſſent coloni, cogitauerunt intra ſe,
dicentes:Hic eſt hæres,uenite occidamus illũ, ut no
ſtra fiat hæreditas.Et eiectum illum extra uineam,
occiderunt . Quid ergo faciet illis dominus uineæ?
Veniet & perdet colonos iſtos,et dabit uineã alijs.
Quod cum audiſſent,dixerunt:Abſit.Ille uero intui
tus eos,ait:Quid eſt ergo hoc quod ſcriptũ eſt:La/ Pſal.117
pidem quem reprobauerunt ædificãtes,is factus eſt
caput anguli? Omnis qui ceciderit ſuper illum lapi
dem,conquaßabitur:ſuper quem autẽ ceciderit,cõ/
minuet illum.*Et quærebant principes ſacerdotum 242
& ſcribæ inijcere in illum manus eadem hora, & 1
timuerunt populũ.Cognouerũt enim quod in ipſos
dixißet ſimilitudinem hanc.*Et obſeruantes,emiſe/ 243
rũt inſidiatores,qui ſe iuſtos ſimularent,ut caperẽt 11
eum ex ſermone , traderentq; illum principatui &
poteſtati præſidis:Et interrogauerunt eum, dicen/
tes:Magiſter,ſcimus quod recte dicis,ac doces, nec
reſpicis perſonam ,ſed uiam dei cum ueritate do/
ces : Licet nobis tributum dare Cæſari , an non?
Intellecta autem illorum uerſutia, dixit ad eos:

Quid me tentatis? Ostendite mihi denarium: cuius habet imaginem & inscriptionem? Respõdentes dixerunt: Cæsaris. Et ait illis: Reddite ergo quæ sunt Cæsaris, Cæsari: & quæ sunt dei, deo. Et non potuerunt uerbum eius reprehendere coram populo: & mirati super responso eius, tacuerunt. Accesserunt autem quidam Sadducæorum, qui negant esse resurrectionem: & interrogauerunt eum, dicentes: Magister, Moses scripsit nobis: si cuius frater mortuus fuerit, habens uxorem: isq; sine liberis mortuus fuerit, ut accipiat frater eius uxorẽ, & suscitet semen fratri suo. Septem ergo fratres erant, & primus accepit uxorem, ac mortuus est sine liberis. Et accepit secundus illam, & ipse mortuus est sine liberis. Et tertius accepit illam, similiter & cæteri septem: nec reliquerunt liberos, & mortui sunt. Nouissime omnium mortua est & mulier: in resurrectione ergo cuius eorum erit uxor? Siquidem septem habuerunt eam uxorem. Et respondens, ait illis Iesus: Filij huius seculi ducunt uxores, & nuptum dant: illi uero qui digni habebuntur seculo illo, & resurrectione ex mortuis, neq; ducũt uxores, neq; nuptũ dant: neq; enim ultra mori possunt, æquales enim angelis sunt, et filij sunt dei, cũ sint filij resurrectiõis. Quod uero resurgant mortui, & Moses ostendit iuxta rubum, cum dicit dominum deum Abraham, & deum

Isaac

Isaac,& deum Iacob.Deus autem non est mortuo/
rum,sed uiuorum:omnes enim illi uiuunt.Respõden
tes autem quidam scribarum, dixerunt: Magister,
bene dixisti. * Et amplius non audebant eum quic/ 244
quam interrogare.Dixit autem ad illos:* Quomo/ 11
do dicunt Christum filium esse Dauid , & ipse Da/ 245
uid dicit in libro psalmorum: Dixit dominus domi- 11
no meo, sede à dextris meis : donec posuero inimi- Psal.109
cos tuos scabellum pedum tuorum?Dauid ergo do/
minum illũ uocat,& quomodo filius eius est? *Au/ 246
diente uero cuncto populo,dixit discipulis suis:Ca/ 11
uete à scribis,qui uolũt ambulare in stolis,& amãt
salutationes in foris, ac primas cathedras in synago
gis,& primos discubitus in conuiuijs.* Qui deuo/ 247
rant domos uiduarum,simulantes longas preces, hi V111
accipient damnationẽ maiorem. CAP. XXI

SVblatis autem oculis uidit eos , qui mittebant
munera sua in gazophylaciũ,diuites. Vidit au/
tem & quãdam uiduam pauperculam , mittentem
illuc æra minuta duo,& dixit : Vere dico uobis q̃
uidua hæc pauper plusquàm omnes misit . Nam o/
mnes hi ex eo quod ipsis exuberat, miserunt in mu
nera dei:hæc autem ex penuria sua uniuersam sub/
stantiam quam habebat,misit.*Et quibusdam dicen 248
tibus de templo , quod pulchris lapidibus ac donis 11
ornatũ esset,dixit:Ex his quæ uidetis,uenient dies,

in quibus non relinquetur lapis ſuper lapidem, qui
249 *non diruatur.*Interrogauerunt autem illum, dicen*
11 *tes:Præceptor, quando hæc erunt, & quod ſignum,*
quando iſta futura ſint? At ille dixit: Videte, ne ſe-
ducamini. Multi enim uenient ſub nomine meo, di-
centes, ſe eſſe Chriſtum, & tempus inſtat: ne igitur
ſequamini illos. Cæterum, cũ audieritis bella & ſe-
ditiones, nolite terreri: oportet enim prius hæc fie-
ri, ſed non ſtatim finis. Tunc dicebat illis: Inſurget
gens contra gentem, & regnum aduerſus regnum,
& terræmotus magni erunt in ſingulis locis, & fa-
mes, ac peſtilentiæ, terriculamẽtaq;, & ſigna de cœ-
250 *lo magna erunt.* Sed ante hæc omnia inijcient uo-*
1 *bis manus ſuas: & perſequentur, tradentes in conci-*
liabula & carceres: trahẽtes ad reges ac præſides
propter nomen meum. Cõtinget autem uobis in te-
251 *ſtimoniũ.* Habete igitur fixũ in cordibus ueſtris,*
11 *non eſſe præmeditandam defenſionem: nam ipſe da-*
bo uobis os & ſapientiam, cui non poterunt contra-
dicere, neq; reſiſtere omnes qui aduerſabuntur uo-
bis. Trademini autem etiam à parentibus & fratri-
bus, & cognatis, & amicis, & morte afficient quoſ-
dam ex uobis. Et eritis inuiſi omnibus propter no-
men meum, & pilus de capite ueſtro non perit. Per-
252 *patiẽtiam ueſtram poſſidete animas ueſtras.* Cum*
X *autem uideritis circundari ab exercitibus Hieroſo-*

lymam

lymam,tunc ſcitote, quod immineat deſolatio eius.
*Tunc qui in Iudæa ſunt,fugiant ad montes,& qui 253
in medio eius,diſcedant:& qui in regionibus,nõ in/ II
trent in eam:quia dies ultionis hi ſunt, ut implean/
tur omnia quæ ſcripta ſunt.*Væ autem prægnanti/ 254
bus,& mãma nutriẽtibus in illis diebus.*Erit enim II
afflictio magna ſuper terram,& ira in populo hoc. 255
*Et cadent acie gladij, & captiui ducentur in om/ II
nes gentes.Et Hieruſalem calcabitur à gẽtibus,do/ 256
nec impleantur tempora gentium.* Et erunt ſigna X
in ſole & luna,& ſtellis,& in terris anxietas gen/ 257
tium per deſperationem,reſonante mari & fluctu, II
extabeſcentibus hominibus præ timore,& expecta
tione eorum quæ ſuperueniẽt orbi terrarum. Nam
uirtutes cœlorũ mouebuntur:*& tunc uidebunt fi/ 258
lium hominis uenientẽ in nube cũ poteſtate & glo II
ria magna. His aũt fieri incipientibus, ſuſpicite &
attollite capita ueſtra,quoniã appropinquat redẽ/
ptio ueſtra.Et dixit illis ſimilitudinẽ: Videte ficum
& omnes arbores, cum protrudunt iam gemmas,
cernentes ex uobiſipſis ſcitis,quod iam inſtet æſtas.
Ita & uos cũ uideritis hæc fieri,ſcitote quod inſtet
regnum dei. Amen dico uobis, non præteribit ætas
hæc,anteq̃ omnia facta fuerint.Cœlũ & terra trãſi
bunt, uerba aũt mea nõ tranſibunt.* Cauete autem 259
uobis, ne quando grauentur corda ueſtra crapula X
& ebrie/

& ebrietate, & curis huius uitæ, subitusq; uobis in gruat dies ille: tanquam laqueus enim superueniet in omnes qui sedent super faciem totius terræ. Vigilate itaq; omni tempore, deprecantes, ut liceat uobis effugere ista omnia quæ futura sunt, & stare ante filium hominis. Docebat autẽ interdiu in templo: noctu uero exiens diuersabatur in mõte qui uocatur oliuarum. Et omnis populus diluculo ueniebat ad eum, ut in templo audiret eum.

CAP. XXII

260 I *Nstabat autem dies festus azymorum, qui dici
I tur pascha: * & quærebant principes sacerdo-
261 tum & scribæ, quomodo eũ interficerent: timebant
I enim plebem. *Intrauit autem satanas in Iudam, cui
262 cognomen erat Iscariotes, qui erat ẽ numero duo-
IX decim: * abijtq; & locutus est cum principibus sa-
263 cerdotum ac magistratibus, quemadmodũ illũ tra-
II deret eis. Et gauisi sunt, ac pacti sunt pecuniam illi se daturos. Et ille spopondit, quærebatq; opportunitatem, ut traderet illum illis sine turba. Venit autẽ dies azymorum, in qua necesse erat immolari pascha. Et misit Petrum ac Ioannem, dicẽs: Euntes parate nobis pascha, ut edamus. At illi dixerũt ei: Vbi uis paremus? Et dixit ad eos: Ecce, introeũntibus uobis in ciuitatem occurret homo, uas aquæ testaceum portans, sequimini eum in domum in quã intrat, &

trat,& dicetis patrifamilias ædium:Dicit tibi magi
ſter:ubi eſt diuerſorium, ubi paſcha cum diſcipulis
meis edam? Et ipſe oſtendet uobis cœnaculum ma/
gnum ſtratum,ibi parate. Euntes autem inuenerũt
ſicut dixerat illis,& parauerunt paſcha.Et cũ iam
eſſet tempeſtiuum, accubuit, ac duodecim apoſtoli
cũ eo.Et ait illis:* Deſiderio deſideraui hoc paſcha 264
comedere uobiſcum antequã patiar.Dico enim uo/ X
bis,poſthac non edam ultra ex eo, donec comple/
tur in regno dei.* Et accepto poculo, gratias egit, 265
ac dixit: Accipite hoc & diuidite inter uos. Dico II
enim uobis,quod nõ bibam de fructu uitis, donec re
gnum dei ueniat.*Et accepto pane,cũ gratias egiſ/ 266
ſet,fregit,ac dedit eis,dicens:Hoc eſt corpus meum, I
quod pro uobis datur: hoc facite in mei recordatio
nem.*Similiter & poculum, poſtquàm cœnauit,di 267
cens:Hoc poculum,nouum teſtamẽtum per ſangui/ II
nem meũ,qui pro uobis effunditur.* Verũtamẽ ec 268
ce manus prodentis me,mecum eſt in menſa. Et fi/ II
lius quidem hominis ſecundum quod definitum eſt,
uadit: ueruntamen uæ homini illi per quem prodi/
tur.*Et ipſi cœperunt quærere inter ſeſe,quis nam 269
eſſet ex ipſis, qui hoc facturus eſſet.* Facta eſt au/ I
tem & cõtentio inter eos, quis eorũ uideretur eſſe 270
maior.Dixit autem eis: Reges gentium dominãtur II
eis:& qui poteſtatem habent ſuper eas,benefici uo

cantur

cãtur. Vos aũt nõ ſic, ſed qui maior eſt in uobis, fiat
ſicut iunior: et qui princeps eſt, ſicut qui miniſtrat.
271 *Nam uter maior eſt, qui accũbit, an qui miniſtrat?
X nónne qui accumbit? At ego in medio ueſtrũ ſum, ut
qui miniſtrat. Vos autẽ eſtis qui permanſiſtis mecũ
in tentationibus meis. Et ego diſpono uobis, ſicut di
ſpoſuit mihi pater meus regnum: ut edatis & biba-
272 tis ſuper menſam meam in regno meo:* & ſedeatis
V ſuper thronos, iudicantes duodecim tribus Iſraël.
273 *Ait autem dominus: Simon Simon, ecce ſatanas ex
X petiuit uos, ut cribraret ſicut triticũ: ſed ego roga-
274 ui pro te, ne deficiat fides tua:* & tu aliquãdo con-
IX uerſus cõfirma fratres tuos. At ille dixit ei:* Domi-
275 ne, tecũ paratus ſum & in carcerem & in mortem
I ire. At ille dixit: Dico tibi Petre, nõ canet hodie gal
276 lus, prius quàm ter abneges te noſſe me. * Et dixit
X eis: Quãdo miſi uos ſine ſacculo & pera, & calcia-
mentis, num quid defuit uobis? At illi dixerunt: Ni-
hil. Dixit ergo eis: Sed nunc, qui habet ſacculũ tol-
lat, ſimiliter & perã: & qui non habet, uendat tuni-
277 cam ſuam, & emat gladiũ.* Dico enim uobis: quo-
VIII niam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet perfici
278 in me: Et cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ
X ſunt de me, finẽ habẽt.* At illi dixerunt: Domine, ec-
279 ce duo gladij hic. At ille dixit eis: Satis eſt* Et egreſ
I ſus ibat, ut erat ſolitus, in montẽ oliuarũ: ſecuti ſunt

autem

autem illum & discipuli. Et cum peruenisset ad lo/ 280
cum,dixit illis:* Orate, ne intretis in tentationem. 280
Et ipse auulsus est ab eis ferme ad iactū lapidis,*po II
sitisq; genibus orabat,dicens:Pater,si uis, transfer 281
poculum hoc à me. * Verumtamen non mea uolun/ I
tas,sed tua fiat.*Apparuit autem illi angelus de cœ 282
lo corroborans eū. Et correptus angore prolixius I
orabat.Et erat sudor eius sicut guttæ sanguinis,de/ 285
currentes in terram. Et cum surrexisset à deprecā/ X
tione,*uenissetq; ad discipulos suos,reperit eos dor 284
mientes præ mœstitudine.Et ait illis: Quid dormi/ II
tis ? Surgite & orate , ne intretis in tentationem.
Adhuc autem eo loquente,*ecce turba, & qui uo/ 285
cabatur Iudas, unus è duodecim , antecedebat eos, I
& appropinquauit Iesu,*ut oscularetur eum.Iesus 286
autem dixit illi:Iuda,osculo filium hominis prodis? II
*Videntes autem hi qui circa ipsum erant, quod fu 287
turum erat , dixerunt ei:Domine , percutiemús ne I
gladio ? Et percussit unus ex illis seruum principis
sacerdotum, & amputauit auriculam eius dextrā.
*Respōdens autem Iesus,ait:Sinite huc usq;.Et cum 288
tetigisset auriculam eius,sanauit eum.Dixit aūt Ie/ X
sus ad eos qui uenerāt ad se , principes sacerdotum
ac magistratus templi & seniores:Quasi ad latro/
nem existis cū gladijs ac fustibus,* cū quotidie uo/ 289
biscum fuerim in templo, non extendistis manus in I

me : sed

me:ſed hæc eſt hora illa ueſtra,& poteſtas tenebra
290 rum.*Comprehenſum autem eum duxerunt,& in/
1 duxerunt in domum principis ſacerdotum.*Petrus
291 uero ſequebatur eminus. Cum autem accendiſſent
1 ignem in medio aulæ, atq; unà cõſediſſent, ſedit &
Petrus inter illos. Quem cum uidiſſet ancilla quæ-
dam ſedentem ad lumen, defixis in illum oculis, di/
xit:Et hic cum illo erat. At ille abnegauit eum, di/
292 cens:Mulier nõ noui illum.*Et poſt puſillum alius
1 uidens eum,dixit: Et tu de illis es. Petrus uero ait:
Homo,non ſum. Et interuallo interiecto ferè horæ
unius,alius quidam affirmabat,dicens: Vere & hic
cum illo erat,nã & Galilæus eſt.Et ait Petrus: Ho/
mo,neſcio quid dicas. Et cõtinuo adhuc illo loquen
te cecinit gallus. Et conuerſus dominus,intuitus eſt
293 Petrum.* Et recordatus eſt Petrus ſermonis domi/
11 ni,quomodo dixerat ipſi:priuſquàm gallus cecine/
rit,ter me`negabis. Et egreſſus foras Petrus fleuit
294 amare.*Et uiri qui tenebant Ieſum, illudebãt ei,cæ
1 dentes:& cum circumtexiſſent eum, percutiebant
faciem eius,& interrogauerunt eum,dicentes: Va/
ticinare,quis eſt ille qui te percuſſit? Et alia multa
295 conuiciantes dicebant in eum.*Atq; ut illuxit,con/
11 uenerunt ſeniores plebis, & principes ſacerdotum
296 & ſcribæ,& duxerunt illum in conciliũ ſuum,* di/
X centes:Num tu es ille Chriſtus? Dic nobis.Et ait il/
lis:Si

lis: Si uobis dixero, non credetis: quod si etiam in/
terrogauero,nõ respondebitis mihi, neq; dimittetis.
*Ex hoc tempore erit filius hominis sedẽs à dextris 297
uirtutis dei.*Dixerunt autem omnes: Tu ergo es fi/ I
lius dei? Qui ait: Vos dicitis me esse.* At illi dixe/ 298
runt: Quid adhuc desideramus testimonium? Ipsi X
enim audiuimus ex ore ipsius. 299
II

CAPVT XXIII

E*T surgens uniuersa multitudo eorum, duxit 300
illum ad Pilatum.*Cœperunt autem illum ac I
cusare, dicentes: Hunc deprehendimus euertentem 301
gentem,ac uetantem tributa dare Cæsari, dicentem X
se Christum regem esse.*Pilatus autem interrogauit 302
eum,dicens:Tu es ille rex Iudæorum? At ille respon I
dens illi,ait: Tu dicis: Ait autem Pilatus ad princi/
pes sacerdotum & turbas:* Nihil inuenio noxiæ in 303
hoc homine.*At illi inualescebant,dicentes:Commo I X
uet populum,docens per uniuersam Iudæam, exor/ 304
sus à Galilæa usque ad hunc locum. Pilatus autem, X
audita mentione Galilææ, interrogauit, num homo
Galilæus esset.Et ut cognouit quod ad Herodis ditio
nem pertineret,remisit eum ad Herodem, qui & ip/
se Hierosolymis erat per id tempus. Herodes autẽ,
uiso Iesu, gauisus est ualde. Tenebatur enim multo
iam tempore cupiditate uidendi illum, eo quod au/

diret multa de eo,& ſperabat ſe ſignum aliquod uiſurum ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis
305 ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. * Stabant
11 autem principes ſacerdotum & ſcribæ,acriter accuſantes eum.* Spreuit autem illum Herodes cum ex-
306 ercitibus ſuis:cumq; illuſiſſet indutum ueſte ſplendi-
X da,remiſit ad Pilatum . Et facti ſunt amici inter ſeſe Pilatus & Herodes in eodem die: nam antea ſimultas inter eos interceſſerat.Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum,& magiſtratibus,ac plebe, dixit ad illos : Obtuliſtis mihi hunc hominem quaſi auertentem populum : & ecce ego coram uobis in-
307 terrogans ,* nullum crimen inuenio in homine iſto
IX ex his de quibus accuſatis eum, ſed ne Herodes qui-
308 dem:* nam remiſi uos ad illum,& ecce nihil dignũ
X morte actum eſt ei . Caſtigatũ ergo illum dimittam.
309 *Neceſſe autem habebat dimittere eis in feſto unum.
11 * Exclamauit autem ſimul uniuerſa turba, dicens:
310 Tolle hunc , & dimitte nobis Barrabam , qui erat
1 propter ſeditionem quandam factam in ciuitate, & homicidiũ,coniectus in carcerem. * Iterum autẽ Pi-
311 latus locutus eſt ad cõs,uolens dimittere Ieſum.At il-
1 li clamabant,dicentes:Crucifige crucifige eum.*Ille
312 autẽ tertio dixit ad illos : Quid enim mali fecit hic?
XI Nullum crimen capitale comperio in eo,caſtigatum
313 ergo dimittam illum.* At illi inſtabant uocibus ma-
1 gnis,

gnis,postulantes,ut crucifigeretur,& inualescebant
uoces eorum,ac summorum sacerdotum. * Et Pila/ 314
tus adiudicauit,ut fieret quod illi postulabant.Dimi/ I
sit autem illis eum,qui propter seditionem & homi/
cidium coniectus fuerat in carcerem,quem poposce 315
rant:Iesum uero tradidit arbitrio eorum . * Et cum I
abducerent eum,apprehenderunt Simonẽ quendam
Cyrenensem , uenientem è rure, & imposuerunt illi
crucem,ut portaret post Iesum.*Sequebatur autem 316
illum multa turba populi ac mulierũ,quæ & plange X
bant & lamentabantur eum. Conuersus autem ad il/
las Iesus,dixit:Filiæ Hierusalẽ,nolite flere super me,
sed super uobisipsis flete,& super filijs uestris:quo-
niam ecce uenient dies, in quibus dicent: Beatæ ste/
riles, & uentres qui non genuerunt, & ubera quæ
non lactauerunt. Tunc incipient dicere montibus:Ca 317
dite super nos,& collibus,operite nos. Quia si in hu I
mido ligno hæc faciunt, in arido quid fiet ? * Duce/ 318
bantur autem & alij duo facinorosi cum eo,ut inter I
ficerentur.* Et postquam uenerunt in locum,qui uo 319
catur Caluaria,ibi crucifixerunt eum,*& facinoro/ I
sos:unum à dextris,alterum à sinistris.*Iesus autem 320
dicebat:Pater, remitte illis:nesciunt enim quid faci/ X
ant.*Diuidentes uero uestimenta eius,miserunt sor/ 321
tem.*Et stabat populus spectans,& deridebant eum I
principes cum eis,dicentes : Alios seruauit , seruet 322

323 *seipsum, si hic est ille Christus, ille dei electus.* Illu-
II debant autem ei & milites accedentes, & acetum
offerentes ei dicentesq; : Si tu es ille rex Iudæorum,
324 saluum te fac.* Erat autẽ & inscriptio scripta super
II eum literis Græcis, & Latinis, & Hebraicis : Hic
325 est rex Iudæorum. * Vnus autem qui erant suspen-
II si facinorosorum, conuicia dicebat in eum, dicens: Si
326 tu es Christus, serua teipsum, & nos. * Respondens
X autem alter, increpabat eum, dicens: Ne times qui-
dem tu deum, quod in eadem damnatione es? Et nos
quidem iuste : nam digna factis recipimus, hic uero
nihil mali gessit . Et dicebat ad Iesum : Domine, me-
mento mei, cum ueneris in regnum tuum. Et dixit illi
Iesus: Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso.
327 *Erat autem ferè hora sexta, & tenebræ factæ sunt
II super totam terram usque ad horam nonam: & ob-
328 scuratus est sol,* & uelũ templi scissum est medium.
II *Et cum clamasset uoce magna Iesus, ait : Pater, in
329 manus tuas commendabo spiritum meũ. Et hæc cum
I dixisset, expirauit. * Cum uidisset autem Centurio,
330 quod accidit, glorificauit deum, dicens: Vere hic ho-
II mo iustus erat.* Et omnes turbæ eorum, qui simul ac
331 cesserant ad spectaculum istud, & uiderant quæ con-
X tingebant, percutientes pectora sua, reuertebantur.
Stabant autem omnes noti eius procul, & mulieres
332 quæ secutæ eum erant à Galilæa, hæc uidentes. * Et
I

ecce uir nomine Ioſeph, decurio, qui erat uir bonus
ac iuſtus, hic nõ conſenſerat conſilio ac facto eorum:
oriundus ab Arimathæa ciuitate Iudæorum, qui ex-
pectabat & ipſe regnũ dei: hic acceßit ad Pilatum,
& poſtulauit corpus Ieſu: * *& depoſitum inuoluit* 333
ſindone, & poſuit illud in monumento quod erat in I
lapide exciſum, in quo nondum quiſquam poſitus fue-
rat. * *Et dies erat paraſceue, & ſabbatum illuceſce-* 334
bat. Subſecutæ autem mulieres quæ cum eo uene- X
rant de Galilæa, uiderunt monumentum, & quem-
admodum poſitum erat corpus eius. *Reuerſæ uero, 335
parauerunt aromata & unguenta, ac ſabbato qui- VIII
dem quieuerunt ſecundum præceptum.

CAPVT XXIIII

V *No autem ſabbatorum profundo diluculo 336
uenerunt ad monumentum, portantes quæ I
parauerant aromata, & nonnullæ cum illis. Repere-
runt autem lapidem reuolutum à monumento: & in-
greſſæ, nõ inuenerunt corpus domini Ieſu. Et factum
eſt, dum mente conſternatæ eſſent de hoc, ecce duo ui-
ri ſteterũt iuxta illas in ueſtibus fulgurantibus. * *Cũ* 337
expauiſſent autem, & declinarent uultũ in terram, II
dixerunt ad illas: Quid quæritis uiuentem cum mor-
tuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit. Recordamini ut dixe-
rit uobis cũ adhuc in Galilæa eſſet, dicens: quod opor-

teret filium hominis tradi in manus hominum peccatorum, & crucifigi, & die tertio resurgere. Et re/
338 cordatæ sunt uerborum eius, * & regressæ à monu/
11 mento, nunciauerunt hæc omnia illis undecim, & cæ
339 teris omnibus. * Erat autem Maria Magdalene, &
X Ioanna, & Maria Iacobi, & cæteræ quæ cum eis erant, quæ dicebant ad apostolos hæc. Et uisa sunt apud illos ceu deliramentum uerba illarum, neq; crediderunt illis. Petrus autem surgens, cucurrit ad monumentum: & prospiciens, uidit linteamina sola posita, & abijt, apud semetipsum mirans quod accide/
340 rat. * Et ecce duo ex illis ibant eodem die in castel/
VIII lum, quod aberat spacio stadiorũ sexaginta ab Hie/rosolymis, nomine Emaus: & ipsi confabulabantur inter se de his omnibus quæ acciderant. Et factum est dum confabularentur ac disputarent, & ipse Ie/sus appropinquans ibat unà cum illis. Cæterum oculi illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones, quos confertis inter uos ambulantes, & estis tristes? Ac respondens unus, cui nomẽ Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es Hierosolymis, neq; cognouisti quæ facta sunt illic his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt ei: De Iesu Nazareno, qui fuit uir propheta, potens opere & sermone coram deo & toto populo: & quomodo eum tradiderunt summi sacerdotes, & principes nostri

ſtri in condemnatione mortis,& crucifixerunt eum. Nos autem ſperabamus eum eſſe illum qui redemptu rus eſſet Iſraël. Atqui ſuper hæc omnia tertius dies eſt hodie,quod hæc facta ſunt.Sed & mulieres quæ/ dam ex nobis attonitos reddidere nos,quæ diluculo peruenerunt ad monumentum,& non inuento cor/ pore eius,uenerunt,dicentes:ſe etiam uiſionem ange lorum uidiſſe,qui dicerent eũ uiuere.Et abierũt qui/ dam corum, qui erant nobiſcum ad monumentũ, & ita repererũt ſicut mulieres dixerãt: ipſum uero nõ uiderũt.Et ipſe dixit ad eos:O ſtulti & tardi corde ad credendũ in omnibus quæ locuti ſunt prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Chriſtũ,& intrare in glo/ riam ſuam? Et exorſus à Moſe & omnibus prophe/ tis,interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quò ibant,& ipſe præ ſe ferebat ſe longius ire.Et coëge/ runt illum,dicentes: Mane nobiſcũ, quoniam uergit ad ueſperam,& inclinatus eſt dies.& intrauit ut ma neret cum illis. Et factum eſt dum accumberet cum eis,accepit panem,& benedixit,ac fregit, & porri/ gebat illis.Et aperti ſunt oculi eorum,& agnouerũt eũ,& ipſe ſubduxit ſeſe à cõſpectu eorũ. Et dixerũt inter ſe:Nónne cor noſtrum ardebat in nobis,dum lo queretur nobis in uia,& aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadẽ hora regreſsi ſunt Hieroſolymã,

& inuenerunt congregatos undecim, & eos qui cũ illis erant, dicentes: Surrexit dominus uere, & apparuit Simoni. Et illi narrabant quæ gesta erant in uia: & quomodo fuisset agnitus ipsis ex fractione panis.

341 IX *Dum autem hæc loquuntur, stetit Iesus ipse in medio eorum, & dicit eis: Pax uobis. Expauefacti uero & conterriti, existimabant se spiritum uidere, & dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in cordibus uestris? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Contrectate me & uidete, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me uidetis habere. Et cum hæc dixisset, ostendit eis manus ac pedes.

342 IX *Adhuc autem illis non credentibus præ gaudio & mirantibus, dixit eis: Habetis hic aliquid edulij? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & aliquid de fauo apiario. Et accepit, & in conspectu illorum comedit.

343 X *Et dixit ad eos: Hæc sunt uerba quæ loquutus sum ad uos, cum adhuc essem uobiscum: quod necesse foret impleri omnia quæ scripta sunt in lege Mosi, & prophetis, & psalmis de me. Tunc aperuit illorum mentem, ut intelligerent scripturas, & dixit eis: Sic scriptum est, & sic oportebat Christũ pati, & resurgere à mortuis tertio die: & prædicari nomine eius pœnitentiam, ac remissionem peccatorum in omnes gentes, initio facto ab Hierosolymis. Vos autem estis testes horum. Et ecce

ego

ego mitto promissum patris mei super uos. Vos au-
tem sedete in ciuitate Hierusalẽ, quoadusq; induami-
ni uirtute ex alto. Eduxit autem eos foras usque in
Bethaniam: & sublatis in altum manibus suis, benedi-
xit eis. Et factum est cum benediceret illis, recessit
ab eis, ac ferebatur in cœlum. Et ipsi, adorato
eo, regressi sunt Hierosolymam cũ gau-
dio magno: & erant semper in
templo, laudantes & be-
nedicentes deum.
Amen.

EVANGELII SECVNDVM
LVCAM, FINIS.

VITA SANCTI IOANNIS

per diuum Hieronymum.

IOANNES Apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quẽ Herodes post passionem domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit euangelium rogatus ab Asiæ episcopis, aduersus Cerinthum aliosq; hæreticos: & maxime tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt: quod cum legisset Matthæi, Marci, & Lucæ uolumina, probauerit quidem textum historiæ, & uera eos dixisse firmauerit, sed unius tantũ anni, quo & passus est, post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaq; anno, cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis antequàm Ioannes clauderetur in carcerem, gesta narrauit: sicut manifestum esse potuerit his, qui diligenter quatuor euangeliorum uolumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quæ uidetur Ioannis esse cum cæteris, tollit. Scripsit autem & unam epistolam, cuius exordiũ est: Quod fuit ab initio, quod audiuimus & uidimus oculis nostris: quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt

runt de uerbo uitæ: quæ ab uniuersis ecclesiasticis & eruditis uiris probatur. Reliquæ autem duæ, *quarum principium est: Senior electæ dominæ & natis eius:* & *sequentis: Senior Caio charissimo, quem ego diligo in ueritate:* Ioannis *presbyteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulchrũ apud* Ephesum *ostenditur:* & *nonnulli putant duas memorias eiusdem Ioannis* Euangelistæ *esse: super qua re cũm per ordinẽ ad* Papiam *auditorem eius uentũ fuerit, differemus. Quartodecimo igitur anno, secundam post* Neronẽ *persequutionem mouente* Domitiano, *in* Patmos *insulam relegatus, scripsit* Apocalypsim, *quam interpretantur* Iustinus *martyr,* & Hirenæus. *Interfecto autem* Domitiano, & *actis eius ob nimiam crudelitatem à Senatu rescissis, sub* Nerua *principe rediit* Ephesum, *ibiq; usq; ad* Traianum *principem perseuerans, totas Asiæ fundauit rexitq; ecclesias, & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem domini anno, mortuus iuxta eandem urbem sepultus est.*

FINIS.

Euangelium

EVANGELIVM
SECVNDVM IOANNEM.
CAPVT I

1 III *N principio erat ſermo, & ſermo erat apud deum, & deus erat ille ſermo. Hic erat in principio apud deũ. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine eo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo uita erat, & uita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non apprehende-
2 runt. * Erat homo miſſus à deo, cui nomen Ioannes.
III Hic uenit ad teſtificandum, ut teſtaretur de luce, ut omnes crederent per ipſum. Non erat ille lux illa,
3 ſed miſſus erat, ut teſtaretur de luce. * Erat lux illa,
III lux uera: quæ illuminat omnem hominẽ uenientem in mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum fa-
4 ctus eſt, & mundus eum non cognouit. *In ſua uenit,
X & ſui eum nòn receperunt. Quotquot autem rece-perunt eum, dedit eis ut liceret filios dei fieri, uideli cet, bis qui credidiſſent in nomen ipſius. Qui non ex ſanguinibus, neq; ex uoluntate carnis: neq; ex uolun-
5 tate uiri, ſed ex deo nati ſunt. *Et ſermo ille caro fa-
III ctus eſt, & habitauit in nobis: & conſpeximus glo-riam eius, gloriam uelut unigeniti à patre: plenus

gratia

gratia & ueritate . Ioannes testificatur de ipso &
clamat,dicens: * Hic erat de quo dicebam, qui cum 6
me sequeretur,antecessit me:quia prior me erat.*Et I
de plenitudine eius nos omnes accepimus,& grati/ 7
am pro gratia, quia lex per Mosen data est : gratia X
& ueritas per Iesum Christum exorta est.* Deũ ne/ 8
mo uidit unquam:Vnigenitus filius,qui est in sinu pa III
tris,ipse enarrauit. Et hoc est testimonium Ioannis, 9
quando miserant Iudæi ab Hierosolymis sacerdotes X
& leuitas,ut interrogarent eum:Tu quis es?Et con
fessus est, & non negauit. Et confessus est, inquiens,
non sum ego Christus.Et interrogauerũt eum:Quid
ergo?Helias es tu?Et dicit:Non sum. Es tu prophe/
ta ille?Et respondit:Non.Dixerunt ergo ei:Quis es,
ut responsum demus his qui miserunt nos?Quid di/
cis de teipso?Ait:*Ego uox clamantis in deserto,di/ 10
rigite uiam domini:sicut dixit Esaias propheta.* Et I
qui missi fuerant,erant ex Pharisæis . Et interroga/ 11
uerunt eũ,ac dixerunt ei:Cur ergo baptizas,si tu nõ X
es Christus,neq; Helias, neq; propheta ille?Respon/
dit eis Ioannes,dicens:*Ego baptizo aqua,sed in me 12
dio uestrum stat, quem uos nescitis. Ipse est,qui cum I
me sequeretur,antecessit me:cuius ego non sum dig/
nus, ut soluam corrigiam calciamenti.* Hæc in Be/ 15
thabara facta sunt trans Iordanem,ubi Ioannes bap/ X
tizabat. Postero die uidet Ioannes Iesum uenientem
ad se

ad ſe,& ait:Ecce agnus ille dei, qui tollit peccatum
14 mundi.* Hic eſt de quo dicebam : Poſt me uenit uir,
I qui me anteceſſit:quia prior me erat: & ego neſcie/
bam eum,ſed ut manifeſtus fiat Iſraëli,propterea ue
15 ni ego aqua baptizans.* Et teſtificatus eſt Ioannes,
I dicens: Vidi ſpiritum deſcendentem ſpecie columbæ
de cœlo,& manſit ſuper eum, & ego non noueram
eum:ſed qui miſit me,ut baptizarem aqua,is mihi di
xit : Super quem uideris ſpiritum deſcendentem ac
manentem ſuper eũ,hic eſt qui baptizat ſpiritu ſan/
cto.Et ego uidi, & teſtificatus ſum hunc eſſe filium
16 dei.*Poſtero die iterũ ſtabat Ioannes,& ex diſcipu/
X lis eius duo.& intuitus Ieſum ambulantem, dicit:Ec
ce agnus ille dei. Et audierunt eum duo diſcipuli lo/
quentem,& ſequuti ſunt Ieſum.Conuerſus autem Ie
ſus,& conſpicatus eos ſequentes ſe, dicit eis : Quid
quæritis? Qui dixerunt ei:Rabbi,quod dicitur,ſi in/
terpreteris,magiſter,ubi habitas ? Dicit eis : Venite
& uidete.Venerũt,uideruntq; ubi maneret.Et apud
eum manſerunt die illo:hora autem erat fermè deci/
ma. Erat Andreas frater Simonis Petri,unus ex duo/
bus qui audierant à Ioanne , & ſecuti fuerant eum.
Repperit hic prior fratrem ſuum Simonem,& dicit
ei:inuenimus Meſſiam: quod eſt,ſi interpreteris,un/
17 ctus,& adduxit eum ad Ieſum.* Intuitus eum Ieſus,
I dixit:Tu es Simon filius Iona, tu uocaberis Cephas:
quod

quod ſonat,ſi interpreteris,lapis. *Poſtero die uolu/ 19
it Ieſus exire in Galilæã,& repperit Philippum,& X
dicit ei:Sequere me.Erat autem Philippus à Bethſai
da ciuitate Andreæ & Petri. Repperit Philippus
Nathanaël, & dicit ei: De quo ſcripſit Moſes in le/
ge,& prophetæ, inuenimus Ieſum filium Ioſeph Na
zarenum.Et dixit ei Nathanaël:A Nazareth poteſt
aliquid boni eſſe? Dicit ei Philippus: Veni & uide.
Vidit Ieſus Nathanaël uenientẽ ad ſe,& dicit de eo:
Ecce uere Iſraëlita,in quo dolus non eſt.Dicit ei Na
thanaël:Vnde me noſti?Reſpondit Ieſus,& dixit ei:
Priuſquàm te Philippus uocaret, cum eſſes ſub ficu,
uidebã te.Reſpondit Nathanaël et ait ei:Rabbi,tu es
ille filius dei,tu es ille rex Iſraël.Reſpondit Ieſus,&
dixit ei: Quia dixi tibi, uidebam te ſub ficu, credis,
maiora his uidebis. Et dicit ei: Amen amen dico uo/
bis:poſthac uidebitis cœlum apertũ, & angelos dei
aſcendentes ac deſcendentes ſuper filium hominis.

CAPVT II

ET die tertia nuptiæ fiebant in Cana Galilææ,
& erat mater Ieſu ibi. Vocatus eſt autem &
Ieſus,ac diſcipuli eius ad nuptias.Et ubi defeciſſet ui/
num,dicit mater Ieſu ad eum:Vinum non habent.Di
cit ei Ieſus: Quid mihi tecum eſt mulier? nondum
uenit hora mea. Dicit mater eius miniſtris: Quod/
cunq;

cunq; dixerit uobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positæ secundũ purificationẽ Iudæorũ, capientes singulæ metretas binas aut ternas. Dicit eis Iesus: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas usq; ad summum, Et dicit eis: Infundite nunc, & ferte architriclino: & tulerunt. Postquam autem gustasset architriclinus aquam in uinũ uersam, neq; sciret unde esset, sed ministri sciebant, qui hauserant aquã, uocat sponsum, & dicit ei: Omnis homo primo loco bonum uinum ponit, & cum inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu seruasti bonum uinum usq; ad hoc tempus. Hoc ædidit initium signorum Iesus in Cana Galilææ, & manifestauit gloriam suam, & 19 crediderunt in eum discipuli eius.* Post hæc descen- VII dit Capernaum ipse & mater eius, & fratres eius, & discipuli eius, & ibi manserunt nõ multis diebus. 20 * Et in propinquo erat pascha Iudæorum, & ascen- I dit Iesus Hierosolymam, * & reperit in templo eos 21 qui uendebant boues & oues & columbas, & numu- I larios sedentes. Et cum fecisset flagellum è funiculis, omnes eiecit è templo, oues simul ac boues, & nummulariorum effudit æs, mensasq; subuertit. Et his qui columbas uendebant, dixit: Auferte ista hinc, nec 22 facite domum patris mei, domum mercatus. * Recor- X dati uero sunt discipuli eius, quod scriptum est: Zelus domus tuæ exedit me. Responderunt ergo Iudæi, &

dixerunt

dixerunt ei:*Quod ſignum oſtẽdis nobis,quod iſta 25
facias?Reſpondit Ieſus,& dixit eis:*Deſtruite tem/ IIII
plum hoc, & in tribus diebus erigã illud. Dixerũt 24
ergo Iudæi: Quadraginta & ſex annis extructum X
eſt templũ hoc, & tu in tribus diebus eriges illud?
At ille dicebat de templo corporis ſui.Cũ ergo re/
ſurrexiſſet è mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius,
quod hoc dixiſſet eis:& crediderunt ſcripturæ, &
ſermoni quem dixerat Ieſus.Cum autẽ eſſet Hieroſo
lymis in paſcha in die feſto,multi crediderũt in no/
men eius,uidẽtes ſigna eius quæ ædebat.Ipſe autem
Ieſus non credebat ſemetipſum eis, eo quod ipſe noſ
ſet omnes, nec opus haberet, ut quiſquã teſtaretur
de homine.Ipſe enim ſciebat, quid eſſet in homine.

CAP. III

ERat autẽ homo ex Phariſæis,Nicodemus nó/
mine,princeps Iudæorum:hic uenit ad Ieſum
nocte,& dixit ei:Rabbi,ſcimus quod à deo ueneris
magiſter. Nemo enim poteſt hæc ſigna facere, quæ
tu facis,niſi fuerit deus cum eo. Reſpondit Ieſus, &
dixit ei: Amen amen dico tibi, niſi quis natus fuerit
è ſupernis, non poteſt uidere regnum dei. Dicit ad
eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo naſci cum
ſit ſenex? Nũ poteſt in uentrem matris ſuæ iterum
introire,ac naſci?Reſpondit Ieſus: Amen amen dico
tibi:niſi quis natus fuerit ex aqua & ſpiritu,nõ po/

teſt introire in regnum dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natũ eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Ne mireris, quod dixi tibi, oportet uos naſci è ſupernis. Spiritus ubi uult ſpirat, & uocem eius audis, ſed neſcis unde ueniat, & quò uadat. Sic eſt omnis qui natus eſt è ſpiritu. Reſpõdit Nicodemus, & dixit ei: Quomodo poſſunt hæc fieri? Reſpondit Ieſus, & dixit ei: Tu es ille magiſter Iſraẽlis, & hæc ignoras? Amẽ amẽ dico tibi: quod ſcimus, loquimur: & quod uidimus, teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis: Si terrena dixi uobis, & nõ creditis, quomodo ſi dixero uobis cœleſtia, credituri ſitis? Et nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcẽdit è cœlo, filius hominis, qui eſt in cœlo. Et ſicut Moſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis, ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternã. Sic enim deus dilexit mundum, ut filium ſuum unigenitum daret: ut omnis qui credit in eum, non pereat, ſed habeat uitam æternam. Non enim miſit deus filium ſuum in mũdum, ut condemnet mundum, ſed ut ſeruetur mundus per eum. Qui credit in eum, nõ condemnatur. Qui uero non credit, iam condemnatus eſt, quia nõ credidit in nomen unigeniti filij dei. Hæc eſt autem cõdemnatio, quod lux uenit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim eorum mala ope-

1.Ioan.4

la opera. Omnis enim qui mala agit, odit lucem: nec
uenit ad lucem, ne arguantur opera ipsius. Qui au-
tem operatur ueritatẽ, uenit ad lucem, ut cõspicua
fiant facta ipsius, quod per deum sint facta. Post hæc
uenit Iesus & discipuli eius in terram Iudæam, &
illic morabatur cũ eis, ac baptizabat. * Baptizabat 25
autẽ & Ioannes in Aenon iuxta Salim: quia aquæ III
multæ erant illic, & ueniebant ac baptizabantur.
*Nondũ enim coniectus fuerat Ioannes in carcerẽ. 26
*Orta est aũt quæstio ex discipulis Ioannis cum Iu IIII
dæis de purificatione. Et uenerũt ad Ioãnẽ, & dixe 27
rũt ei: Rabbi, qui erat tecũ trans Iordanẽ, cui tu te- X
stimoniũ perhibuisti: ecce is baptizat, & omnes ue
niũt ad eũ. Respõdit Ioãnes, & dixit: Nõ potest ho-
mo accipere quicquã, nisi fuerit ei datũ è cœlo. Ipsi
uos testes estis, quod dixerim: *non sum ego Chri- 28
stus, sed missus sum ante illũ. * Qui habet sponsam, I
sponsus est, amicus aũt sponsi, qui stat & audit eũ, gau 29
dio gaudet propter uocem sponsi, hoc ergo gaudiũ X
meũ impletũ est, illũ oportet crescere, me uero mi-
nui. Qui è supernis uenit, supra oẽs est. Qui è terra
profectus est, terrenus est, & è terra loquitur. Qui
è cœlo uenit, supra oẽs est: et quod uidit & audiuit,
hoc testatur, & testimoniũ eius nemo accipit. Qui
accepit eius testimoniũ, is obsignauit, quod deus ue
rax sit. Nam is quẽ misit deus, uerba dei loquitur.

30 Non enim huic ad mensuram dat deus spiritũ.* Pa/
III ter diligit filium,& omnia dedit illi in manũ.*Qui
31 credit filio,habet uitam æternam:qui uero non cre
X dit filio,non uidebit uitam, sed ira dei manet super
eum.

CAP. IIII

VT ergo cognouit dominus audisse Pharisæos quod Iesus plures discipulos faceret, & baptizaret,quàm Ioannes:quanquam Iesus ipse
32 nõ baptizaret,sed discipuli eius:* reliquit Iudæam,
VII & abijt iterum in Galilæam.*Oportebat autẽ eum
33 transire per Samariam. Venit ergo in ciuitatẽ Sa-
X mariæ,quæ dicitur Sychar,iuxta prædiũ, quod dedit Iacob Ioseph filio suo. Erat autẽ ibi fons Iacob. Iesus ergo fatigatus ex itinere,sedebat sic super fontem.Hora erat fermè sexta: uenit mulier Samaritana,ut hauriret aquam.Dicit ei Iesus: Da mihi quod bibam.Nam discipuli eius abierant in ciuitatem, ut cibos emerẽt.Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodo tu Iudæus cum sis,potũ à me poscis,quæ sum mulier Samaritana?Non enim commercium habent Iudæi cum Samaritanis. Respondit Iesus,& dixit ei:Si scires donum dei, & quis sit qui dicit tibi: Da mihi quod bibam, tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam uiuã.Dicit ei mulier: Domine, neq; quo hauries,habes,& puteus profundus est: unde ergo habes aquam illam uiuam? Num tu maior es patre

nostro

nostro Iacob,qui dedit nobis puteum,& ipse ex eo bibit,& filij eius,& pecora eius ? Respondit Iesus, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac,sitiet iterum:quisquis autem biberit ex aqua quam ego dabo ei,nõ sitierit in æternum:sed aqua quam ego dabo ei,fiet in eo fõs aquæ salientis in uitam æternã. Dicit illi mulier:Domine, da mihi istam aquam, ut non sitiam,neq; ueniam huc ad hauriendum . Dicit ei Iesus:Vade,uoca uirum tuũ,& ueni huc.Respondit mulier,& dixit ei:Non habeo uirum. Dicit ei Iesus:Bene dixisti,nõ habeo uirum: quinq; enim uiros habuisti,& nunc quem habes, non est tuus uir:hoc uere dixisti. Dicit ei mulier : Domine , uideo quod propheta es tu.Patres nostri in mõte hoc adoraue runt, & uos dicitis , quod Hierosolymis est locus, ubi oporteat adorare. Dicit ei Iesus: Mulier, crede mihi,uenit hora,quãdo neq; in monte hoc,neq; Hierosolymis adorabitis patrẽ. Vos adoratis quod nescitis,nos adoramus quod scimus : quia salus ex Iudæis est.Sed uenit hora,& nũc est, quãdo ueri adoratores adorabunt patrẽ spiritu ac ueritate.Nã & pater tales quærit, qui adorent ipsum . Spiritus est deus,& eos qui adorãt eũ,spiritu ac ueritate oportet adorare.Dicit ei mulier:Scio quod Meßias uenturus est,qui dicitur Christus:cum ergo uenerit ille,nobis nũciabit omnia.Dicit ei Iesus:Ego sum qui

loquor tibi. Et continuo uenerunt discipuli eius, & mirabantur, quod cum muliere loqueretur. Nemo tamẽ dixit: quid quæris, aut cur loqueris cũ ea? Reliquit ergo hydriam suam mulier, & abijt in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, uidete hominẽ, qui dixit mihi omnia quæcunq; feci: num hic est ille Christus? Exierunt ergo è ciuitate, & ueniebãt ad eum. Interea rogabant eum discipuli, dicentes: Rabbi, comede. Ille autem dixit eis: Ego cibũ habeo comedendum quem uos nescitis. Dicebant ergo discipuli inter se: Num quis attulit ei quod ederet? Dicit eis Iesus: Meus cibus est, ut faciam quod uult is qui misit me, & perficiam opus eius. Nónne uos dicitis, adhuc quatuor menses sunt, & meßis ueniet? Ecce dico uobis, attollite oculos uestros, & uidete regiones, quoniã albæ sunt iam ad meßem. Et qui metit, mercedem accipit, & congregat fructum in uitam æternam: ut & qui seminat, simul gaudeat, & qui metit. In hoc enim est sermo uerus, quod alius est q̃ seminat, & alius est qui metit. Ego misi uos ad metendum, quod uos non laborastis. Alij laborauerũt, & uos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum propter sermonem mulieris testificantis, quod dixißet sibi omnia quæcũq; feciſſet. Cum uenißent ergo ad illum Samaritani, rogauerũt eum, ut apud se

maneret

maneret: & manſit ibi duos dies . Ac multo plures
crediderunt propter ſermonẽ ipſius:& mulieri di/
cebant:Iam nõ propter tuam orationem credimus,
ipſi enim audiuimus,& ſcimus quod hic eſt uere ſer
uator mundi Chriſtus.* Poſt duos autem dies exijt. 34
inde,& abijt in Galilæam.*Ipſe enim Ieſus teſtatus VII
eſt, quod propheta in ſua patria honorem nõ habe- 35
ret.* Cũ ergo ueniſſet in Galilæam,exceperũt eum I
Galilæi,cum omnia uidißent , quæ fecerat Hieroſo/ 36
lymis in die feſto: & ipſi enim uenerant ad diem fe X
ſtum.Venit ergo Ieſus iterum in Cana Galilææ,ubi
fecerat ex aqua uinum.*Et erat quidã regulus,cu/ 37
ius filius infirmabatur Capernaum:hic cũ audiſſet, III
quod Ieſus aduenißet à Iudæa in Galilæam,abijt ad
eum,& rogabat cũ ut deſcẽderet, ac ſanaret ipſius
filium: ſiquidem is agebat animã . Dixit ergo Ieſus
ad eum:Niſi ſigna & prodigia uideritis,non crede
tis.Dicit ad eum regulus:Domine,deſcende,prius q̃
moriatur filius meus.Dicit ei Ieſus:Vade,filius tuus
uiuit. Credidit homo ſermoni, quẽ dixerat ei Ieſus,
& ibat.Iam autem eo deſcẽdente, ſerui occurrerũt
ei,& nunciauerunt,dicentes:Filius tuus uiuit . Sci/
ſcitatus eſt ergo horam ab eis,in qua melius habuiſ
ſet.Et dixerunt ei: Heri hora ſeptima reliquit eum
febris . Cognouit ergo pater , quod illa hora erat,
in qua dixißet ſibi Ieſus : Filius tuus uiuit , & cre/

didit ipſe & domus eius tota. Hoc iterum ſecũdum ſignum ædidit Ieſus, cum ueniſſet à Iudæa in Galilæam.

CAP. V

POſt hæc erat dies feſtus Iudæorum, & aſcendit Ieſus Hieroſolymam. Eſt autem Hieroſolymis ad probaticam piſcina, quæ nominatur Hebraice Bethesda, quinq; porticus habens: in his iacebat multitudo magna languentium, cæcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus enim deſcẽdebat certo tempore in piſcinam, & turbabat aquã. Itaq; qui primus deſcẽdiſſet poſt turbationem aquæ, ſanus fiebat, à quocunq; detinebatur morbo. 5 8 *Erat autem quidã homo illic, qui triginta & octo annos morbo tenebatur. Hunc cũ uidiſſet Ieſus decumbentem, & cognouiſſet quod iam multum temporis morbo teneretur, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpõdit ei languidus: Domine, hominem non habeo, ut cum turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinã. Sed interim dũ ego uenio, iam alius ante me deſcendit. Dicit ei Ieſus: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabbatum ſuũ, & ambulabat. 5 9 *Erat autem ſabbatum in die illo: dicebant ergo Iudæi ei, qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabbatum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, is mihi dixit: Tolle grabbatum tuum, & ambula. Interro-

terrogauerunt ergo eum: Quis est ille homo, qui dixit tibi: Tolle grabbatum tuũ, & ambula? Is autem qui sanus fuerat effectus, nesciebat quis esset. Iesus enim subduxit se, quod turba esset eo in loco. Postea reperit eũ Iesus in templo, & dixit illi: Ecce sanus factus es, ne posthac pecces, ne quid deterius tibi contingat. Abijt ille homo, & nũciauit Iudæis, quod Iesus esset, à quo sanatus fuisset. Ac propterea persequebantur Iudæi Iesum, & quærebant illum occidere, quod ista fecisset in sabbato. Iesus autem respondit eis: Pater meus ad hoc usq; temporis operatur, & ego operor. Propterea ergo magis quærebant eum Iudæi interficere, quia non solum soluisset sabbatum, sed & patrem suum dixisset deum, æqualem se faciens deo. Respondit itaq; Iesus, & dixit eis: Amen amen dico uobis, non potest filius à se facere quicquam, nisi quid uiderit patrem facientẽ. Quæcunq; enim ille fecerit, hæc itidem & filius facit. Pater enim diligit filium, & omnia demonstrat ei quæ ipse facit: & maiora his demonstrabit ei opera, ut uos miremini. Sicut enim pater suscitat mortuos et uiuificat, sic & filius quos uult, uiuificat. Neq; enim pater iudicat quenquam, sed omne iudicium dedit filio: ut omnes honorent filium, sicut honorant patrem. *Qui nõ honorat filium, nõ honorat patrem, qui misit illum. *Amen amen dico uobis, qui sermo-

40 I 41 X

nem meum audit,& credit ei qui misit me,habet ui
tam æternam,& in condemnationẽ non ueniet,sed
transiuit à morte in uitam. Amen amen dico uobis,
quod ueniet hora, & nunc est, quando mortui au-
dient uocem filij dei:& qui audierint,uiuent. Sicut
enim pater habet uitam in semetipso,sic dedit & fi
lio habere uitam in semetipso: & potestatem dedit
ei iudicandi quoq;,quia filius hominis est.Nolite mi
rari hoc:quia ueniet hora,in qua omnes qui in mo-
numentis sunt,audient uocẽ eius,& prodibunt: qui
bona fecerunt,in resurrectionem uitæ:qui uero ma-
la egerunt,in resurrectionem cõdemnationis . Non
possum ego ex meipso facere quicquã. Sicut audio,
42 iudico,& iudicium meũ iustum est:*Quia nõ quæ-
I ro uoluntatem meam, sed uoluntatem eius qui mi-
43 sit me,patris.*Si ego testimoniũ perhiberem de me
X ipso,testimonium meum non esset uerum. Alius est
qui testimonium perhibet de me,& scio uerum esse
testimoniũ quod testificatur de me . Vos misistis ad
Ioannem,& is testimonium reddidit ueritati . Ego
autem non ab homine testimonium accipio:sed hæc
dico,ut uos salui sitis. Ille erat lucerna ardens & lu
cens,uos autem uoluistis ad tempus exultare in lu-
ce eius. At ego testimoniũ habeo maius testimonio
Ioannis.Opera enim quæ dedit mihi pater, ut perfi
ciam ea,ipsa inquã opera, quæ ego facio,testifican-
tur de

tur de me, quod pater miſerit me. Et qui miſit me
pater, ipſe teſtificatus eſt de me.* Neq; uocem eius 44
unquã audiſtis, neq; ſpeciẽ eius uidiſtis:* & ſermo/ III
nem eius nõ habetis in uobis manentem: quia quem 45
miſit ille, huic uos non creditis. Scrutamini ſcriptu/ X
ras, quia uos uidemini uobis in ipſis uitã æternam
habere: & illæ ſunt quæ teſtificantur de me: nec uul
tis uenire ad me, ut uitam habeatis. Gloriam ab ho/
minibus non accipio, ſed cognoui uos, quod dilectio
nem dei non habeatis in uobis. Ego ueni nomine pa
tris mei, nec recipitis me. Si alius uenerit nomine
ſuo, illum recipietis. Quomodo uos poteſtis crede/
re, qui gloriam à uobis inuicem accipitis: & gloriã
quæ à ſolo deo proficiſcitur, nõ quæritis? Nolite pu
tare, quod ego accuſaturus ſim uos apud patrem:
eſt qui accuſat uos, Moſes, in quo uos ſperatis. Si
enim credidiſſetis Moſi, credidiſſetis utiq; mihi: de
me enim ille ſcripſit. Si autem illius ſcriptis nõ cre/
ditis, quomodo uerbis meis credetis? CAP. VI

POſt hæc abijt Ieſus trans mare Galilææ, quod 46
eſt Tiberiadis,* & ſequebatur eũ turba mul I
ta, quia uidebant eius ſigna, quæ faciebat ſuper his 47
qui infirmabantur.* Subijt autem in montem Ieſus, III
& ibi ſedebat cum diſcipulis ſuis.* Inſtabat autem 48
paſcha dies feſtus Iudæorum,* Cum ſuſtuliſſet ergo I
oculos Ieſus, & uidiſſet quod multa turba uemiret 49
adſe I

ad se, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, ut edant isti? Hoc autem dicebat, tentans eũ: ipse enim sciebat quid esset facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, ut unusquisq; pusillum quippiam accipiat. Dicit ei unus ex discipulis ipsius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer unus hic, qui habet quinq; panes hordeaceos, & duos pisces: sed hæc quid sunt inter tam multos? Dixit autem Iesus: Facite ut homines discũbant. Erat autem gramen multum in eo loco. Discubuerunt ergo uiri numero fermè quinquies mille. Accepit autem panes Iesus: cumq; gratias egisset, distribuit discipulis: discipuli uero discumbentibus. Similiter & ex piscibus quantum uolebãt. Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis: Colligite quæ superfuerunt fragmenta, ne quid pereat. Collegerunt ergo, & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum ex quinq; panibus hordeaceis, quæ superfuerant his qui comederant. * Illi ergo homines cũ uidissent quod Iesus fecerat signum, dicebant: Hic est uere propheta ille, qui uenturus est in mundum. Iesus ergo cum cognouisset quod uenturi essent, ac rapturi ipsum, ut facerent ipsum regem, secessit iterũ in montem ipse solus. * At ubi iam uespera esset, descenderunt discipuli eius ad mare, & conscensa naui, uenerunt traiecto mari ad oppidũ Capernaum.

50 X

51 IIII

Iamq;

Iamq; tenebræ erant, nec uenerat ad eos Ieſus. Ma-
re autem uento magno flante intumeſcebat. Cũ re-
migaſſent ergo fermè ſtadia uigĩtiquinq; aut trigin
ta, uident Ieſum ambulantem ſuper mare, & appro
pinquantem naui, ac timuerunt. Ille autem dicit eis:
Ego ſum, nolite timere. Voluerũt ergo recipere eũ
in nauim, & illico nauis appulerat terræ ad quam
ibant. *Poſtero die turba quæ ſtabat trans mare, ut 52
uidit quod nauicula alia non eßet ibi, niſi una illa, X
in quam ingreßi fuerãt diſcipuli eius: & quod non
introißet cum diſcipulis ſuis Ieſus in nauiculã, ſed
ſoli diſcipuli eius abiſſent (aliæ uero ſuperuenerunt
nauiculæ à Tyberiade iuxta locum ubi comederãt
panem, poſtea quàm gratias egiſſet dominus) cum
ergo uidiſſet turba, quod Ieſus non eſſet ibi, neq; di-
ſcipuli eius, aſcenderunt & ipſi in nauiculas, & ue-
nerunt Capernaum, quærentes Ieſum: & cum inue
nißent eum trans mare, dixerunt ei: Rabbi, quando
huc ueniſti? Reſpõdit eis Ieſus, & dixit: Amẽ amen
dico uobis: quæritis me, non quia uidiſtis ſigna, ſed
quia comediſtis de panibus, & ſaturati eſtis. Opere
mini non cibum qui perit, ſed qui permanet in uitã
eternam, quem filius hominis dabit uobis: hũc enim
pater conſignauit deus. Dixerunt ergo ad eũ: Quid
facimus, ut operemur opera dei? Reſpõdit Ieſus, &
dixit eis: Hoc eſt opus dei, ut credatis in eum quem

miſit

53 misit ille.*Dixerunt ergo ei:Quod ergo tu facis sig
IIII gnũ,ut uideamus & credamus tibi?quid operaris?
54 *Patres nostri manducauerunt manna in deserto,si
X cut scriptum est: Panem de cœlo dedit eis ad eden
Psal.77 dum.Dixit ergo eis Iesus:Amen amẽ dico uobis:nõ
Moses dedit uobis illũ panẽ de cœlo, sed pater me
us dat uobis panẽ de cœlo uerũ. Panis enim dei est
qui de cœlo descendit,& dat uitam mundo. Dixe
rũt ergo ad eũ: Domine,semper da nobis panẽ istũ.
55 Dixit autẽ eis Iesus: Ego sum panis ille uitæ.* Qui
I uenit ad me,nõ esuriet:et qui credit in me, nõ sitiet
56 unquã.Sed dixi uobis,quod etiã uidistis me,nec cre
X ditis.*Omne quod dat mihi pater,ad me ueniet:&
57 eum,qui uenerit ad me,nõ eijcio foras.* Quia descẽ
I di de cœlo,ut faciã nõ quod ego uolo,sed quod uult
58 is qui misit me.* Hæc est autem uolũtas eius qui mi
X sit me patris, ne quid perdã ex omnibus quæ dedit
mihi,sed resuscitẽ illa in nouißimo die. Hæc est au
tem uolũtas eius qui misit me,ut omnis qui uidet fi
lium,& credit in eũ,habeat uitam æternã, & ego
suscitabo eum in nouißimo die. Murmurabãt ergo
Iudæi de illo,quod dixißet: ego sum panis ille, qui
59 de cœlo descendi.Et dicebant:* Nónne hic est Iesus
I filius Ioseph,cuius nos nouimus patrem & matrẽ?
60 Quomodo ergo dicit hic:de cœlo descẽdi?*Respon
X dit ergo Iesus,et dixit eis: Nolite murmurare inter

uos

nos. Nemo potest uenire ad me, nisi pater, qui misit me, traxerit eum, & ego suscitabo eũ in nouissimo die. Est scriptum in prophetis: Et erũt omnes docti à deo. * Omnis ergo qui audiuit à patre & didicit, 61
uenit ad me: nõ quod patrem uiderit quisquam, nisi III
is qui est à deo, hic uidit patrem. * Amen amen dico 62
uobis, qui cõfidit mihi, habet uitam æternam. * Ego X
sum panis ille uitæ. * Patres uestri comederũt man/ 63
na in deserto, & mortui sunt. Hic est panis ille de I
cœlo descendens, ut ex ipso edat aliquis, & nõ mo/ 64
riatur. * Ego sum panis uiuus, qui de cœlo descendi: X
* si quis ederit ex hoc pane, uiuet in æternũ. Et pa/ 65
nis quem ego dabo, caro mea est, quã ego dabo pro I
mundi uita. Decertabant ergo Iudæi inter se, dicen/ 66
tes: Quomodo potest hic nobis carnem illam suam X
dare ad edendum? Dixit ergo eis Iesus: Amẽ amen
dico uobis, nisi ederitis carnem filij hominis, & bi/
beritis eius sanguinem, non habetis uitam in uobis.
Qui edit meam carnẽ, & bibit meum sanguinem,
habet uitam æternam: & ego suscitabo eum in no/
uissimo die. * Caro enim mea uere est cibus, & san/ 67
guis meus uere est potus. * Qui edit meam carnem, I
& bibit meũ sanguinẽ, in me manet, & ego in illo. 68
Sicut misit me uiuens pater, & ego uiuo propter X
patrẽ: ita et qui ederit me, uiuet ipse quoq; propter
me. Hic est panis ille, qui de cœlo descendit: nõ sicut
come/

comederunt patres uestri manna, & mortui sunt: qui ederit hunc panem, uiuet in æternũ. Hæc dixit in synagoga, docens in Capernaum. Multi ergo his auditis, ex discipulis eius dixerũt: Durus est hic sermo. Quis potest eum audire? Sciens autem Iesus apud semetipsum, quod murmurarent de hoc discipuli ipsius, dixit eis: Hoc uos offendit? *Quid igitur
I si uideritis filium hominis ascendentem eò ubi erat
70 prius? *Spiritus est qui uiuificat, caro non prodest
IIII quicquam. *Verba quæ ego loquor uobis, spiritus
71 & uita sunt. Sed sunt quidam ex uobis qui non cre-
X dunt.* Nouerat enim ab initio Iesus, qui essent non
72 credentes, & quis proditurus esset ipsum.* Et dice-
IIII bat: Propterea dixi uobis, quod nemo potest uenire
73 ad me, nisi fuerit ei datum à patre meo. Ex eo tem-
X pore multi discipulorum eius desciuerunt, eo reli-
cto, nec amplius cum illo ambulabãt. Dixit ergo Iesus ad duodecim: Num & uos uultis abire? Respondit ergo ei Simon Petrus: Domine, ad quẽ ibimus? uerba uitæ æternæ habes, *& nos credimus & co-
74 gnouimus quod tu es Christus filius dei uiui.* Re-
I spondit ei Iesus: Nónne ego uos duodecim elegi, &
75 ex uobis unus diabolus est? Dicebat autem de Iuda
X Simonis Iscariota. Hic enim erat proditurus eum, cum esset unus ex duodecim.

Versa

CAPVT VII

VErſabatur Ieſus poſt hæc in Galilæa, non enim uolebat in Iudæa uerſari, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autẽ in propinquo dies feſtus Iudæorum ſcenopegia. Dixerũt igitur ad eum fratres eius: Tranſi hinc, & uade in Iudæam, ut & diſcipuli tui uideant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto facit aliquid, et quærit ipſe palàm eſſe. Si hæc facis, declara teipſum mundo. Nam ne fratres quidem eius credebant in eum. Dicit ergo ei Ieſus: Tempus meum nondum adeſt, tempus autem ueſtrum ſemper eſt paratum. Non poteſt mundus odiſſe uos, me autem odit: quia ego teſtimonium fero de illo, quod opera eius mala ſint. Vos aſcendite ad diẽ feſtum hunc. Ego nondum aſcendo ad feſtũ hoc, quia meum tempus nondum impletum eſt. Hæc autẽ cum dixiſſet illis, manſit in Galilæa. Vt autem aſcenderũt fratres eius, tunc & ipſe aſcendit ad feſtum non manifeſte, ſed uelut in occulto. Iudæi ergo quærebant eum in feſto, & dicebant: ubi eſt ille? Et murmur multum erat in turbis de eo. Quidã enim dicebãt, bonus eſt: alij autem dicebant, non, ſed ſeducit turbam. Nemo tamen palàm loquebatur de illo propter metum Iudæorum. Cum autem iam dimidiũ feſti peractum eſſet, aſcendit Ieſus in templum, ac docebat. Et mirabantur Iudæi, dicentes. Quomodo hic literas ſcit cũ

non didicerit? Respondit eis Iesus, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. Si quis uoluerit uoluntati eius obtemperare, cognoscet de doctrina, utrum ex deo sit, an ego à meipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit. Qui autem quærit gloriam eius qui misit ipsum, hic uerax est, & iniusticia in illo nõ est. Nónne Moses dedit uobis legem, & tamen nemo ex uobis factis præstat legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere? Respondit Iesus, & dixit eis: Vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moses dedit uobis circũcisionẽ, nõ quia ex Mose sit, sed quia ex patribus, & tamen in sabbato circunciditis hominem. Si circuncisionem accipit homo in sabbato, ut non soluatur lex Mosi: mihi indignamini, quod totum hominem sanum fecerim in sabbato? Nolite iudicare secundum aspectum, sed iusto iudicio iudicate. Dicebant ergo quidã ex Hierosolymitanis: Nónne hic est quẽ quærũt interficere? Atqui ecce palàm loquitur, & nihil ei dicunt: Num uere cognouerunt principes, hunc esse uere Christum? Sed hunc nouimus unde sit. Christus autem cum uenerit, nemo scit unde sit. Clamabat ergo Iesus in templo docens, ac

76 *dicens: Et me nostis, & unde sim nostis: & à meipso*

111 *non ueni, sed est uerax qui misit me,* quem uos non*

nouistis:

nouistis:ego uero noui eum,quia ab ipso sum,& ille
me misit.ˣ Quærebant ergo eum apprehendere: & 77
nemo misit in illum manus, quia nondum uenerat ho I
ra eius.* De turba autem multi crediderunt in eum, 78
& dicebant: Christus cum uenerit,num signa plura X
ædet his quæ hic ædidit? Audierũt pharisæi turbam
murmurantem de illo hæc,* & miserunt pharisæi ac 79
principes sacerdotum ministros, ut apprehenderent I
eum.*Dixit ergo eis Iesus:Adhuc pusillum temporis 80
uobiscum sum,& abeo ad eum qui me misit.Quære/ I X
tis me,nec inuenietis.Et ubi ego sum, eò uos nõ pote
stis uenire.ˣ Dixerũt ergo Iudæi inter sese:Quò hic 81
iturus est,quod nos non inueniemus eum?Num in di X
sperssionem gentium iturus est, & docturus gentes?
Quis est hic sermo quem dixit: quæretis me, & non
inuenietis: & ubi ego sum,eò uos non potestis ueni/
re? In nouissimo autem die magno festi stabat Iesus
& clamabat,dicens: Si quis sitit,ueniat ad me & bi/
bat.Qui credit in me, sicut dicit scriptura: Flumina
de uentre eius fluent aquæ uiuæ.Hoc autem dixit de
spiritu, quem accepturi erant credentes in ipsum.
Nondum enim erat spiritus sanctus, quia Iesus non/
dum erat glorificatus.*Multi ergo de turba,cum au 82
dissent hunc sermonem, dicebant: Hic est uere pro- V II
pheta. Alij dicebant:Hic est Christus. Quidam autẽ
dicebant:* Num à Galilæa ueniet Christus? Nónne 83

ſcriptura dicit,quod ex ſemine Dauid,et de Bethleẽ
84 *caſtello,ubi erat Dauid,ueniet Chriſtus? * Diſſenſio*
X *itaq; orta eſt in turba propter eũ.* Quidam autẽ ex*
85 *ipſis uolebant apprehendere eum,ſed nemo coniecit*
1 *in eum manus. * Venerunt ergo miniſtri ad pontifi-*
86 *ces & phariſæos:& dixerunt eis illi: Quare nõ ad-*
X *duxiſtis illum?Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic*
loquutus eſt homo ſicut hic homo.Reſponderunt er-
go eis phariſæi:Num & uos ſeducti eſtis? Num quis
ex principibus credidit in eum, aut ex phariſæis?
Sed turba hæc,quæ non nouit legẽ,execrabiles ſunt.
Dicit Nicodemus ad eos, is qui uenerat ad eum no-
cte,qui unus erat de numero eorum:Num lex noſtra
iudicat hominem,niſi prius audierit ab ipſo,& cog-
nouerit quid faciat? Reſponderunt, & dixerunt ei:
Num & tu Galilæus es?Scrutare & uide, quod à
Galilæa propheta nõ ſurrexit.Et proſectus eſt unuſ-
quiſque in domum ſuam.

CAPVT VIII

IEſus autem perrexit in montem oliuarũ,& dilu-
culo iterum uenit in templũ, cunctusq; populus
uenit ad eum:& ſedens docebat eos.Adducunt autẽ
ad eum ſcribæ & phariſæi mulierem in adulterio de-
prehenſam:& cum ſtatuiſſent eam in medio, dicunt
ei:Magiſter,hæc mulier deprehenſa eſt in ipſo adul-
terio.In lege autem Moſes præcepit nobis,ut huiuſ-
modi

modi lapidarentur. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebant tentantes eum, ut possent accusare eum. Iesus autem inclinans se deorsum, digito scribebat in terra. Cũ ergo perseuerarẽt interrogare, erexit se, & dixit eis: Qui uestrum immunis est à peccato, primus in illam lapidem iaciat. Et iterũ se inclinans scribebat in terra. Audientes autem hæc, singulatim alius post alium exibant, initio facto à senioribus: & relictus est solus Iesus, ac mulier in medio stans. Cum autem erexisset se Iesus, & neminem uideret præter mulierem, dixit ei: Mulier, ubi sunt illi tui accusatores? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo domine. Dixit autem Iesus: Nec ego te condemno. Vade, & posthac ne peccaueris. Iterum ergo Iesus loquutus est eis: dicens: Ego sum lux mundi. Qui sequitur me, non ambulat in tenebris, sed habebit lumen uitæ. Dixerunt ergo ei pharisæi: Tu de teipso testificaris, testimonium tuum nõ est uerum. Respondit Iesus, & dixit eis: Et si ego testimonium perhibeam de me ipso, uerum est testimonium meum: quia scio unde ueni, & quò uado: uos autem nescitis unde uenio, & quò uado. Vos secundũ carnem iudicatis, ego non iudico quenq̃. Porrò & si iudicem ego, iudicium meum uerum est: quia solus non sum, sed ego & qui misit me pater. Quin & in lege uestra scriptũ est, quod duorum hominum testimonium uerum est. Ego sum qui

testimonium fero de meipso,& testimonium fert de me, qui misit me, pater. Dicebant ergo ei: Vbi est
87 pater tuus? Respondit Iesus: * Neque me nostis,ne/
III que patrem meum. Si me nouissetis,et patrem meum nouissetis. Hæc uerba loquutus est Iesus in gazophy
88 lacio,docẽs in templo.* Et nemo apprehendit eum:
I quia nondum uenerat hora eius. Dixit ergo eis ite/
89 rum Iesus:* Ego uado,& quæretis me,& in pecca/
X to uestro moriemini: quò ego uado, uos non pote/ stis uenire. Dicebant ergo Iudæi: Num interficiet se/ metipsum, quia dicit: quò ego uado, uos non pote/ stis uenire? Et dicebat eis: Vos ab infernis estis,ego de supernis sum. Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo uobis, quod moriemi/ ni in peccatis uestris. Si enim non crediderits quod ego sum,moriemini in peccatis uestris. Dicebant er/ go ei: Tu quis es? Et dicit eis Iesus: In primis quod & loquor uobis. Multa habeo quæ de uobis loquar ac iudicem: sed qui me misit,uerax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Non cognouc/ runt quod de patre eis locutus esset. Dixit ergo eis Iesus: Cum exaltaueritis filiũ hominis,tunc cognos/ cetis quod ego sum, & quod ex meipso facio nihil, sed ita ut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me mi sit,mecum est. Nõ reliquit me solum pater: quia ego quæ placita sunt ei,facio semper. Hæc illo loquente,

multi

multi crediderũt in eum. Dicebat ergo Iesus ad eos, qui crediderant ipsi, Iudæos: Si uos manseritis in sermone meo, uere discipuli mei estis: & cognoscetis ueritatem, & ueritas liberos reddet uos. Responderũt ei: Semen Abrahæ sumus, neq; cuiquã seruiuimus unquam, quomodo tu dicis, liberi reddemini? Respondit eis Iesus: Amen amen dico uobis, quod omnis qui facit peccatum, seruus est peccati. Seruus autẽ non manet in domo in æternum, filius manet in æternum. Si ergo uos filius liberos reddiderit, uere liberi estis. Scio quod semẽ Abrahæ estis. Sed quæritis me interficere, quia sermo meus nõ habet locũ in uobis. Ego quod uidi apud patrem meum loquor, & uos quod uidistis apud patrem uestrum, facitis. Responderunt, & dixerunt ei: Pater noster Abraham est. Dicit eis Iesus: Si filij Abrahæ essetis, opera Abrahæ faceretis. Nunc autem quæritis me interficere, hominem qui ueritatem uobis locutus sum, quã audiui à deo: hoc Abraham non fecit. Vos facitis opera patris uestri. Dixerunt itaq; ei: Nos è stupro non sumus nati. Vnum patrem habemus deum. Dixit eis Iesus: Si deus pater uester esset, diligeretis utiq; me. Ego enim ex deo processi, & ueni. Neq; enim à meipso ueni, sed ille me misit. Quare loquelam meam nõ agnoscitis? quia non potestis audire sermonem meũ. Vos ex patre diabolo estis, & desiderijs patris uestri uultis

obſequi. Ille homicida erat ab initio, & in ueritate non ſtetit: quia non eſt ueritas in eo. Cum loquitur mendacium, ex proprijs loquitur: quia mendax eſt, atq; eius rei pater. Ego autem quia ueritatem dico, non creditis mihi. Quis ex uobis arguit me de peccato? Porrò ſi ueritatem dico, quare uos non creditis mihi? Qui ex deo eſt, uerba dei audit. Propterea uos non auditis, quia ex deo non eſtis. Reſpondérunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne bene dicimus nos, quod Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed cohonęſto patrem meũ, & uos ignominia affeciſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam: eſt qui quærat & iudicet. Amen amẽ dico uobis, ſi quis ſermonem meũ ſeruauerit, mortem non uidebit in æternũ. Dixerunt ergo illi Iudæi: Nunc cognouimus quod dæmonium habes. Abraham mortuus eſt & prophetæ, & tu dicis: ſi quis ſermonem meum ſeruauerit, non guſtabit mortem in æternum. Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham, qui mortuus eſt? Et prophetæ mortui ſunt. Quem teipſum tu facis? Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum, gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me, quem uos dicitis deum ueſtrum eſſe, & tamen non cognouiſtis eum, ego autem noui eum. Et ſi dixero, quod non nouerim eum, ero ſimilis ueſtri, mendax. Sed noui eum, & ſermonem eius ſeruo.

uo. Abraham pater uester exultauit ut uideret diẽ meum, & uidit, atq; gauisus est. Dixerũt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham uidisti? Dixit eis Iesus, Amen amen dico uobis, antequàm Abraham nasceretur, ego sum. Tollebant ergo lapides, ut iacerent in eum. Iesus autẽ abscondit se, & exiuit è templo.

CAPVT IX

ET præteriens Iesus, uidit hominem cæcũ à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius, dicentes: Rabbi, quis peccauit, hic, an parentes eius, ut cæcus nasceretur? Respondit Iesus: Neque hic peccauit, neque parentes eius, sed ut manifestentur opera dei in illo. Me oportet operari opera eius qui misit me, donec dies est. Venit nox, quando nemo potest operari. Quàmdiu fuero in mundo, lux sum mundi. Hoc cum dixisset, expuit in terram, & fecit lutũ ex sputo, & illeuit lutum super oculos cæci, & dixit ei: Vade, laua in piscina Siloæ: quod si interpreteris, sonat missus. Abijt ergo & lauit, & uenit uidens. Itaque uicini, & qui uiderant eum prius quod mendicus esset, dicebant: Nónne hic est qui sedebat, & mendicabat? Alij dicebant, hic est: alij rursus, similis est ei. Ille dicebat: Ego sum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti sunt tibi oculi? Respondit ille & dixit: Ille homo qui dicitur Iesus, lutũ fecit, & inunxit oculos

 meos,

meos,& dixit mihi: Vade ad piſcinam Siloë, & laua. Vt autem abij ac laui,uiſum recepi. Dixerunt ergo ei: Vbi eſt ille? Ait,neſcio. Adducunt ad Phariſæos eum,qui dudum cæcus fuerat. Erat autem ſabbatum,cum lutum faceret Ieſus, & aperiret oculos eius. Iterũ ergo interrogabant eum & Phariſæi,quomodo uiſum recepiſſet. Ille autem dixit eis: Lutũ mihi impoſuit ſuper oculos,& laui & uideo. Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à deo, quia ſabbatum non obſeruat. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna ædere? Et diſſenſio erat inter eos. Dicunt cæco iterum: Tu quid dicis de illo, quia aperuit tibi oculos tuos? Ille autem dixit: Propheta eſt. Non crediderunt ergo Iudæi de illo,quod cæcus fuiſſet,& uiſum recepiſſet,donec uocauerunt parentes eius qui uiſum receperat, & interrogauerunt eos, dicentes: Hic eſt filius ueſter,quem uos dicitis cæcum natum eſſe? Quomodo ergo nunc uidet? Reſponderunt eis parentes eius,& dixerunt: Scimus quod hic eſt filius noſter, & quod cæcus natus eſt, quomodo autem nunc uideat,neſcimus: aut quis eius aperuit oculos,nos neſcimus. Ipſe ætatem habet, ipſum interrogate, ipſe de ſe loquetur. Hæc dixerunt parentes eius, quod timerent Iudæos. Iam enim conſpirauerant Iudæi,ut ſi quis eum confiteretur eſſe Chriſtum, è ſynagoga ejiceretur.

Propterea

Propterea parentes eius dixerunt, ætatem habet, ipſum interrogate. Vocauerunt ergo rurſum hominẽ, qui fuerat cæcus, & dixerunt ei: Da gloriam deo. Nos ſcimus quod hic homo peccator eſt. Reſpondit ergo ille, & dixit: An peccator ſit, neſcio: unũ ſcio, quod cæcus cum fuerim, nunc uideam. Dixerunt ergo illi iterum: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis: Dixi uobis iam, nec audiſtis, cur iterum uultis audire? Num & uos uultis diſcipuli eius fieri? Conuiciati ſunt ergo ei, & dixerunt: Tu diſcipulus illius eſto, nos autem Moſi diſcipuli ſumus. Nos ſcimus quod Moſi loquutus eſt deus, hunc autem neſcimus unde ſit. Reſpondit ille homo, & dixit eis: In hoc enim mirabile quiddam eſt, quod uos neſciatis unde ſit, & tamen aperuit meos oculos. Scimus autem quod peccatores deus non audit, ſed ſi quis dei cultor eſt, & uoluntati ipſius obtemperat, hunc audit. A ſeculo non eſt auditũ, quod quis aperuerit oculos cæci nati. Niſi eſſet hic à deo, nõ potuiſſet facere quicquam. Reſponderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foras. Audiuit Ieſus quod eieciſſent eum foras, cumq; inueniſſet eum, dixit ei: Tu credis in filium dei? Reſpondit ille, & dixit: Quis eſt domine, ut credam in eum? Et dixit ei Ieſus: Et uidiſti eum, & qui loquitur tecũ, ipſe eſt. At ille ait: Credo domine,

& adorauit eum. Et dixit ei Iesus: In iudicium ego in hunc mundum ueni, ut qui non uident, uideant: & qui uident, cæci fiant. Et audierunt quidam ex phari sæis hæc, qui cum ipso erant, & dixerũt ei: Num & nos cæci sumus? Dixit eis Iesus: Si cæci essetis, non haberetis peccatum. Nunc uero dicitis, uidemus, idcirco peccatum uestrum manet.

CAPVT X

AMen amen dico uobis, qui non intrat per ostium in stabulum ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autẽ intrat per ostium, pastor est ouium. Huic ostiarius aperit, & oues uocem eius audiũt. Et proprias oues uocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas uadit, & oues illum sequuntur, quia nouerunt uocem eius. Alienum autem non sequentur, sed effugient ab eo, quia non nouerunt uocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis Iesus, illi autem non cognouerunt, quæ essent quæ loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum Iesus: Amen amen dico uobis, ego sum ostium ouium. Omnes quotquot ante me uenerũt, fures sunt & latrones, sed non audierunt eos oues. Ego sum ostium, per me si quis introierit, seruabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non uenit, nisi ut furetur & mactet ac perdat. Ego ueni ut uitam habeant, & abundantius habeant. Ego sum

pastor

pastor ille bonus. Bonus pastor animam suam dat pro ouibus. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, uidet lupum uenientem, ac deserit oues fugitq; , & lupus rapit ac dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & oues non sunt illi curæ. Ego sum pastor ille bonus, & cognosco oues meas, & cognoscor à meis.* Sicut nouit me pater, ita et ego noui patrem, 90
& animam meam pono pro ouibus. Et alias oues III
habeo, quæ non sunt ex hoc ouili: illas quoq; oportet 91
me adducere, & uocem meam audient: & fiet unum IIII
ouile, unus pastor. Propterea me pater diligit, quia 92
ego pono animam meam, ut iterum sumam eam. Ne- X
mo tollit eam à me, sed ego pono eam à me ipso. Potestatem habeo ponendi eam, & potestatem habeo rursus sumendi eam, hoc mandatum accepi à patre meo. Dissensio igitur iterum facta est inter Iudæos propter sermones hos. Dicebant autem multi ex ipsis, dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Alij dicebant: Hæc uerba non sunt dæmonium habentis. Num dæmonium potest cæcorũ oculos aperire? Facta sunt autem encænia Hierosolymis, & hyems erat, & ambulabat Iesus in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousq; animam nostrã suspendis? Si tu es Christus, dic nobis ingenue. Respondit eis Iesus: Dixi uobis,

bis,nec creditis.Opera quæ ego facio nomine patris mei, hæc testimonium reddunt de me. Sed uos non creditis, quia non estis ex ouibus meis, quemadmodum dicebam uobis: Oues meæ uocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me, & ego uitam æternam do eis, nec peribunt in æternum,neque rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus qui dedit mihi, maior omnibus est, & nemo potest rapere de manu patris mei. Ego & pater unum sumus.Sustulerunt ergo rursum lapides Iudæi, ut lapidarent eum. Respondit eis Iesus: Multa bona opera ostendi uobis ex patre meo,propter quod eorũ operum me lapidatis? Responderunt ei Iudæi, dicentes: Ob bonum opus nõ lapidamus te, sed ob blasphemiam:& quia tu homo cum sis,facis teipsum deum.Respondit eis Iesus: Nónne scriptum est in lege uestra: Ego dixi, dij estis? Si illos dixit deos, ad quos sermo dei factus est, & non potest solui scriptura, quem pater sanctificauit & misit in mundum, uos dicitis me blasphemare,quia dixerim,filius dei sum? Si nõ facio opera patris mei,nolite credere mihi:sin uero facio, & si mihi nõ credatis, operibus credite, ut cognoscatis & credatis,quod pater in me est, & ego in eo.* Quærebant iterũ eum apprehendere,& exiuit de manu eorum: & abijt iterum trans Iordanem in eum locum,ubi fuerat Ioannes baptizans primum

95

IIII

num, manſitq; illic. * Et multi uenerunt ad eum, ac 94
dicebant: Ioannes quidem ſignũ ædidit nullum. Om- X
nia autẽ quæcunq; dixit Ioannes de hoc, uera erant,
& crediderunt multi illic in eum.

CAPVT XI

AEgrotabat autem quidam nomine Lazarus Bethanienſis à caſtello Mariæ & Marthæ huius ſororis. Maria autem erat ea quæ unxit dominum unguento, & exterſit pedes eius capillis ſuis: cuius frater Lazarus ægrotabat. Miſerũt ergo ſorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quẽ amas, ægrotat. Audiens autem Ieſus, dixit: Infirmitas hæc nõ eſt ad mortem, ſed pro gloria dei, ut glorificetur filius dei per eam. Diligebat autem Ieſus Martham & ſororem eius, & Lazarũ. Vt ergo audiuit quod ægrotaret, tum quidem temporis manſit in eodem loco duobus diebus. Deinde poſt hoc dicit diſcipulis. Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi, modo quærebant te Iudæi lapidare, & iterũ uadis illuc? Reſpondit Ieſus: Nónc duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, nõ offendit: quia lucẽ huius mundi uidet. Si quis autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. Hæc ait, & poſt hæc dicit eis: Lazarus amicus noſter dormit, ſed uado ut à ſomno excitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autẽ Ieſus de

morte

morte eius : at illi putauerunt , quod de dormitione ſomni diceret . Tunc ergo Ieſus dixit eis manifeſte: Lazarus mortuus eſt,& gaudeo propter uos,ut credatis,quod non fuerim ibi.Sed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas, qui dicitur Didymus, ad diſcipulos : Eamus & nos,ut moriamur cum eo. Venit itaq; Ieſus,& inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem.Erat autẽ Bethania iuxta Hieroſolymam ferè ſtadijs quindecim . Multiq; ex Iudæis uenerant ad Martham ac Mariam,ut cõſolarentur eas de fratre ſuo. Martha ergo ut audiuit quod Ieſus ueniſſet, occurrit illi:Maria uero domi deſidebat.Dixit ergo Martha ad Ieſum:Domine,ſi fuiſſes hic,frater meus non fuiſſet mortuus.Sed & nunc ſcio,quod quæcunque poposceris à deo,daturus tibi ſit deus. Dixit illi Ieſus: Reſurget frater tuus. Dicit ei Martha:Scio q, reſurget in reſurrectione in nouiſsimo die . Dicit ei Ieſus : Ego ſum reſurrectio & uita:qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit,uiuet:& omnis qui uiuit, & credit in me,non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi : etiam domine. Ego credo,quod tu ſis Chriſtus ille filius dei, qui in mundum uenturus erat . Et cum hæc dixiſſet,abijt & uocauit Mariam ſororem ſuam clanculum,dicens:Magiſter adeſt,& uocat te. Illa ut audiuit,ſurgit cito,& uenit ad eum:Nondum autem uenerat Ieſus in caſtellum,ſed erat in eo loco, ubi

ubi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erãt cum ea in domo, & consolabantur eam: cũ uidissent Mariã quod cito surrexisset & exisset, secuti sunt eam dicentes: uadit ad monumentum, ut ploret ibi. Maria ergo cum uenisset eò ubi erat Iesus, uidens eum, accidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, si fuisses hic, non esset mortuus frater meus. Iesus ergo ut uidit eam plorantem, & Iudæos, qui uenerant cũ ea, plorãtes, infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, ueni & uide. Lachrymatus est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Ecce quomodo amabat eum. Quidã autem ex ipsis dixerunt: Non poterat hic qui aperuit oculos cæci, facere, ut & hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, uenit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis impositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem. Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam olet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nónne dixi tibi, quod si credideris, uisura esses gloriam dei? Sustulerunt ergo lapidem à loco, ubi is qui mortuus fuerat, erat positus. Iesus autẽ attollens sursum oculos, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autẽ sciebam quod semper me audis, sed propter turbam quæ circumstat, dixi, ut credant quod tu me miseris. Atque hæc cum dixisset, uoce magna clamauit: Lazare, ue

ni foras. Et prodijt qui fuerat mortuus, manus & pedes habẽs reuinctos fascijs sepulchralibus: & facies illius sudario erat obuincta. Dicit ei Iesus: Soluite eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui uenerant ad Mariam, & uiderant quæ fecisset Iesus, crediderunt in eum. Quidam autem ex ipsis abierunt ad Pharisæos, & dixerũt eis, quæ fecisset Iesus. Congregauerunt ergo pontifices & pharisæi concilium, ac dicebant: Quid facimus, quia hic homo multa signa ædit? Si permiserimus eum sic, omnes credent ei. Venientq; Romani, & tollent tum locum nostrũ, tum gentem. Vnus autẽ ex ipsis Caiaphas nomine, cum esset Pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec perpenditis quod expedit nobis, ut unus homo moriatur pro populo, ac non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit: sed cũ esset Pontifex anni illius, uaticinatus est, quod Iesus moriturus esset pro gente: & non tantum pro gente, sed ut filios dei, qui erant dispersi, congregaret
95 in unum.* Ab illo ergo die consultabant inuicem, ut
IIII interficerent eum. Iesus ergo iam nõ propalàm ambulabat inter Iudæos, sed abijt illinc in regionem iuxta desertum, in ciuitatẽ quæ dicitur Ephraim, &
96 ibi uersabatur cum discipulis suis.* Instabat autem
I pascha Iudæorum,* & ascenderunt multi Hierosolymã è regione ante pascha, ut purificarẽt se. Quæ
97

rebăt ergo Iesum,& colloquebătur inter se,in templo stantes. Quid uidetur uobis, quod non uenerit ad diem festum? Dederant autem pontifices & pharisæi præceptum,ut si quis cognouisset ubi esset,indicaret, ut comprehenderent eum.

CAP. XII

IEsus ergo ante sex dies paschæ uenit Bethaniă, ubi Lazarus fuerat mortuus, quem suscitauit à mortuis.*Fecerunt autem ei cœnam ibi,& Martha 98
ministrabat.Lazarus uero unus erat de numero di I
scumbentium cum eo. Maria ergo accepit libram unguenti nardi pistice pretiosæ,& unxit pedes Iesu,& extersit pedes eius capillis suis,domus autem impleta est ex odore unguenti: Dicit ergo unus ex discipulis eius Iudas Simonis Iscariotes, qui erat eum proditurus:Quare hoc unguentum non uenijt trecentis denarijs,& datum est egenis? Dixit autem hoc, non quod pauperes illi curæ essent, sed quia fur erat,ac marsupium habebat,eaq; quæ mittebantur,portabat.Dixit ergo Iesus: Sine illam, in diem sepulturæ meæ seruauit istud. Pauperes enim semper habetis uobiscum, me uero non semper habetis.*Cognouit ergo turba multa ex Iudæis, quod 99
illic esset, & uenerunt non propter Iesum tan- X
tum,sed ut Lazarum quoque uiderent, quem suscitauerat à mortuis. Consultabant autem principes

ſacerdotum,ut & Lazarum interficerẽt,quia multi propter illum abibant ex Iudæis,& credebant in Ieſum.Poſtero die turba multa quæ uenerat ad diẽ feſtum,cum audiſſent quod ueniret Ieſus Hieroſolymam,*acceperunt ramos palmarũ, & proceſſerũt
100 obuiam ei,& clamabant: Hos anna, benedictus qui
I uenit in nomine domini rex Iſraël. * Nactus autẽ Ie
101 ſus aſellam,ſedit ſuper eam,ſicut ſcriptum eſt : Noli
VII timere filia Sion, ecce rex tuus uenit ſedẽs ſup pullum aſinæ.* Hæc autem non cognouerunt diſcipuli
102 eius primum,ſed quando glorificatus eſt Ieſus, tũc
X recordati ſunt , quod hæc eßent ſcripta de eo , &
Eſa.62 quod hæc fecißent ei . Teſtificabatur igitur turba,
Zach.9 quæ erat cum eo,quando Lazarum uocauit de monumẽto,& ſuſcitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam uenit ei turba,quod audierant eum ædidiſſe hoc ſignum.Phariſæi ergo dixerunt inter ſe: Videtis quod nihil proficitis ? Ecce mundus poſt eum abijt.Erant autem quidam Græci ex his, qui aſcenderant,ut adorarent in feſto. Hi ergo acceſſerũt ad Philippum,qui erat à Bethſaida Galilææ, & rogabant eum,dicentes:Domine,uolumus Ieſum uidere.
103 Venit Philippus & dicit Andreæ: Andreas rurſum
IIII & Philippus dicunt Ieſu.Ieſus autem reſpondit eis,
104 dicens:* Venit hora ut glorificetur filius hominis.
X *Amen amen dico uobis, niſi granum frumenti deie

ctum

ctum in terram, mortuũ fuerit, ipſum ſolum manet.
Si uero mortuum fuerit, multum fructũ affert. * Qui 105
amat animam ſuam, perdet eã. Et qui odit animam III
ſuam in hoc mundo, in uitam æternã cuſtodiet eam.
*Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur. Et ubi ſum 106
ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi mini X
ſtrauerit, cohoneſtabit eũ pater. * Nũc anima mea 107
turbata eſt. *Et quid dicã? Pater, ſeruato me ex ho IIII
ra hac. Sed propterea ueni in horam hanc. Pater, il 108
luſtra nomen tuum. Venit ergo uox de cœlo, dicẽs: X
Et illuſtraui, & rurſus illuſtrabo. Turba ergo quæ
ſtabat & audierat, dicebat tonitruum eſſe factum.
Alij dicebant: Angelus ei locutus eſt. Reſpondit Ie
ſus, & dixit: Non propter me hæc uox uenit, ſed
propter uos. Nunc iudicium eſt mundi huius. Nunc
princeps mundi huius eijcietur foras. Et ego ſi exal
tatus fuero à terra, omnes trahã ad me ipſum. Hoc
autem dicebat, ſignificans qua morte eſſet moritu
rus. Reſpondit ei turba: Nos audiuimus ex lege, q̃
Chriſtus manet in æternum, & quomodo tu dicis,
oportet exaltari filiũ hominis? Quis eſt iſte filius
hominis? Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc ad breue tem
pus lumen uobiſcum eſt. Ambulate donec lucem ha
betis, ne uos tenebræ occupent. Et qui ambulat in
tenebris, neſcit quò uadat. Dum lucem habetis, cre-
dite in lucẽ, ut filij lucis ſitis. Hæc locutus eſt Ieſus,

ac digreſſus abſcondit ſe ab eis. Cum autẽ tam mul-
ta ſigna feciſſet coram eis, nõ credebant in eum, ut
Eſa.53 ſermo Eſaiæ prophetæ impleretur, quem dixit: Do-
mine, quis credidit ſermoni noſtro, & brachium do
109 mini cui reuelatum eſt? * Propterea non poterant
I credere, quia iterum dixit Eſaias: Excæcauit oculos
Eſa.6 eorum, & indurauit cor eorum, ne uideant oculis,
& ne intelligant corde, & conuertantur, & ſanem
110 eos. * Hæc dixit Eſaias, quando uidit gloriam eius,
X & locutus eſt de eo. Veruntamen etiam ex princi-
pibus multi crediderunt in eum, ſed propter phari-
ſæos non confitebantur, ne è ſynagoga eijcerentur.
Dilexerũt enim gloriam hominũ magis, quàm glo-
111 riam dei. Ieſus autem clamauit, & dixit: * Qui cre-
I dit in me, non credit in me, ſed in eum qui miſit me.
112 Et qui uidet me, uidet eum qui miſit me. * Ego lux
X in mundum ueni, ut omnis qui credit in me, in tene-
bris non maneat. Et ſi quis audierit uerba mea, &
non crediderit, ego non iudico eum. Non enim ueni
ut iudicem mundum, ſed ut ſeruem mundum. Qui
reijcit me, nec accipit uerba mea, habet qui iudicet
ipſum. Sermo quem locutus ſum, ille iudicabit eum
in extremo die, quia ego ex meipſo non ſum locu-
tus, ſed qui miſit me pater, ipſe mihi mandatum de-
dit, quid dicam, & quid loquar. Et ſcio quod man-
datum eius uita æterna eſt. Quæ ergo ego loquor,
ſicut

ſicut dixit mihi pater, ſic loquor. CAP. XIII

ANte feſtum autem paſchæ, ſciens Ieſus quod
ueniſſet hora ipſius, ut trãſiret ex hoc mun
do ad patrem, cum dilexiſſet ſuos qui erant in mun
do, uſq; ad finem dilexit eos. Et cœna facta, *cũ dia- 115
bolus iam immiſiſſet in cor Iudæ Simonis Iſcariotæ 1 X
ut proderet eum, *ſciens Ieſus quod omnia dediſſet 114
ſibi pater in manus, * & quod à deo exiſſet, & ad 111
deum iret, ſurgit à cœna, & ponit ueſtimenta: & 115
cum accepiſſet linteum, præcinxit ſe. Deinde miſit X
aquam in peluim, & cœpit lauare pedes diſcipulo-
rum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Ve-
nit ergo ad Simonem Petrũ, & dicit ei Petrus: Do-
mine, tu mihi lauas pedes? Reſpondit Ieſus, & dixit
ei: Quod ego facio, tu neſcis nũc, ſcies aũt poſtea. Di
cit ei Petrus: Nõ lauabis meos pedes in æternũ. Re-
ſpondit ei Ieſus: Si non lauero te, nõ habes partẽ me
cum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantum pe
des meos, ſed et manus et caput. Dicit ei Ieſus: Qui
lotus eſt, non opus habet, niſi ut pedes lauet, ſed eſt
mundus totus. Et uos mũdi eſtis, ſed nõ omnes. Scie-
bat enim quis nam eſſet qui proderet ipſum. Propte
rea dixit, non eſtis mundi omnes. Poſtq̃ ergo lauiſ-
ſet pedes eorũ, receptisq; ueſtibus ſuis accubuiſſet,
iterum dixit eis: Scitis quid fecerim uobis? * Vos uo 116
catis me magiſtrũ ac dominũ, & bene dicitis: ſum 111
t 4 etenim

etenim. Si ergo ego laui pedes uestros dominus
& magister, uos quoq; debetis inuicem alij aliorũ
117 lauare pedes.*Exemplũ enim præbui uobis,ut quẽ
X admodum ego feci uobis,ita & uos faciatis.*Amen
118 amen dico uobis, non est seruus maior domino suo,
111 neq; legatus maior est eo q legauit ipsum.* Si hæc
119 nouistis,beati estis,si feceritis ea. Non de omnibus
X uobis loquor,ego scio quos elegerim. Sed ut adim-
Psal.40 pleatur scriptura: Qui edit mecũ panẽ,sustulit ad-
uersum me calcaneum suum. Nunc dico uobis priuſ
quàm fiat,ut cum factum fuerit, credatis quod ego
120 sim.*Amen amen dico uobis, qui recipit quencunq;
I misero, me recipit. Qui autem me recipit,recipit
eum qui me misit.Cum hæc dixisset Iesus, turbatus
121 est spiritu,& testificatus est, dixitq;:* Amen amen
IIII dico uobis, quod unus ex uobis proditurus est me.
122 *Aspiciebant ergo se inuicem discipuli, hæsitantes
I de quo diceret.*Erat autem unus ex discipulis Iesu
123 recumbens in sinu ipsius, nimirum is quem dilige-
X bat Iesus.Innuit ergo huic Simon Petrus,ut sciscita-
retur quis esset de quo loqueretur. Itaq; cum recu-
buisset ille super pectus Iesu, dicit ei: Domine, quis
124 est?Respondet Iesus:Ille est,cui ego intinctũ panem
IX porrexero.Et cum intinxisset panem,dedit Iudæ Si
125 monis Iscariotæ.* Et post offulam ingressus est in
X eum satanas.*Dicit igitur ei Iesus:Quod facis fac ci-

tius

*tius. Hoc autem nemo intelligebat discumbentium, ad quid dixisset ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quod dixisset ei Iesus, eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum: aut egenis ut aliquid daret. Cum ergo accepisset ille offulam, exiuit continuo. Erat autem nox. Cum ergo exisset, dixit Iesus: Nunc glorificatus est filius hominis, & deus glorificatus est per eum. Si deus glorificatus est per eum, & deus glorificabit eum per se, & cõtinuo glorificabit eum. Filioli adhuc paulisper uobiscũ sum. Quæretis me, & sicut dixi Iudæis: quò ego uado, uos nõ potestis uenire: ita & uobis dico nũc: Præceptũ nouum do uobis, ut diligatis uos mutuo, sicut dilexi uos, ut & uos diligatis uos mutuo. In hoc cognoscẽt omnes, quod discipuli mei sitis, si charitatem habueritis inter uos mutuã. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò uadis? Respondit ei Iesus: Quò ego uado non potes me nunc sequi, sequêris autem postea. Dicit ei Petrus: Domine, quare nõ possum te sequi nunc? *Animam meam pro te ponam. Respõdit Iesus: Animam tuam pro me pones? Amẽ amen dico tibi, non canet gallus, donec ter me negaueris.* 126 I

CAP. XIIII

*E *T ait discipulis suis: Ne turbetur cor uestrum. Creditis in deum, & in me credite. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Quod si se* 127 X

eus eßet, dixiſſem uobis, uado paraturus uobis lo/
cum. Et ſi abiero ad parandum uobis locum: iterum
ueniam & aßumã uos ad meipſum, ut ubi ſum ego,
& uos ſitis: & quò ego uado, ſcitis, & uiam ſcitis.
Dicit ei Thomas: Domine, neſcimus quò uadis: &
quomodo poßumus uiam ſcire? Dicit ei Ieſus: Ego
ſum uia, & ueritas, & uita. Nemo uenit ad patrem,
niſi per me. Si cognouiſſetis me, & patrẽ meũ utiq;
cognouiſſetis. Et nunc cognoſcitis eum, & uidiſtis
eum. Dicit ei Philippus: Domine, oſtende nobis pa/
trem, & ſufficit nobis. Dicit ei Ieſus: Tanto tempo/
re uobiſcum ſum & nõ cognouiſti me? Philippe, qui
uidit me, uidit patrem. Et quomodo tu dicis, oſtẽde
nobis patrem? Nõ credis, quod ego in patre ſum, &
pater in me? Verba quæ ego loquor uobis, à meipſo
non loquor. Pater autem in me manẽs, ipſe facit ope
ra. Credite mihi, quod ego in patre ſum, & pater
in me: alioqui propter ipſa facta credite mihi. Amẽ
amen dico uobis: qui credit in me, opera quæ ego
facio, & ipſe faciet, & maiora his faciet: quia ego
128 ad patrẽ uado. *Et quicquid petieritis nomine meo,
IIII hoc faciam, ut glorificetur pater per filium. Si quid
petieritis per nomen meum, ego faciam. Si diligitis
me, præcepta mea ſeruate. Et ego rogabo patrem,
& alium conſolatorem dabit uobis, ut maneat uo/
biſcum in æternum, ſpiritum ueritatis, quem mun/
dus non

dus non potest accipere: quia non uidet eum, nec
nouit eum. Vos autem cognoscitis eum, quia apud
uos manet, & in uobis erit. Non relinquam uos or/
phanos, ueniam ad uos. Adhuc pusillum & mũdus
me iam non uidet: uos autem uidetis me. Quia ego
uiuo, & uos uiuetis. In illo die uos cognoscetis, q̃
ego sum in patre meo, & uos in me, & ego in uo/
bis. Qui habet præcepta mea, & seruat ea, ille est
qui diligit me.* Qui autem diligit me, diligetur à 129
patre meo: & ego diligam eum, & apériam ei me/ I
ipsum.* Dicit ei Iudas, non ille Iscariotes: Domine, 130
quid factum est, quod manifestaturus es nobis te/ X
ipsum, & non mundo? Respondit Iesus, & dixit ei:
Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & pa/
ter meus diliget eum, & ad eum ueniemus, & man
sionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, ser
mones meos non seruat:* & sermo quem auditis, 131
non est meus, sed eius qui misit me patris.* Hæc lo/ I
cutus sum uobis, apud uos manens. Paracletus au/ 132
tem ille, qui est spiritus sanctus, quem, spiritum, mit/ X
tet pater nomine meo, ille uos docebit omnia, &
suggeret uobis omnia quæcunque dixi uobis. Pa/
cem relinquo uobis, pacem meam do uobis, nõ quo/
modo mundus dat, ego do uobis. Ne turbetur cor
uestrum, neq; formidet. Audistis quod ego dixi uo/
bis: uado, & uenio ad uos, Si diligeretis me, gau/

deretis

deretis utiq;, quod dixerim,uado ad patrem, quia pater maior me est.Et nunc dixi uobis prius quàm fiat,ut cum factum fuerit,credatis.Posthac nõ multa loquar uobiscum.Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquã. Sed ut cognoscat mundus,quod diligo patrem.Et sicut mandatũ dedit mihi pater,sic facio. Surgite eamus hinc.

CAP. XV

EGo sum uitis uera, & pater meus agricola est.Omnem palmitem in me non ferentẽ fructum,tollit, & omnem qui fert fructum, purgat, ut fructum copiosiorẽ afferat.Iam uos mundi estis propter sermonem,quem locutus sum uobis.Manete in me,& ego in uobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso,nisi mãserit in uite,sic nec uos, nisi in me manseritis. Ego sum uitis, uos palmites. Qui manet in me,& ego in eo, hic fert fructũ multum. Quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, eiectus est foras sicut palmes, & exaruit,& colligunt eos,& in ignem cõijciunt,& 133 ardent.*Si manseritis in me,& uerba mea in uobis
IIII manserint,quicquid uolueritis petetis,et fiet uobis.
134 *In hoc glorificatus est pater meus, ut fructum co-
X piosum afferatis, & efficiamini mei discipuli. Sicut dilexit me pater, ita & ego dilexi uos. Manete in dilectione mea.Si præcepta mea seruaueritis,mane

bitis

bitis in dilectione mea: ſicut & ego patris mei præ
cepta ſeruaui, & maneo in eius dilectione. Hæc lo/
cutus ſum uobis, ut gaudium meũ in uobis maneat,
& gaudium ueſtrũ impleatur. Hoc eſt præceptum
meũ, ut diligatis uos inuicem, ſicut dilexi uos.* Ma/ 135
iorem hac dilectionem nemo habet, ut quis animam IIII
ſuam ponat pro amicis ſuis.* Vos amici mei eſtis, ſi 136
feceritis quæcunq; ego præcipio uobis. Nõ poſthac X
uos dico ſeruos, quia ſeruus neſcit quid faciat domi
nus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæ
audiui à patre meo, nota feci uobis. Non uos me ele
giſtis, ſed ego elegi uos, & cõſtitui uos, ut eatis &
fructum afferatis, & fructus ueſter maneat:* ut quic 137
quid petieritis patrẽ nomine meo, det uobis.* Hæc IIII
præcipio uobis, ut diligatis uos mutuo. Si mundus 138
uos odit, ſcitis quod me prius quàm uos odio habue X
rit. Si de mundo fuiſſetis, mundus quod ſuum eſt, di/ 139
ligeret. Quia uero de mundo non eſtis, ſed ego ſele III
gi uos de mundo, propterea odit uos mundus. Me/ 140
mentote ſermonis, quem ego dixi uobis:* Non eſt X
ſeruus maior domino ſuo.* Si me perſecuti ſunt, & 141
uos perſequentur. Si ſermonem meum ſeruauerũt, I
& ueſtrum ſeruabunt.* Sed hæc omnia facient uo/ 142
bis propter nomen meum:* quia non nouerunt eum III
qui miſit me.* Si non uenißem & locutus fuiſſem 143
eis, peccatum non haberent. Nunc autẽ non habent X

quod

144 quod prætexãt peccato ſuo.* Qui me odit,is & pa
I trem meum odit.* Si opera non feciſſem inter eos,
145 quæ nemo alius fecit,peccatum non haberent. Nũc
X autem & uiderunt & oderunt,non ſolum me,uerũ
etiam patrem meũ.Sed hoc accidit, ut compleatur
Pſal.24 ſermo,qui in lege eorũ ſcriptus eſt: Odio habuerũt
me gratis.Cum autem uenerit paracletus, quẽ ego
mittam uobis à patre,ſpiritus ueritatis,qui à patre
procedit,ille teſtimonium perhibebit de me . Quin
& uos teſtes eſtis,quia ab initio mecum eſtis.

CAP. XVI

146 H*Aec locutus ſum uobis, ut ne quid offenda/
I mini. Alienos à ſynagogis facient uos . Sed
ueniet tempus,ut quiſquis interficiat uos, uideatur
cultum præſtare deo.Et hæc facient uobis, quia nõ
nouerunt patrem,neq; me. Sed hæc locutus ſum uo
bis,ut cum uenerit tempus illud, reminiſcamini eo/
147 rum, quod ego dixerim uobis.* Hæc autem uobis
X ab initio non dixi,quia uobiſcum eram. Nũc autem
uado ad eum qui miſit me,& nemo ex uobis inter-
rogat me quò uadam. Sed quia hæc locutus ſum uo
bis,mœſtitudo impleuit cor ueſtrum.Sed ego ueri/
tatem dico uobis , expedit uobis,ut ego uadam . Si
enim non abiero, conſolator ille non ueniet ad uos.
Sin autem abiero, mittam eum ad uos . Et cum ue/
nerit ille, arguet mundum de peccato , & de iuſti/
cia,&

cia,& de iudicio.De peccato quidem,quia nõ cre/
dunt in me. De iuſtitia uero, quia ad patrem uado,
& poſthac non uidetis me. De iudicio autem, quia
princeps huius mundi iã iudicatus eſt. Ad hæc,mul
ta habeo quæ uobis dicam,ſed non poteſtis portare
nunc.Cum autem uenerit ille,qui eſt ſpiritus uerita
tis,ducet uos in omnem ueritatem.Non enim loque
tur à ſemetipſo,ſed quæcunq; audierit,loquetur,&
quæ futura ſunt annũciabit uobis. Ille me glorifica/
bit,quia de meo accipiet,& annũciabit uobis.*Om 148
nia quæcũq; habet pater, mea ſunt.* Propterea di/ III
xi,quod de meo accipiet,& annũciabit uobis.Puſil 149
lum & nõ uidetis me, & iterũ puſillũ & uidebitis X
me,quia ego uado ad patrẽ . Dixerũt ergo quidam
ex diſcipulis eius inter ſe : Quid eſt hoc quod dicit
nobis, puſillum & non uidetis me , & rurſus puſil/
lum & uidebitis me,& ,quia ego uado ad patrem?
Dicebant ergo: Quid eſt hoc, quod dicit puſillum?
Neſcimus quid loquatur . Cognouit autem Ieſus,
quod uellent ipſum interrogare , & dixit eis . De
hoc quæritis inter uos,quod dixi : puſillum & non
uidetis me , & iterum puſillum & uidebitis me.
Amen amen dico uobis,plorabitis & lamentabimi
ni uos,mundus contrà gaudebit.Vos autem mœro/
re afficiemini : ſed mœror ueſter uertetur in gau/
dium. Mulier cum parit,dolorem habet,quia uenit

hora

hora eius: cum autem peperit puerum, iam non me/
minit anxietatis, propterea quod gaudeat homine
esse natum in mundo. Et uos igitur nunc quidē mœ
rorem habetis: sed iterum uidebo uos: & gaudebit
cor uestrum, & gaudium uestrum nemo tollit à uo
bis. Et in illo die me non interrogabitis quicquam.
Amen amen dico uobis, quæcūq; petieritis patrem
150 in nomine meo, dabit uobis. * Hactenus non petistis
IIII quicquam in nomine meo. Petite & accipietis, ut
151 gaudium uestrum sit perfectum. * Hæc per prouer/
X bia locutus sum uobis. Venict tempus, cum iam non
p prouerbia loquar uobis, sed palàm de patre meo
annūciabo uobis: in illo die in nomine meo petetis.
Et non dico uobis, quod ego rogaturus sim patrem
pro uobis. Ipse enim pater amat uos, quia uos me
amastis: & credidistis quod à deo exiuerim. Exiui
à patre, & ueni in mundum, iterum relinquo mun/
dum, & uado ad patrem. Dicunt ei discipuli eius:
Ecce nunc aperte loqueris, nec prouerbium ullum
dicis. Nunc scimus, quod scis omnia: nec opus est ti/
bi, ut quis te interroget. Per hoc credimus, quod à
152 deo existi. Respondit eis Iesus: Nunc creditis. * Ecce
IIII instat tempus, & iam uenit, ut dispergamini unus/
153 quisq; in sua, * meq; solum relinquatis: & tamē non
X sum solus, quia pater mecum est. Hæc locutus sum
uobis, ut in me pacem habeatis. In mundo afflictio/

nem

nem habetis,ſed bono animo ſitis,ego uici mundum.

CAPVT XVII

HAcc locutus eſt Ieſus,& ſublatis oculis in cœlum,dixit:Pater,uenit hora, glorifica filium tuũ, ut & filius tuus glorificet te:ſicut dediſti ei poteſtatem omnis carnis,ut quotquot dediſti ei, det eis uitam æternam.Hæc eſt autẽ uita æterna,ut cognoſcant te ſolũ deum uerũ,& quem miſiſti,Ieſum Chriſtum.Ego te glorificaui ſuper terram,opus conſummaui,quod dediſti mihi ut facerem.Et nũc glorifica me tu pater,apud temetipſum gloria, quã habui prius quàm hic mundus eſſet apud te . Manifeſtaui nomen tuũ hominibus,quos dediſti mihi de mundo.Tui erant & mihi eos dediſti,& ſermonem tuũ ſeruauerunt.Nunc cognouerũt,quod omnia quæcunq; dediſti mihi abs te ſunt.Quia uerba quæ dediſti mihi,dedi eis : & ipſi acceperunt , & cognouerunt uere, quod à te exiui : & crediderunt quod tu me miſiſti: Ego pro eis rogo:Non pro mundo rogo, ſed pro his quos dediſti mihi : quia tui ſunt . Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt: & glorificatus ſum in eis. Et iam non ſum in mundo,& hi in mundo ſunt, & ego ad te uenio.Pater ſancte,ſerua eos per nomen tuum, quos dediſti mihi,ut ſint unum ſicut & nos.Cum eſſem cũ eis in mundo, ego ſeruabam eos nomine tuo. Quos dediſti mihi,ego cuſtodiui,& nemo ex eis peu riit,

rijt, niſi filius ille perditus, ut ſcriptura cõpleretur. Nunc autẽ ad te uenio & hæc loquor in mundo, ut habeant gaudiũ meũ impletũ in ſemetipſis. Ego tradidi eis ſermonem tuũ, & mundus eos odio habuit: quia nõ ſunt de mundo, ſicut & ego nõ ſum de mundo. Nõ rogo ut tollas eos è mundo, ſed ut ſerues eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos per ueritatem tuam. Sermo tuus ueritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, ita & ego miſi eos in mundum, & pro eis ego ſanctifico meipſum, ut ſint & ipſi ſanctificati per ueritatẽ. Nõ pro eis autem rogo tantum, ſed & pro his, qui crediturí ſunt per ſermonem eorũ in me: ut omnes unũ ſint, ſicut tu pater in me, & ego in te: ut & ipſi in nobis unum ſint, ut credat mundus quod tu me miſeris: & ego gloriam quam dediſti mihi dedi eis: ut ſint unum, ſicut & nos unũ ſumus, ego in eis, et tu in me, ut ſint conſummati in unũ, & ut cognoſcat mundus, quod tu me miſiſti, & dilexiſti eos, ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, uolo ut ubi ſum ego, & illi ſint mecũ: ut uideant gloriam meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me ante conditum mundum.

154 *Pater iuſte, & mundus te non cognouit: ego autem
111 te cognoui, & ij cognouerunt quod tu me miſeris.
155 *Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam: ut
X dilectio qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

CAP.

CAPVT XVIII

HAec cum dixisset Iesus * egressus est cum di/ 156
scipulis suis trans torrentẽ cedron : ubi erat I
hortus, in quem introiuit ipse & discipuli eius. *No/ 157
uerat autem & Iudas, qui prodebat eum, locũ : quia X
frequenter Iesus conuenerat illuc cum discipulis su/
is. *Iudas ergo cum accepisset cohortem & à ponti/ 158
ficibus ac pharisæis ministros, uenit illuc cum later/ I
nis ac facibus & armis. * Iesus itaque, sciens omnia 159
quæ uentura erant super se, processit, ac dixit eis : X
Quem quæritis? Responderunt ei, Iesum Nazarenũ.
Dicit eis Iesus: ego sum. Stabat autem & Iudas, qui
prodebat eum, cum ipsis. Vt ergo dixit eis, ego sum:
abierunt retrorsum, & ceciderũt in terram. Iterum
ergo interrogauit eos : Quem quæritis ? Illi autem
dixerunt, Iesum Nazarenum. Respondit Iesus: Dixi
uobis, quod ego sum. Si ergo me quæritis, sinite hos
abire. Vt compleretur sermo quem dixerat: Ex his
quos dedisti mihi, non perdidi quenquam. * Simon 160
ergo Petrus cum haberet gladium, eduxit eum, & I
percussit pontificis seruum, & abscidit auriculam
eius dextram. Erat autem nomen seruo Malchus. 161
* Dicit ergo Iesus Petro : Immitte gladium tuum in I
uaginam. * An non bibam poculum quod dedit mi/ 162
hi pater? *Cohors igitur & tribunus ac ministri Iu I
dæorum cõprehenderunt Iesum & ligauerunt eum, 163

164 *& abduxerunt eum ad Annam primum: erat enim
IIII socer Caiaphæ, qui erat pontifex anni illius. Erat au-
tem Caiaphas is qui consilium dederat Iudæis, quod
165 expediret unum hominem mori pro populo. *Seque
X batur autem Iesum Simon Petrus, & alius discipu-
166 lus.* Discipulus autẽ ille erat notus pontifici, & in-
I troiuit cum Iesu in atrium pontificis. *Petrus autem
167 stabat ad ostium foris. *Exiuit ergo discipulus ille al
X ter, qui erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & in-
168 troduxit Petrũ. * Dixit ergo Petro ancilla ostiaria:
I Num & tu ex discipulis es hominis istius? Dicit ille:
169 Non sum.* Stabant autẽ serui & ministri, qui pru-
X nas congesserant, quia frigus erat, & calefaciebant
se. Erat autem cum eis & Petrus stans & calefaci-
ens se. Pontifex ergo interrogauit Iesum de discipu-
170 lis suis & de doctrina ipsius. Respõdit ei Iesus. *Ego
I palàm locutus sum mundo, ego semper docui in sy-
171 nagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt,
X & in occulto locutus sum nihil. * Quid me interro-
172 gas? Interroga eos qui audierũt, quid locutus sim ip-
I sis: Ecce hi sciunt quæ dixerim ego. * Hæc autẽ cum
173 dixisset, unus assistens ministrorum dedit alapam Ie-
X su, dicens: Siccine respondes pontifici? * Respondit ei
174 Iesus: Si male locutus sum, testificare de malo, sin be-
I ne, cur me cædis? * Et misit eum Annas uinctum ad
175 Caiapham pontificem: *Stabat autem Simon Petrus
I &

& calefaciebat se. Dixerunt ergo ei: Num & tu ex discipulis eius es? Negauit ille, & dixit: Non sum.
Dicit ei unus ex seruis pontificis cognatus eius, cuius abscíderat Petrus auriculam: Nónne ego te uidi in horto cum illo? Iterũ ergo negauit Petrus. Et statim gallus cecinit. *Ducunt ergo Iesum à Caiapha in 176
prætorium. * Erat autem mane, & ipsi non introiërunt in prætorium, ne contaminarentur, sed ut ederent pascha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foras, & dixit: Quam accusationem affertis aduersus hominem hunc? Respondérunt, & dixerunt ei: Si non esset hic nocens, haudquaquàm tibi tradidissemus eum. Dicit ergo eis Pilatus: Accipite eum uos, & secundum legem uestram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt sermo Iesu implerétur, quem dixit, significans qua morte esset moriturus. * Introiuit ergo iterum in prætorium 178
Pilatus, & uocauit Iesum, & dixit ei: Tu es ille rex Iudæorum? * Respondit Iesus: A temetipso tu hoc dicis, an alij dixerunt tibi de me? Respondit Pilatus: 179
Num ego Iudæus sum? Gens tua & pontifices tradiderunt te mihi. Quid fecisti? Respondit Iesus. Regnũ meum non est ex hoc mundo. Si ex hoc mundo esset regnum meum, ministri mei utiq; decertarent, ne traderer Iudæis. Nunc autem regnum meũ non est hinc. 180
*Dixit itaque ei Pilatus, ergo rex es tu? Respondit IIII

181 Iesus:Tu dicis,quod rex sum ego.*Ego in hoc natus
X sum,& ad hoc ueni in mundum, ut testimonium fe-
ram ueritati. Omnis qui est ex ueritate,audit uocem
meam.Dicit ei Pilatus: Quid est ueritas?Et cum hoc
182 dixisset,iterum prodijt ad Iudæos, & dicit eis:*Ego
IX nullam inuenio in eo causam.*Est autem consuetudo
183 uobis, ut unum dimittam uobis in pascha. Vultis ne
IIII ergo dimittam uobis illum regem Iudæorum?*Cla-
184 mauerũt rursum omnes,dicentes: Non hunc sed Bar
I rabam.Erat autem Barrabas latro.

CAPVT XIX

185 T*Vnc ergo apprehendit Pilatus Iesum,& fla-
IIII gellauit,& milites plectentes coronam de spi
nis imposuerũt capiti eius,&ueste purpurea circun
dederunt eum,ac dicebant:Aue rex Iudæorũ.Et da-
186 bant ei alapas. Exiuit iterum Pilatus foras, & dicit
IX eis:Ecce adduco uobis eũ foras, ut cognoscatis quod
187 nullam in eo causam inuenio.* Exiuit ergo Iesus fo-
IIII ras,gestans spineam coronam, & purpureũ palliũ.
188 Et dicit eis:Ecce homo.*Cũ ergo uidissent eum pon-
I tifices & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige,
189 crucifige.* Dicit eis Pilatus: Accipite eum uos, &
X crucifigite:* ego enim non inuenio in eo causam.
190 *Responderunt ei Iudæi:Nos legem habemus,& se-
IX cundum legem nostram debet mori, quia filium dei
191 se fecit.* Cum ergo audisset Pilatus hũc sermonem,
X

magis

magis timuit. Et ingressus est prætoriũ iterum, * & 192
dicit ad Iesum: Vnde es tu? Iesus autem responsum IIII
non dedit ei. *Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loque/ 193
ris? nescis quod potestatem habeam crucifigendi te, X
& potestatem habeam absoluendi te? Respondit Ie/
sus: Non haberes potestatem aduersum me ullam, nisi
tibi datũ esset è supernis. Propterea qui me tradidit
tibi, maius peccatum habet. Ex eo quærebat Pilatus
absoluere eum. Iudæi autem clamabant, dicentes: Si
hunc absolueris, non es amicus Cæsaris. Quicunq; se
regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem cum
audisset hunc sermonẽ, produxit foras Iesum, seditq;
pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, He/
braice autem Gabbatha. Erat autem parasceue pa/
schæ, hora fermè sexta, & dicit Iudæis: Ecce rex ue/
ster. * Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige 194
eum. *Dicit eis Pilatus: regem uestrum crucifigam? I
Responderunt pontifices: Non habemus regem nisi 195
Cæsarem. * Tunc ergo tradidit eum illis, ut crucifi/ X
geretur. *Acceperunt autem Iesum, & abduxerunt, 196
atque is baiulans crucem suam, exiuit in eum, qui di I
citur Caluaria, locum, Hebraice autem Golgatha, 197
ubi crucifixerunt eum: * & cum eo alios duos hinc I
& hinc, medium autem Iesum. * Scripsit autem 198
& titulum Pilatus, & posuit super crucem. Erat I
autem scriptum: Iesus Nazarenus rex Iudæorum. 199

200 *Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia
X prope ciuitatem erat locus, ubi crucifixus est Iesus.
Et erat scriptum Hebraice, & Græce, & Latine. Di-
cebant ergo Pilato pontifices Iudæorũ: Noli scribe-
re: rex Iudæorũ, sed quod ille dixerit, rex sum Iudæo-
201 rum. Respondit Pilatus: Quod scripsi, scripsi.* Mili-
I tes ergo cum crucifixissent Iesum, acceperunt uesti-
menta eius, & fecerunt quatuor partes, unicuiq; mi-
liti partem, & tunicam. Erat autem tunica inconsu-
tilis, à summo contexta per totum. Dixerũt ergo in-
ter se: Ne scindamus eam, sed sortiamur de illa cuius
sit. Vt scriptura impleretur, dicens: Partiti sunt uesti-
menta mea sibi, & in uestem meam miserunt sortem.
202 Et milites quidem hæc fecerunt.* Stabant autem iu-
X xta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius
Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Cum uidis-
set ergo Iesus matrem ac discipulum astantem quem
diligebat, dicit matri suæ: Mulier, ecce filius tuus. De
inde dicit discipulo: Ecce mater tua. Et ex illa hora
accepit eam discipulus in sua. Postea sciens Iesus, q,
omnia iam cõsummata essent, ut cõsummaretur scri
203 ptura, dicit: Sitio. Vas igitur erat positum accto ple-
IIII num.* Illi uero impleuerunt spongiam aceto & hy-
204 sopo, & imposita admouerunt ori eius.* Cum er-
I go accepisset Iesus acetum, dixit: Consummatum est:
205 & inclinato capite, tradidit spiritum. * Iudæi ergo
X quoniam

quoniam paraſceue erat, ut non remanerent in cru-
ce corpora ſabbato (erat enim magnus dies ille ſab-
bati) rogauerunt Pilatum, ut frangerentur eorũ cru
ra, ac tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi
quidem fregerunt crura, & alterius, qui crucifixus
eſt cum eo. Ad Ieſum autem cum ueniſſent, ut uide-
runt eum iam mortuum, non fregerũt eius crura: ſed
unus militum lancea latus eius fodit, & cõtinuo exi-
uit ſanguis & aqua. Et qui uidit, teſtimonium perhi
buit: & uerum eſt teſtimonium eius. Et ille ſcit, quod
uera dicit, ut et uos credatis. Facta ſunt enim hæc, ut
ſcriptura impleretur: Os non comminuetis ex eo. Et
rurſus alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem pupu-
gerunt. *Poſt hæc autem rogauit Pilatũ Ioſeph Ari- 206
mathienſis, qui erat diſcipulus Ieſu, ſed occultus pro I
pter metum Iudæorum, ut tolleret corpus Ieſu: idq;
permiſit Pilatus. *Venit autẽ & Nicodemus, qui ue 207
nerat ad Ieſum nocte primũ, ferẽs mixturã myrrhæ X
& aloës ad libras fermè centum. * Acceperunt ergo 208
corpus Ieſu, & obuinxerunt illud linteis cum aroma I
tibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in eo
loco ubi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumen
tum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat:
ibi ergo propter paraſceuen Iudæorũ, quod in pro-
pinquo eſſet monumentum, poſuerunt Ieſum.

CAPVT XX

209 I V *No uero die ſabbatorũ Maria Magdalene uenit mane, cũ adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum, uidetq; lapidem ſublatum à monumento.

210 X *Currit ergo & uenit ad Simonem Petrum, & ad alterum illum diſcipulum, quem amabat Ieſus, & dicit illis: Suſtulerunt dominum è monumento, & neſcimus ubi poſuerint eum. Exijt ergo Petrus, & ille alius diſcipulus, & uenerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul, & ille alius diſcipulus præcucurrit citius Petro, uenitq; prior ad monumentũ. Et cum ſe inclinaſſet, uidit poſita linteamina, nõ tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum: & uidet linteamina poſita, & ſudariũ quod fuerat ſuper caput eius, nõ cum linteaminibus poſitum, ſed ſeparatim inuolutum in unum locum. Tunc ergo introiuit & ille alius diſcipulus, qui uenerat prior ad monumentum, uiditq; & credidit. Nondum enim nouerant ſcripturam, quod oportuiſſet eum à mortuis reſurgere. Abierunt ergo

211 I rurſus diſcipuli ad ſemetipſos.* Maria autem ſtabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit ſe in monumentum, & uidet duos angelos amictos albis, ſedentes unum ad caput, & alterum

212 X ad pedes illic, ubi poſuerant corpus Ieſu. * Dicunt ei illi: Mulier, quid ploras? Dicit eis: Suſtulerunt domi-

num

num meum,nec ſcio ubi poſuerunt eum. Hæc cum di
xiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & uidet Ieſum ſtan/
tem,nec ſciebat quod Ieſus eſſet. Dicit ei Ieſus:Muli/
er,quid ploras? Quem quæris? Illa exiſtimans quod
hortulanus eſſet,dicit ei:Domine,ſi tu aſportaſti eũ,
dicito mihi ubi poſueris eum,& ego eum tollam.Di
cit ei Ieſus:Maria. Conuerſa illa, dicit ei : Rabboni,
quod dicitur,magiſter.Dicit ei Ieſus:Noli me tange/
re.Nondum enim aſcendi ad patrem meum. Sed ua-
de ad fratres meos, & dic eis : Aſcendo ad patrem
meum,& patrem ueſtrum:& deum meum,& deum
ueſtrum.Venit Maria Magdalene,annuncians diſci/
pulis,quod uidiſſet dominum,& ea dixiſſet ſibi.*Cũ 213
ergo ueſpera eſſet die illo, qui erat unus ſabbatorũ, X
& fores eſſent clauſæ, ubi erant diſcipuli congrega/
ti propter metum Iudæorũ,uenit Ieſus,ſtetitq; in me
dio,& dicit eis:Pax uobis.Et cũ hæc dixiſſet, oſten/
dit eis manus ac latus ſuum. Gauiſi ſunt ergo diſci/
puli uiſo domino . Dixit ergo eis iterum : Pax uo/
bis.*Sicut miſit me pater,ita & ego mitto uos.Hæc 214
cum dixiſſet, flauit in eos,& dicit eis: Accipite ſpi- X
ritum ſanctũ.* Quoruncunq; remiſeritis peccata,re 215
mittuntur eis:quoruncũq; retinueritis, retenta ſunt: VII
*Thomas autẽ unus ex duodecim,qui dicitur Didy/ 216
mus,non erat cum eis quando uenit Ieſus. Dixerunt X
ergo ei alij diſcipuli: Vidimus dominum. Ille autem
dixit

dixit eis: Nisi uidero in manibus eius uestigium clauorum, & mittam digitum meum in uestigium clauorum, & mittam manũ meam in latus eius, non credam.* Et post dies octo iterũ erant discipuli eius intus, & Thomas cum eis, uenit Iesus ianuis clausis, & stetit in medio, & dixit: Pax uobis. Deinde dicit Thomæ: Infer digitum tuum huc, & uide manus meas, & admoue manum tuam, & immitte in latus meum, & noli esse incredulus, sed credẽs.* Respondit Thomas, & dixit ei: Dominus meus, & deus meus. Dicit ei Iesus: Quia uidisti me Thoma, credidisti: beati qui nõ uiderunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit Iesus in conspectu discipulorum suorũ, quæ nõ sunt scripta in libro hoc: hæc autem scripta sunt, ut credatis, quod Iesus est Christus ille filius dei, & ut credentes uitam habeatis per nomen eius.

217 IX

218 X

CAPVT XXI

Postea manifestauit se iterum Iesus ad mare Tiberiadis, manifestauit autẽ sic. Erant simul Simon Petrus & Thomas, qui dicitur Didymus: & Nathanaël, qui erat à Cana Galilææ, & filij Zebedæi, alijq; ex discipulis eius duo. Dicit eis Simon Petrus: Vado piscatum. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Exierunt & ascenderunt in nauim statim, & illa nocte nihil cœperunt. Mane autẽ iam facto, stetit Iesus in littore: nõ tamen cognouerũt discipuli, quod

Iesus

Ieſus eſſet. Dicit eis Ieſus: Pueri, num quid obſonij habetis? Reſpondérunt ei: Non. * At ille dicit eis: Mitte in dexteram nauigij partẽ rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non ualebant illud trahere præ multitudine piſcium. *Dicit ergo diſcipulus ille, quẽ diligebat Ieſus Petro: Dominus eſt. Simon ergo Petrus cum audiſſet quod dominus eſſet, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij aũt diſcipuli nauigiolo uenerunt, nõ enim longe aberant à terra, ſed circiter cubitis ducentis, trahentes rete piſcium. *Vt ergo deſcenderunt in terram, uiderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum, & panem. Dicit eis Ieſus: Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc. *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquagintatribus. Et cum tot eſſent, non eſt ſciſſum rete. * Dicit eis Ieſus: Venite prandete. *Et nemo diſcipulorũ audebat interrogare eum, dicens: Tu quis es? cum ſcirent quod dominus eſſet. * Venit itaq; Ieſus, & accipit panem, & dat eis, & piſcem ſimiliter. * Hac iam tertia uice manifeſtatus eſt Ieſus diſcipulis ſuis, cum reſurrexiſſet à mortuis. Cum ergo prandiſſet, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus quàm hi? Dicit ei: Etiam domine, tu ſcis q̃ amem te. Dicit ei: *Paſce agnos meos. *Dicit ei rurſus iterũ. Simon Ioannis diligis me? Ait illi: Etiam domine, tu ſcis quod

219 IX
220 X
221 IX
222
223 IX
224 X
225 IX
226 X
227 IX
228 X

229 quod amem te.* Dicit ei:Pasce oues meas. * Dicit ei
IX tertio:Simõ Ioannis amas me? Indoluit Petrus,quod
230 dixisset sibi tertio,amas me ? dixitq; ei : Domine,tu
X omnia nosti,tu scis quod amem te.*Dicit ei Iesus:Pa
231 sce oues meas.*Amen amen dico tibi,cum esses iuni-
IX or,cingebas te,& ambulabas quò uolebas: cum autẽ
232 senueris,extendes manus tuas,& alius te cinget,&
X ducet quò non uis.Hoc autem dixit, significans qua
morte glorificaturus esset deũ : Et cum hoc dixisset,
dicit ei: Sequere me . Conuersus Petrus, uidet illum
discipulum quem diligebat Iesus, sequentem: qui &
recubuit in cœna super pectus eius,& dixit:Domi-
ne,quis est ille,qui tradit te?Hũc ergo cũ uidisset Pe
trus,dicit Iesu:Domine,hic autẽ quid? Dicit ei Iesus:
Si eum uelim manere donec ueniam,quid ad te ? Tu
me sequere.Exijt ergo sermo iste inter fratres,quod
discipulus ille non moreretur . Et non dixerat ei Ie-
sus,non moritur, sed: si eum uelim manere donec ue
niam, quid ad te?Hic est discipulus ille, qui testimo-
nium perhibet de his,et scripsit hæc.Et scimus quod
uerum est testimonium eius.Sunt autem & alia mul
ta quæ fecit Iesus, quæ si scribantur per singula, nec
ipse,opinor,mundus caperet eos qui scriberentur li
bros.

FINIS.

Acta

ACTA APOSTO=

LORVM CAP. I

VPERIORE *quidem uolumine diximus Theophile, de omnibus quæ cœpit Iesus tum facere, tum docere, ad eum usq; diem, quo, postquam impartitus in hoc ipsum spiritum sanctum, mandata dedisset, quos delegerat, apostolis, sursum assumptus est: quibus etiam seipsum exhibuerat uiuentem, posteaquàm supplicio fuisset affectus, idq; compluribus argumentis, dum per dies quadraginta conspicitur ab illis, ac loquitur eis de regno dei, & cõgregans illos in idẽ loci, præcepit eis ne discederẽt Hierosolymis, sed ut expectarent promissum patris, de quo, inquit, audistis ex me: quoniam Ioannes baptizauit quidem aqua, uos autem baptizabimini spiritu sancto post dies hosce nõ multos. Illi igitur ubi cõuenissent, percontabantur illum, dicentes:* Domine, *num in tempore hoc restituis regnũ Israëli?* Dixit *autem ad illos:* Non *est uestrum nosse tempora & articulos temporum, quos pater in sua ipsius constituit potestate: sed accipietis uirtutem, posteaquam spiritus sanctus aduenerit*

uenerit ſuper uos,& eritis mihi teſtes, non ſolũ Hie roſolymis,uerum etiam in uniuerſa Iudæa,Samariáque, deniq; uſq; ad extrema terræ. Atq; hoc loquutus,uidentibus ijſdem,in altum ſublatus eſt,& nubes ſubduxit illum ab oculis eorum.Cumq; eſſent defixis in cœlũ oculis, eunte illo,eccc uiri duo aſtiterunt illis,amicti ueſtibus albis,qui & dixerunt: Viri Galilæi,quid ſtatis intuentes in cœlum? Hic Ieſus qui aſſumptus eſt à uobis in cœlum,ſic ueniet quemadmodum uidiſtis eum euntem in cœlũ.Tunc reuerſi ſunt Hieroſolymã à monte,qui uocatur Oliueti,qui abeſt ab Hieroſolymis iter ſabbati.Et cũ introiſſent,aſcenderunt in cœnaculum ubi manſitabant & Petrus & Iacobus,& Ioannes & Andreas,Philippus & Thomas, Bartholomæus & Matthæus, Iacobus Alphæi & Simon Zelotes, & Iudas Iacobi frater : hi omnes perſeuerabant unanimiter in deprecatione & obſecratione cũ mulieribus,& Maria matre Ieſu,cumq; fratribus illius . Et in diebus his exurgens Petrus in medio diſcipulorum dixit (eratq; turba nominum ſimul ferè centum uiginti) Viri fratres, oportuit impleri ſcripturam hanc, quam prædixit ſpiritus ſanctus per os Dauid de Iuda,qui fuit dux his,qui comprehenderunt Ieſum:quia cooptatus erat in numerũ noſtrum, & ſortitus erat partem miniſterij huius. Et is quidem parauit agrũ ex mercede iniquitatis,

ſuſpenſusq;

ſuſpenſusq; crepuit medius, & effuſa ſunt omnia uiſcera eius. Et innotuit omnibus habitantibus Hierosolymæ, ita ut appellaretur ager ille lingua illis uernacula Aceldama: hoc eſt, ager ſanguinis. Scriptum eſt enim in libro pſalmorum: Fiat commoratio eius deſerta, & non ſit qui inhabitet in ea. Et epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet igitur ut ex his uiris, qui nobiſcum uerſati ſunt toto tempore, quo dominus Ieſus perpetuam uitæ conſuetudinem egit nobiſcum: exorſus à baptiſmo Ioannis ad eum uſq; diem, quo receptus eſt à nobis: unuſquiſpiam conſtituatur, qui ſit unà nobiſcum teſtis reſurrectionis eius. Et ſtatuerunt duos, Ioſeph, qui uocatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus, & Matthiam. Et facta precatione, dixerũt: Tu domine, qui corda noſti omnium, oſtende utrum elegeris ex his duobus, ut accipiat ſortem miniſterij huius & apoſtolatus, unde præuaricatus excidit Iudas, ut abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eorum, & cecidit ſors ſuper Matthiam, & cooptatus eſt ad numerum undecim apoſtolorum. Matth. 25 Pſal. 68 & 108

CAP. II

ET cum complerentur dies pentecoſtes, erant omnes unanimiter in eodem loco: & factus eſt repẽte de cœlo ſonitus, tanquam impetu uenientis flatus uehemẽtis, & repleuit totam domum, ubi erant ſedentes. Et uiſæ ſunt illis diſſectæ linguæ ue-

lut igneæ. Seditq; ſuper ſingulos eorum: ac repleti ſunt omnes ſpiritu ſancto, cœperuntq; loqui alijs linguis, prout ſpiritus ille dabat eloqui illis. Erant autem Hieroſolymis habitãtes Iudæi, uiri religioſi ex omni natione earũ, quæ ſub cœlo ſunt. Is rumor cũ increbuiſſet, conuenit multitudo, & cõfuſa eſt, quod audiret unuſquiſq; lingua ſua illos loquentes. Stupebant autem omnes, ac mirabantur, dicentes inter ſe ſe: Nõne ecce omnes iſti qui loquũtur, Galilæi ſunt? Et quomodo nos audimus eos ſua quiſque lingua in qua nati ſumus? Parthi & Medi, & Elamitæ, & habitatores Meſopotamiæ, Iudææq; & Cappadociæ, Põti & Aſiæ, Phrygiæ & Pamphyliæ, Aegypti & partiũ Lybiæ eius, quæ eſt finitima Cyrenæ, & aduenæ Romani, Iudæiq; & proſelyti, Cretes & Arabes, audimus eos loquentes noſtris linguis magnifica dei. Stupebant autem omnes, ac mirabãtur inter ſe, dicentes: Quid nam uult hoc eſſe? Alij autem irridentes, dicebant: Musto expleti ſunt iſti. Stans autẽ Petrus cũ undecim, extulit uocem ſuam, ac locutus eſt eis: Viri Iudæi, & q habitatis Hieroſolymis uniuerſi, hoc uobis notum ſit, & auribus percipite uerba mea: Nõ enim ſicut uos exiſtimatis, hi ebrij ſunt, cum ſit hora diei tertia. Sed hoc eſt, quod dictũ eſt
Iohel.2 per prophetam Iohel: Et erit in nouiſſimis diebus, dicit deus, Effundam de ſpiritu meo ſuper omnem

carnem

carnẽ. Et prophetabũt filij uestri, & filiæ uestræ: & iuuenes uestri uisiones uidebunt, & seniores uestri somnia somniabunt. Et quidem super seruos meos, & super ancillas meas in diebus illis effundã de spiritu meo, & prophetabunt: & dabo prodigia in cœlo superne: & signa in terra inferne, sanguinem & ignem, & uaporẽ fumi. Sol cõuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequàm ueniat dies ille domini magnus atq; illustris. Et futurum est, ut omnis quicunq; inuocauerit nomen domini, seruetur. Viri Israëlitæ, audite uerba hæc: Iesum Nazarenum uirum exhibitum à deo erga uos uirtutibus & prodigijs & signis, quæ fecit per illum deus in medio uestri, sicut & ipsi scitis, hunc definito cõsilio & præscientia dei traditum, cũ accepissetis per manus iniquorum, crucifixũ interemistis, quem deus suscitauit solutis doloribus mortis, quatenus impossibile erat teneri illum ab ea. Dauid enim dicit de eo: Prouidebam dominum coram me semper: quoniã à dextris est mihi, ne cõmouear. Propter hoc lætatũ est cor meũ, & exultauit lingua mea: insuper & caro mea requiescet in spe. Quoniã non derelinques animã meã in inferno, nec sines ut sanctus tuus uideat corruptionem. Notas mihi fecisti uias uitæ: replebis me iucunditate cum facie tua. Viri fratres, quandoquidem licet libere dicere apud uos de patriarcha Pſal.15

3.Reg.2 Dauid, quod & defunctus est, & sepultus est, & sepulchrũ eius est apud nos usq; in hodiernum diẽ.

Psal.131 Propheta igitur cũ esset, & sciret, quod iureiurando iurasset sibi deus, futurũ ut de fructu lũbi ipsius, quantum ad carnem, Christus exoriretur, ac sederet super sedem eius, præscius locutus est de resurrectione Christi, quod non derelicta sit in inferno anima eius, neq; caro eius uiderit corruptionẽ. Hũc Iesum suscitauit deus, cuius omnes nos sumus testes. Dextera igitur dei exaltatus, & promissione spiritus sancti accepta à patre effudit hoc, quod nunc uos uidetis & auditis. Non enim Dauid ascendit in

Psal.109 cœlos, sed dicit ipse: Dixit dominus domino meo, sede à dextris mihi, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorũ. Certo sciat ergo tota domus Israël, quod dominũ & Christum fecerit deus, hũc Iesum, quẽ uos crucifixistis. His autem auditis, compuncti sunt corde, & dixerunt ad Petrum ac reliquos apostolos: Quid faciemus uiri fratres? Petrus ait ad illos: Delictorum pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisq; uestrũ in nomine Iesu Christi, in remissionem peccatorum, & accipietis donũ spiritus sancti. Vobis enim facta est repromissio, & filijs uestris, & omnibus qui longe sunt quoscunq; ad uocauerit dominus deus noster. Alijsq; uerbis plurimis testificatus est, & exhortatus est eos, dicens:

Serue

Seruemini à generatione ista praua. Qui ergo libenter acceperunt sermonem eius, baptizati sunt, & accesserunt in die illo animæ circiter ter mille. Erant autem perseuerantes in doctrina apostolorum, & cõmunicatione, & fractione panis, & precationibus. Obortus est autem omni animæ timor, multaq; prodigia & signa per apostolos ædebantur. Omnes autem qui credebant, erant cõiuncti, & habebant omnia communia. Possessionesq; & substantias uendebant, ac diuidebant illa omnibus, prout cuiq; opus erat. Et quotidie perdurantes unanimiter in templo, & frangentes per singulas domos panem, inuicem sumebant cibum, cum exultatione & simplicitate cordis laudãtes deum, & habentes gratiam apud totũ populum. Dominus autem addebat, qui salui fierent, quotidie congregationi.

CAP. III

SImul autem Petrus & Ioannes ascendebant in templum ad horam precationis nonam. Et quidam uir, qui erat claudus ex utero matris suæ, baiulabatur: quem ponebãt quotidie ad portam templi, quæ dicitur speciosa, ut peteret eleemosynam ab introeuntibus in templum. Is cum uidisset Petrum ac Ioannem ingressuros in templum, rogabat ut eleemosynam acciperet. Defixis autẽ in eum oculis, Petrus cum Ioanne dixit: Aspice in nos. At ille intẽdebat

bat in eos, sperans se aliquid accepturum ab eis. Petrus autem dixit: Argentum & aurum non est mihi: quod aũt habeo, hoc tibi do: In nomine Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Et apprehensa manu eius dextra, erexit eum. Protinus autem consolidatæ sunt plantæ illius ac tali. Et exiliens stetit, & ambulabat, intrauitq; cum illis in templum, inambulans & saliens ac laudans deum. Et uidit eum totus populus ambulantem ac laudantem deum. Agnouerunt q; illum, quod ipse esset is, qui ad eleemosynam sederat ad speciosam portã templi. Et impleti sunt admiratione & stupore super eo, quod contigerat illi. Cum teneret autem qui sanatus fuerat claudus Petrũ & Ioannem, cucurrit totus populus ad eos in porticu, quæ appellatur Solomonis, stupefactus: Quo uiso, Petrus respondit ad populum: Viri Israëlitæ, quid miramini super hoc, aut nos quid intuemini, quasi nostra uirtute aut pietate effecerimus ut hic ambularet? Deus Abraham, & Isaac, & Iacob, deus patrum nostrorum glorificauit filiũ suum Iesum, quem uos tradidistis, ac negastis in conspectu Pilati, cum ille iudicasset esse absoluendũ. * Vos autem sanctum & iustum negastis: & postulastis, ut
Matth. 27
Mar. 15
Luc. 23
Ioan. 18
uirum homicidam donaret uobis, autorem uero uitæ interfeciſtis, quẽ deus suscitauit à mortuis, cuius nos testes sumus, & per fiduciam nominis eius hũc

quem

quẽ uidetis ac noſtis,cõſolidauit nomen ipſius:& fi
des quæ per eum eſt, dedit ei integritatem iſtam in
cõſpectu omniũ ueſtrũ.Et nũc fratres ſcio,quod per
ignorãtiã feciſtis,ſicut & principes ueſtri.Deus au
tem quæ prænũciauerat per os omniũ prophetarũ
ſuorũ,Chriſtũ paßurũ, impleuit ſic. Pœniteat uos Eccli.17
igitur,& conuertimini ut deleãtur peccata ueſtra, Matth.4
ut cũ uenerint tempora refrigerationis à cõſpectu Mar.1
domini,& miſerit eum qui antẽ prædicatus eſt uo/
bis,Ieſum Chriſtum,quẽ oportet quidẽ cœlũ accipe
re uſq; in tempora reſtitutionis omniũ,quæ locutus
eſt deus per os omniũ ſanctorũ ſuorũ à ſeculo pro/
phetarũ.Moſes quidẽ ad patres dixit:Prophetã ſu/ Deut.18
ſcitabit uobis dominus deus ueſter de fratribus ue/
ſtris, mei ſimilẽ:Audietis eũ iuxta omnia quæcunq;
locutus fuerit uobis.Futurũ eſt aũt,ut omnis anima
quæ non audierit prophetã illũ, exterminetur è po
pulo.Quin & omnes prophetæ à Samuele, ac dein
ceps quotquot locuti ſunt,etiam annũciauerũt dies
iſtos.Vos eſtis filij prophetarũ ac teſtamenti,quod
teſtatus eſt deus erga patres noſtros, dicens ad
Abraham: Et in ſemine tuo benedictionem conſe/ Gen.12
quentur omnes familiæ terræ.Vobis primum deus,
cum ſuſcitaßet filium ſuum Ieſum,miſit eum benedi
centem uobis:ita ut unuſquiſque ueſtrum conuerte/
ret ſe ab iniquitatibus ſuis.

ACTA

CAP. IIII

LOquentibus autem illis ad populum, superue nerũt illis sacerdotes ac magistratus templi, & Sadducæi, molestè ferentes, quod docerent populum, & annunciarent in nomine Iesu resurrectionẽ ex mortuis: & iniecerunt eis manus, posueruntq; eos in custodiam in posterum diem. Nam erat iam uespera. Multi uero eorum qui audierant sermonẽ, crediderũt: & factus est numerus uirorum circiter quinq; millia. Factum est autem postero die, ut congregarentur principes eorum, & seniores, & scribæ Hierosolymis, & Annas princeps sacerdotũ, & Caiaphas, & Ioannes, & Alexander, & quotquot erãt de genere pontificio. Et cum statuissent eos in medio, interrogabant: Qua uirtute, aut quo nomine feciſtis hoc uos? Tũc Petrus repletus spiritu sancto, dixit ad eos: Principes populi & seniores Israël, si nos hodie examinamur de eo quod bene fecerimus homini infirmo, qua ratione iste saluus factus sit, notũ sit omnibus uobis, & toti plebi Israël, quod per nomen Iesu Christi Nazareni, quem uos crucifixistis, quem deus suscitauit à mortuis, per hunc
Matth. 21 iste astat coram uobis sanus. Hic est lapis ille,
Mar. 12 qui reiectus est à uobis ædificantibus, qui factus
Luc. 10 est caput anguli: nec est in alio quoquam salus. Nec
4. Pet. 2 enim aliud nomẽ est sub cœlo datum inter homines,

in quo

in quo oporteat nos ſaluos fieri. Videntes autẽ Petri in dicendo libertatem ac Ioannis, compertoque quod homines eſſent illiterati & idiotæ, admirabãtur, & agnoſcebant eos, quod cum Ieſu fuiſſent: hominem aũt uidentes ſtantem cũ eis, qui ſanatus fuerat, nihil poterant contradicere: iuſſis autem illis è conſilio ſecedere, conferebant inter ſeſe, dicentes: Quid faciemus hominibus iſtis? Nam conſpicuum ſignum æditum eſſe per eos, omnibus habitantibus Hieroſolymis manifeſtum eſt, nec poſſumus inficiari. Sed ne amplius diuulgetur in populum, minaciter interminemur eis, ne poſthac loquantur in nomine hoc ulli hominum. Et accerſitis illis, præceperunt, ne omnino loquerentur, neq; docerent in nomine Ieſu. At Petrus & Ioannes reſpondentes, dixerunt ad eos: An iuſtum ſit in conſpectu dei uos potius audire, quàm deum, iudicate. Non enim poſſumus, quæ uidimus & audiuimus, non loqui. At illi additis minis, dimiſerunt eos, nihil inuenientes, qua ratione punirẽt eos propter populum: quia omnes glorificabant deum ſuper eo quod acciderat. Annorum enim erat amplius quadraginta homo, in quo æditum fuerat ſignum iſtud ſanationis. Dimiſſi aũt uenerunt ad ſuos, & annunciauerunt quæcunq; ſibi principes ſacerdotum & ſeniores dixerãt. Qui cũ audiſſent, unanimiter attollebant uocem ad deum, dixe-

dixeruntq;:Domine,tu es deus,qui fecisti cœlum ac terram, mare & omnia quæ in eis sunt, qui per os
Psal.2 Dauid pueri tui dixisti:Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania? Astiterũt reges terræ, & principes cõuenerunt in unũ aduersus dominum,& aduersus Christũ eius. Cõuenerũt enim uere aduersus sanctum filiũ tuum Iesum,quẽ unxeras, Herodes simul & Pontius Pilatus cũ gentibus & populis Israël, ad faciendum quæcunq; manus tua, & consiliũ tuum prius decreuerat ut fierẽt. Et nũc domine aspice in minas eorum: & da seruis tuis, ut cum omni fiducia loquantur sermonem tuũ: manũ tuam porrigẽdo in hoc,ut sanatio & signa,& prodigia ædantur per nomẽ sancti filij tui Iesu. Et cum orassent illi,motus est locus in quo erant congregati:& repleti sunt omnes spiritu sancto,& loquebãtur sermonem dei cum fiducia. Multitudinis autem credentium erat cor unum & anima una: nec quisquam aliquid eorum quæ possidebat, suum esse dicebat:sed erant illis omnia communia. Et uirtute magna reddebant Apostoli testimoniũ resurrectionis domini Iesu, & gratia magna erat super omnes illos.Neq; enim quisquã egens erat inter illos. Quot quot enim possessores agrorum, aut ædium erant, uendentes afferebant precia eorũ quæ uendita fuerant,& ponebãt ad pedes apostolorum.Distribue-

batur

batur autem singulis prout cuique opus erat. Ioses uero, qui cognominatus est Barnabas ab Apostolis: quod est, filius consolationis, Leuites, Cyprius gene, cum haberet agrum, uendidit eum, & attulit precium, & posuit ad pedes Apostolorum.

CAP. V

VIr autem quidam nomine Ananias cum Saphira uxore sua uenditerat possessionem, & sepposuerat de precio, cõscia etiam uxore sua, & allatam partem aliquam ad pedes apostolorũ posuit. Dixit autem Petrus: Anania, cur impleuit satanas cor tuum, ut mentireris spiritui sancto, & fraudares de precio agri? Nónne prorsus tibi manebat, & uenundatus in tua erat potestate? Quare posuisti in corde tuo rem istam? Non es mentitus hominibus, sed deo. Audiens autem Ananias hæc uerba, collapsus expirauit. Et ortus est timor magnus super omnes qui audierunt hæc. Surgentes autem iuuenes amouerunt eum, elatumq; sepelierunt. Intercessit autem fermè horarum trium interuallum: uxor quoq; ipsius nesciens quod factum fuerat, introiuit. Respondit autẽ ei Petrus: Dic mihi, num tanti agrũ uendidistis? At illa dixit: Etiam, tanti. Petrus autem ait ad eam: Cur conspiratis inter uos, ut tentaretis spiritum domini? Ecce pedes eorum, qui sepelierunt uirum tuum, ad ostium adsunt, & efferent te.

Confe-

Confeſtim autem concidit ad pedes eius, & expirauit. Ingreſsi autem iuuenes, repererunt illam mortuam, & extulerunt ac ſepelierunt iuxta uirum ſuum. Et ortus eſt timor magnus ſuper uniuerſam cõgregationem, & ſuper omnes qui audiebant hæc. Per manus autem apoſtolorum ædebantur ſigna ac prodigia multa in populo. Et erant unanimiter omnes in porticu Solomonis. Cæterorum autem nemo audebat ſe cõiungere illis, ſed magnificabat eos populus, magis autem accreſcebat credentium domino multitudo uirorum ſimul ac mulierum, ita ut in plateas exportarent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabbatis, ut uenientis Petri uel umbra obumbraret aliquem illorum. Conueniebat autẽ & multitudo uicinarum ciuitatum Hieroſolymam, afferẽs ægros ac uexatos à ſpiritibus immundis, qui ſanabantur omnes. Exurgens autem princeps ſacerdotum, & omnes qui cum illo erãt, quæ eſt factio Saducæorum, repleti ſunt æmulatione, & iniecerunt manus in apoſtolos, & poſuerũt eos in cuſtodia publica. Sed angelus domini per noctẽ aperuit ianuas carceris, eductiſq; illis, dixit: Ite, & ſtantes loquamini in templo populo omnia uerba uitæ huius. Illi uero cum hæc audiſſent, intrauerũt diluculo in templum, ac docebãt. Adueniens autem princeps ſacerdotum, & qui cum eo erant, conuocauerunt concilium

lium & uniuersum seniorũ ordinem filiorũ Israël, miseruntq; ad carcerem qui adducerent eos. Cum autẽ uenissent ministri, nec repperissent illos in carcere, reuersi nunciauerunt, dicentes: Carcerem quidem inuenimus clausum cum omni diligẽtia, & custodes foris stantes ante ianuas. Cum aperuissemus autem, neminem intus reperimus. Vt autem audierũt hos sermones, & sacerdos, & magistratus templi, principesq; sacerdotũ, ambigebant de illis, quidnam hoc futurum esset. Adueniens autem quidam, nunciauit eis: Ecce, uiri quos posueratis in carcere, sunt in templo stantes, ac docentes populum. Tũc abijt magistratus cũ ministris, & adduxit illos sine ui. Timebant enim populũ, ne lapidarentur. Et cum adduxissent illos, statuerunt in concilio. Et interrogauit eos princeps sacerdotum, dicẽs: Nónne etiam atq; etiam præcepimus uobis, ne doceretis in nomine isto? Et ecce replestis Hierosolymam doctrina uestra, & uultis inducere super nos sanguinem hominis istius. Respondens autem Petrus & apostoli, dixerunt: Obedire oportet deo magis quàm hominibus. Deus patrũ nostrorũ suscitauit Iesum, quem uos interemistis, suspendentes in ligno. Hunc principem & seruatorem deus exaltauit dextera sua, ad dandam pœnitentiam Israëli, remißionemq; peccatorum, ac nos sumus ei testes horũ quæ dicimus: insuper

insuper autem & spiritus sanctus, quem dedit deus obedientibus ipsi. Hæc autem cum audissent, dissecabantur, & consultabant ut interficerent illos. Surgens autem quidam in concilio pharisæus, nomine Gamaliel, legis doctor in precio habitus apud totum populum, iussit ut paulisper secederent foras apostoli. Dixitq; ad illos: Viri Israëlitæ, attendite uobis super hominibus istis, quid acturi sitis. Ante hos enim dies extitit Theudas, dicens se esse aliquẽ, cui adhæsit numerus uirorum circiter quadringentorum, qui occisus est: & omnes qui credebant ei, dissipati sunt, & redacti ad nihilum. Post hunc extitit Iudas Galilæus in diebus professionis, & auertit populum multum post se, & ipse perijt, & omnes quotquot paruerant ei, dispersi sunt. Et nũc dico uobis, abstinete ab hominib. istis, & sinite illos. Quoniam si est ex hominibus consilium aut opus hoc, dissoluetur: Sin ex deo est, nõ potestis dissoluere, ne quãdo & deo repugnare reperiamini. In huius autem sententiam pedibus itum est à cæteris: & cum aduocassent apostolos, cæsis præceperunt, ne loquerentur in nomine Iesu, & dimiserunt eos. Et illi quidem ibant gaudẽtes à conspectu cõcilij, quod digni habiti essent, ut pro nomine eius contumelia afficerentur. Et quotidie in tẽplo & in singulis domibus non cessabant docere & annũciare Iesum Christũ.

In die

CAP. VI

IN diebus autem illis crescente numero discipulorum, ortum est murmur Græcorum aduersus Hebræos, eo quod despicerentur in ministerio quotidiano uiduæ ipsorum. Cæterũ duodecim illi, cũm iussissent adesse multitudinem discipulorum, dixerunt: Nõ est placitum, ut nos derelicto sermone dei ministremus mensis. Circunspicite ergo fratres, uiros ex uobis spectatæ probitatis septem, plenos spiritu sancto & sapiẽtia, quibus delegabimus hoc negocij. Nos uero deprecationi & administrando sermoni incumbemus. Et placuit hic sermo coram tota multitudine. Et elegerunt Stephanum uirum plenum fide ac spiritu sancto, & Philippũ, & Prochorum, & Nicanorem, & Timonem, & Parmenam, & Nicolaum proselytum Antiochenũ. Hos statuerunt in conspectu apostolorum, & cum orassent, imposuerũt eis manus. Et sermo dei crescebat, ac multiplicabatur numerus discipulorum Hierosolymis ualde, multaq; turba sacerdotum obediebat fidei. Porrò Stephanus plenus fide ac fortitudine ædebat prodigia et signa magna in populo. Exorti sunt autem quidã è synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensiũ, & Alexandrinorũ, & Cilicũ, & Asianorum, disputãtes cum Stephano, nec poterant resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur.

Tunc

Tunc ſubornarunt uiros, qui dicerent: Audiuimus eum dicentẽ uerba contumelioſa in Moſen ac deũ. Commouerũtq; plebem & ſeniores, & ſcribas, atq; inuadentes corripuerunt eũ, & adduxerunt in concilium, ſtatueruntq; falſos teſtes, qui dicerẽt: Homo iſte non ceſſat loqui uerba cõtumelioſa aduerſus locum ſanctum hunc & legem. Audiuimus enim eum dicentem: Ieſus Nazarenus iſte demolietur locum hunc, & mutabit inſtituta quæ tradidit nobis Moſes. Et intuentes eum omnes qui ſedebant in cõcilio, uiderunt faciem eius tanquam faciem angeli.

CAP. VII

DIxit autem princeps ſacerdotum: Num hæc ita ſe habent? At ille ait: Viri fratres & patres, audite: Deus gloriæ apparuit patri noſtro Abrahæ, cum eſſet in Meſopotamia, priuſquàm moraretur in Charran, & dixit ad illum: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & ueni in terram quam cunq; monſtrauero tibi. Tũc exijt è terra Chaldæorum, & habitauit in Charran. Et inde poſtquàm mortuus eſt pater eius, tranſtulit illum in terram hanc, in qua nunc uos habitatis. Et non dedit illi hæreditatem in ea, ne ueſtigium quidem pedis, & repromiſit illi eam ſe daturum poßidendam, & ſemini eius poſt ipſum, cum non haberet filium. Locutus eſt autem deus ſic, quod futurũ eſſet ſemen eius inqui-

Gen. 12

Gen. 15

inquilinũ in terra aliena, quodq; ſeruituti illud ſubiecturi eſſent, & male tractaturi annis quadringentis. Et gentem, cuicunq; ſeruierint, iudicabo ego, dixit deus. Et poſt hæc exibũt, & ſeruient mihi in loco hoc. Et dedit illi teſtamentum circũciſionis, atq; hic genuit Iſaac, & circumcidit eum in die octauo, & Iſaac genuit Iacob, & Iacob genuit duodecim patriarchas. Et patriarchæ inuidia moti, Ioſeph uenditerunt in Aegyptum. Et erat deus cum eo, & eripuit eum ex omnibus afflictionibus eius, & dedit ei gratiam & ſapiẽtiam coram Pharaone rege Aegyptiorum. Et conſtituit eum præfectum ſuper Aegyptum, & ſuper totam domum ſuam. Venit autẽ fames in uniuerſam terram Aegypti & Chanaan, & afflictio magna, nec inueniebãt cibos patres noſtri. Cum audiſſet autẽ Iacob eſſe frumenta in Aegypto, miſit patres noſtros primum. Et cum iterum miſiſſet eos, agnitus eſt Ioſeph à fratribus ſuis, & innotuit Pharaoni genus Ioſeph. Miſſo autem nuncio Ioſeph, accerſiuit Iacob patrem ſuũ, omnemq; cognationem ſuam in animabus ſeptuagintaquinq;. Et deſcendit Iacob in Aegyptum, defunctusq; eſt ipſe & patres noſtri, & translati ſunt in Sichem, & poſiti ſunt in ſepulchro, quod emit Abraham precio argenti à filijs Emor filij Sichem. Cum autem appropinquaret tempus promiſſionis, de qua iurauerat

Gen. 45

& 49

Exo.1 deus Abrahæ, creuit populus & multiplicatus est in Aegypto, donec exortus est alius rex, qui non nouerat Ioseph. Hic circumueniens genus nostrum, afflixit patres nostros, ut exponerēt infantes suos, ne
& 2 fœtus essent uitales. Eodem tempore natus est Moses, & fuit gratus deo, qui nutritus est tribus mensibus in domo patris: Expositum autem illum sustulit filia Pharaonis, & nutriuit eū sibi uice filij. Et eruditus est Moses omni sapiētia Aegyptiorū, & erat potens in factis & in dictis. Vt uero expletum est ei quadraginta annorum tempus, subijt in cor eius, ut inuiseret fratres suos filios Israël. Et cum uidisset quendam iniuria affici, defendit eum, & ultus est uicem eius, qui affligebatur, percusso Aegyptio. Existimabat autem intelligere fratres suos, quod deus per manum ipsius daret salutem illis. At illi non intellexerunt. Et sequenti die conspectus est illis litigantibus, & redegit eos in concordiam, dicens: Viri, fratres estis, cur uos inuicem læditis? Cæterum is qui iniuriam faciebat proximo, repulit eum, dicens: Quis te cōstituit principem ac iudicem super nos? Nunquid interficere me tu uis, quemadmodum interfeciſti heri Aegyptium? Fugit autem Moses ad dictum hoc, & factus est aduena in terra Madian, ubi genera uit filios duos. Et expletis annis quadraginta, apparuit illi in deserto montis Sina angelus

domini

domini in flammeo incendio rubi. Moſes autem ut conſpexit, admiratus eſt uiſum. Porrò cum accederet ut attenderet, facta eſt ad eum uox domini: Ego ſum deus patrum tuorum, deus Abraham, deus Iſaac, & deus Iacob. Tremefactus autem Moſes, nõ audebat attendere. Dixit autem illi dominus: Solue Exo.3
calciamentum pedum tuorum. Locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Vidi, uidi, inquam, afflictionem populi mei qui eſt in Aegypto: & gemitum eorum audiui, & deſcendi ut eruam eos. Nunc uenito, & mittam te in Aegyptum. Hunc Moſen quem negauerunt, dicentes: quis te conſtituit principem & iudicem? hunc, inquam, deus principem & redemptorem miſerat per manum angeli, qui apparuerat illi in rubo. Hic eduxit illos, ædens prodigia & ſigna in Aegypto, & in rubro mari, & in deſerto annis quadraginta. Hic eſt Moſes, qui dixit filijs Iſraël: Prophetam ſuſcitabit uobis deus ueſter è fratribus Deut.18
ueſtris, ſimilem mei, illum audietis. Hic eſt qui fuit in congregatione in ſolitudine cum angelo, qui loquebatur ei in monte Sina, et cum patribus noſtris, qui accepit ſermonem uiuum ut daret nobis: cui noluerunt obedire patres noſtri, ſed repulerunt & auerſi ſunt corde ſuo in Aegyptum, dicentes ad Aaron: Fac nobis deos, qui præcedant nos. Moſi Exo.23
enim huic qui eduxit nos de terra Aegypti, neſci-

mus quid acciderit. Et uitulum fecerunt in diebus illis, & obtulerunt hostiam simulachro, & lætabantur super operibus manuum suarum. Cõuertit se autem deus, & tradidit eos, ut colerent militiam cœli: sicut scriptum est in libro prophetarum: Num uictimas & hostias obtulistis mihi annis quadraginta in deserto, domus Israël? Et suscepistis tabernaculum Moloch, & sydus dei uestri Rempham, figuras quas fecistis ad adorandum eas. Et transferam uos ultra Babylonem. Tabernaculũ testimonij fuit patribus nostris in deserto, sicut ordinauerat illis, loquens ad Mosen, ut faceret illud secundũ formam, quam uiderat. Quod & induxerunt, qui successerunt, patres nostri, cum Iesu in possessionem gentium: quas expulit deus à facie patrum nostrorum usque ad dies Dauid: qui inuenit gratiam corã deo, & petijt ut inueniret tabernaculum deo Iacob. Solomon autem ædificauit illi domum: sed excelsissimus ille, nõ in manufactis templis habitat, sicut propheta dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Quam domum ædificabitis mihi dicit dominus: aut quis locus requietionis meæ est? Nónne manus mea fecit hæc omnia? Duri ceruice, & incircumcisi corde, & auribus, uos semper spiritui sancto resistitis: sicut patres uestri, ita & uos. Quem prophetarum non sunt persecuti pa-

Amos 5

Exo. 25

1. Reg. 6

Esa. 66

tres

tres uestri? Et occiderunt eos, qui prænunciabant de aduentu iusti illius, cuius uos nũc proditores & occisores fuistis: qui accepistis legem per dispositiones angelorum, nec seruastis. Audientes autem hæc, dißecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus suis in eum. Cum autẽ esset plenus spiritu sancto, intentis in cœlum oculis, uidit gloriam dei, & Iesum stantem à dextris dei. Et ait: Ecce uideo cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris dei. Exclamantes autem uoce magna continuerunt aures suas, & impetũ fecerunt unanimiter in eum. Et iectum eum è ciuitate lapidabant, ac testes deposuerunt uestimenta ad pedes adolescentis, qui uocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum inuocantem ac dicentem: Domine Iesu, suscipe spiritũ meũ. Positis autem genibus, clamauit uoce magna: Domine, ne statuas illis peccatum hoc. Et cum hoc dixisset, obdormiuit.

CAP. VIII

SAulus autem consenserat in necem eius. Facta est autem in illo die persecutio magna aduersus ecclesiam, quæ erat Hierosolymis, & omnes dispersi sunt per regiones Iudææ & Samariæ, præter apostolos. Curauerunt autem unà Stephanum uiri religiosi, fecerunt̃q; planctum magnum super eum. Saulus uero deuastabat ecclesiam, per singulas domos intrans, trahens̃q; uiros ac mulieres, tradebat

in custodiam. Illi igitur dispersi peragrabãt, annunciantes sermonem dei. Philippus autem peruenit in ciuitatem Samariæ, ac prædicabat illis Christum: Intendebãt autem turbæ his, quæ à Philippo dicebantur, unanimiter audientes & uidentes signa quæ ædebat. Spiritus enim immundi è multis qui ab illis tenebantur, exibant, clamantes uoce magna. Multi autẽ paralytici & claudi sanati sunt. Et factum est gaudium magnũ in illa ciuitate. Vir autem quidam nomine Simon, qui ante in ea ciuitate artem exercuerat magicam, ac gentẽ dementauerat Samariæ, dicens se esse quempiam magnum: cui auscultabant illi à minimo usq; ad maximum, dicẽtes: Iste est uirtus dei, quæ uocatur magna. Auscultabãt autem ei, propterea quod multo tẽpore magicis artibus dementasset eos. Cũ uero credidissent Philippo euangelizanti de regno dei, deq; nomine Iesu Christi, baptizabãtur uiri simul ac mulieres. Tunc Simon & ipse credidit, & cũ baptizatus esset, adhærebat Philippo. Vidensq; signa & uirtutes fieri, stupens admirabatur. Cum autem audissent apostoli qui erant Hierosolymis, quod recepisset Samaria sermonem dei, miserunt ad eos Petrum ac Ioannem: qui cũ descendissent, orauerũt pro ipsis, ut acciperent spiritũ sanctũ. Nõdũ enim in quẽquã illorũ illapsus fuerat, sed baptizati tantum erant in nomine Christi Iesu.

Tunc

Tunc imponebant manus ſuper illos, accipiebantq; ſpiritum ſanctum. Cum uidiſſet autem Simon, quod per impoſitionem manuũ apoſtolorum daretur ſpiritus ſanctus, obtulit eis pecunias, dicẽs: Date & mihi poteſtatem iſtam, ut cuicunq; impoſuero manus, accipiat ſpiritum ſanctum. Petrus autẽ dixit ad eũ: Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donũ dei exiſtimaſti pecunijs parari. Nõ eſt tibi pars neq; ſors in ratione hac: cor enim tuum non eſt rectum corã deo. Reſipiſce igitur ab iſta malicia tua, & roga deum ſi fortè remittatur tibi cogitatio cordis tui. In fellè enim amaritudinis, & colligatione iniquitatis uideo te eſſe. Reſpondens autẽ Simon dixit: Precemini uos pro me apud dominum, ne quid eueniat in me horũ quæ dixiſtis. Et illi quidem teſtificati & locuti ſermonem dei, reuerſi ſunt Hieroſolymam, & multis oppidulis Samaritanorum euangelizabant. Angelus aũt domini locutus eſt ad Philippum, dicens: Surge, & uade meridiem uerſus, ad uiam, quæ deſcendit ab urbe Hieroſolymorũ ad ciuitatem Gazam, hæc eſt deſerta. Et ſurgẽs abijt, & ecce uir Aethiops, eunuchus præfectus Cãdaces reginæ Aethiopum, quem præfecerat uniuerſæ gazæ ſuæ, uenerat adoraturus Hieroſolymam, & reuertebatur ſedens ſuper currum ſuum, legebatq; Eſaiã prophetam. Dixit autem ſpiritus Philippo: Accede, &

de,& adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Esaiam prophetã, & dixit:Intelligis ne quæ legis? At ille ait: Quinam enim possim,nisi aliquis dux uiæ mihi fuerit?Rogauitq; Philippum, ut ascenderet, sederetq; secum. Argumentum autem scripturæ quam legebat,erat hoc: Tanquam ouis ad occisionem ductus Esa.53 est,& sicut agnus coram tondẽte se mutus,sic non aperuit os suum.In humilitate ipsius,iudicium eius sublatum est. Generationem autem eius quis enarrabit?Quoniam tollitur de terra uita eius.Respondens autem eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo propheta dicit hoc,de se,an de alio quopiã? Aperiens autem Philippus os suum, & incipiens à scriptura ista,prædicauit illi Iesum.Et dũ irent per uiam,uenerunt ad quandã aquam.Et ait eunuchus: Ecce aqua, quid uetat quo minus baptizer? Dixit autem Philippus:Si credis ex toto corde, licet. Et respondens ait:Credo filium dei esse Iesum Christũ. Et iußit sisti currum,ac descenderũt ambo in aquã. Philippus simul & eunuchus, & baptizauit eum. Cum autem ascendissent ex aqua, spiritus domini rapuit Philippum, nec amplius uidit eũ eunuchus. Ibat enim per uiam suam gaudẽs. Philippus autem repertus est Azoti, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis,donec ueniret Cæsaream.

Saulus

SAulus autem adhuc ſpirans minas ac cædem aduerſus diſcipulos domini, acceßit ad principem ſacerdotum, & petijt ab eo epiſtolas, quas perferret Damaſcum ad ſynagogas, ut ſi quos inueniſſet eius uiæ ſeu uiros, ſeu mulieres, uinctos duceret Hieroſolymam. Et cum iter faceret, contigit ut appropinquaret Damaſco. Et ſubito circũfulgurauit eum lux de cœlo, collapſuſq; in terram, audiuit uocem, dicentem ſibi: Saul Saul, quid me perſequeris? Dixit autem: Quis es domine? Dominus autem dixit: Ego ſum Ieſus, quem tu perſequeris. Durum eſt tibi contra ſtimulos calcitrare. Is tremens ac ſtupens dixit: Domine, quid me uis facere? Et dominus ad eum: Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Viri autẽ illi qui erant ei comites itineris, ſtabant attoniti, audientes quidem uocem, neminem tamen uidentes. Surrexit autem Saulus è terra, apertiſq; oculis neminem uidebat. Sed manu ducentes illum, introduxerũt Damaſcum. Et erat tribus diebus non uidens, ac non comedit, neq; bibit. Erat autem quidam diſcipulus Damaſci, nomine Ananias, & dixit ad illum per uiſum dominus: Anania. Et ille ait: Ecce ego domine. Et dominus ad eum: Surge, & uade in uicum qui uocatur rectus, & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarſenſem: Ecce enim orat. Et uidit per uiſum uirum

rum, Ananiam nomine introcuntẽ,& imponentem ſibi manũ ut uiſum reciperet. Reſpondit autẽ Ananias: Domine, audiui ex multis de uiro hoc, quanta mala fecerit ſanctis tuis Hieroſolymæ. Et hoc loco habet poteſtatem à principib. ſacerdotum, uincendi omnes qui inuocãt nomen tuũ. Dixit aũt ad eum dominus: Vade, quoniã organum electum eſt mihi iſte, ut portet nomen meũ coram gentibus & regibus ac filijs Iſraël. Ego enim oſtendam illi, quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias,& introiuit in domũ,& imponẽs ei manus, dixit: Saul frater, dominus miſit me, qui apparuit tibi in uia qua ueniebas, ut uiſum recipias, & implearis ſpiritu ſancto. Et confeſtim deciderũt ab oculis eius tanquã ſquamæ,& uiſum recepit,& ſurgens baptizatus eſt. Cumq; cepiſſet cibum, corroboratus eſt. Fuit autẽ Saulus cum diſcipulis, qui erãt Damaſci, per dies aliquot. Et continuo in ſynagogis prædicabat Chriſtum, quod is eſſet filius dei. Stupebant aũt omnes qui eum audiebant, ac dicebãt: Nónne hic eſt qui expugnabat Hieroſolymis eos, qui inuocabant nomẽ iſtud? Et huc ad hoc uenit, ut uinctos illos duceret ad principes ſacerdotum? Saulus autem multo magis inualeſcebat, & confundebat Iudæos, qui habitabãt Damaſci, affirmãs quod is eſſet Chriſtus. Expletis autem diebus compluribus, inierunt inter

ſe Iu

ſe Iudæi conſilium,ut illum occiderent. Sed intelle/
ctæ ſunt Saulo inſidiæ eorum. Aſſeruabantq; portas
die ac nocte,ut eũ interficerent. Accipientes autem
eum diſcipuli nocte,per murum demiſerũt, ſummit 2.Cor.11
tentes in ſporta. Cum autem Saulus uenißet Hiero/
ſolymam,tentabat ſe iungere diſcipulis, & omnes
timebant eum,non credentes,quod eßet diſcipulus.
Barnabas autem apprehenſum illum, duxit ad apo/
ſtolos,ac narrauit illis, quomodo in uia uidißet do/
minum,& quod locutus eſſet ei,& quomodo in Da
maſco fortiter egißet in nomine Ieſu. Et erat cum il
lis uerſans Hieroſolymis cum fiducia loquens in no
mine domini Ieſu. Loquebaturq; & diſputabat ad/
uerſus Græcos:illi uero quærebant occidere eum.
Quod cũ cognouiſſent fratres, deduxerunt eũ Cæ/
ſaream,& emiſerũt Tarſum. Igitur eccleſiæ quidẽ
per totam Iudæam & Galilæam & Samariam ha/
bebant pacem,& ædificabantur uerſantes in timo/
re domini, & cõſolatione ſancti ſpiritus multiplica
bantur. Factum eſt autem,ut Petrus,dum peragra/
ret per omnes,deueniret etiam ad ſanctos,qui habi
tabant Lyddæ. Repperit autẽ ibi hominẽ quendam
nomine Aenæam, annis iam octo decumbentem in
grabbato, qui erat paralyticus. Et ait illi Petrus:
Aenæa,ſanet te dominus Ieſus Chriſtus. Surge, &
ſterne tibijpſi. Et continuo ſurrexit, & uiderunt

eum

eum omnes qui habitabant Lyddæ & Aßarone, qui conuerſi ſunt ad dominum. Ioppæ autem fuit quædam diſcipula nomine Tabitha, quæ interpretata dicitur Dorcas. Hæc erat plena operibus bonis & eleemoſynis quas præſtabat. Factũ eſt autem in diebus illis, ut infirmata moreretur. Quam cum lauiſſent, poſuerũt in cœnaculo. Cum autem uicina eſſet Lydda Ioppæ, ac diſcipuli audiſſent quod Petrus eſſet in ea, miſerunt ad eum, rogantes, ne grauaretur uenire uſq; ad ſe. Exurgẽs autem Petrus, uenit cum illis. Et cum aduenisſet, duxerunt illum in cænaculum, & circunſteterunt illum omnes uiduæ flentes, & oſtendentes tunicas ueſteſq; quas faciebat cum eſſet cum ipſis Dorcas. Eiectis autem omnibus foras, Petrus poſitis genibus orauit: & conuerſus ad corpus, dixit: Tabitha, ſurge. At illa aperuit oculos ſuos, uiſoq; Petro, reſedit. Data autem illi manu, erexit eam: & cũ uocaſſet ſanctos ac uiduas, exhibuit eam uiuam. Id autẽ innotuit per totam Ioppen, & crediderũt multi in dominum. Factum eſt autem, ut dies multos maneret Ioppæ apud Simonem quendam coriarium.

CAP. X

VIr autem quidã erat Cæſareæ, nomine Cornelius, Cẽturio ex cohorte quæ dicitur Italica, religioſus ac timens deum cum tota domo ſua, præſtans eleemoſynas multas plebi, deprecanſq;

deum

deum ſemper. Is uidit per uiſum manifeſte fermẽ ho
ra dici nona angelum dei introëuntem ad ſe, dicen
temq; ſibi: Corneli. At ille intuens eũ, ac timore cor
reptus, dixit: Quid eſt domine? Dixit autẽ illi: Ora
tiones tuæ & eleemoſynæ tuæ aſcenderunt in me
moriam coram deo. Et nunc mitte uiros Ioppen, &
accerſe Simonem qui cognominatur Petrus. Hic di
uerſatur apud Simonem quendam coriariũ, cui eſt
domus iuxta mare: hic dicet tibi quid te oporteat
facere. Et cum diſceßiſſet angelus qui loquebatur
illi, uocauit duos fãmulos ſuos: & militẽ religioſum
ex his qui ſibi adhærebant. Quibus cum narraſſet
omnia, miſit illos Ioppen. Poſtridie uero facientibus
illis iter, & appropinquantibus ciuitati, aſcẽdit Pe
trus in ſuperiora domus ut oraret, circa horam ſe
xtam. Et cum eſuriret, uoluit guſtare cibum. Paran
tibus autem illis, irruit ſuper eum mentis exceßus.
Et uidet cœlum apertum, ac deſcendens ad ſe uas
quoddam uelut linteum magnum, quatuor initijs al
ligatum, ſummitti è cœlo in terram, in quo erant o
mnia quadrupedia terræ, beſtiæq; & reptilia, et uo
latilia cœli. Et facta eſt uox ad eũ: Surge Petre, ma
cta & ueſcere. Ait autẽ Petrus: Nequaquã domine,
quia nunquã edi quicquã cõmune & immundũ. Et
uox rurſus iterũ ad eum: Quæ deus purificauit, tu
cõmunia ne dixeris. Hoc autẽ factum eſt tertio. Et

rurſum

rursum receptum est uas in cœlum. Et dum apud se se hæsitaret Petrus, quæ nam esset uisio quam uidisset, ecce uiri qui missi erant à Cornelio, percontati de domo Simonis, astiterunt ad ianuam. Et euocato quopiam, interrogabant, an Simon qui cognominaretur Petrus, illic haberet hospitium. Petro uero cogitante de uisione, dixit spiritus ei: Ecce uiri quærunt te. Surge itaq; & descende, & uade cum eis, nihil hæsitans, propterea quod ego misi illos. Descendens autem Petrus ad uiros, qui missi erant à Cornelio ad ipsum, dixit: Ecce ego sum ille quem quæritis. Quæ causa est propter quam uenistis? Qui dixerũt: Cornelius centurio, uir iustus ac timens deũ, & testimoniũ habens ab uniuersa gente Iudæorũ, oraculo admonitus est ab angelo sancto, ut accerseret te in domum suam, & audiret uerba abs te. Intro uocatos igitur eos, recepit hospitio. Sequẽti uero die Petrus profectus est cum illis, & quidam ex fratribus Ioppensibus comitati sunt eum. Postridie uero introierunt Cæsaream. Porrò Cornelius expectabat illos, conuocatis cognatis suis, ac necessarijs amicis. Vt aũt factum est ut introiret Petrus, obuiã progressus ei Cornelius, ac procidens ad pedes, adorauit eum. Petrus uero erexit eũ, dicens: Surge, & ego ipse homo sum. Et colloquens cum illo, intrauit, & offendit multos qui cõuenerant, dixitq; ad illos: Vos

los: Vos ſcitis, non eſſe fas uiro Iudæo coniungi, aut accedere ad alienigenam. Sed mihi oſtendit deus, ne quem communem, aut immũdum dicerem homi nem, quapropter & incunctanter ueni accerſitus. Interrogo ergo, quam ob cauſam accerſiſtis me? Et Cornelius ait: Die ab hinc quarto uſq; ad hanc ho/ ram ſedebam ieiunus, & hora nona precabar in do mo mea, & ecce uir ſtetit ante me in ueſte ſplendi/ da, & ait: Corneli, exaudita eſt deprecatio tua, & eleemoſynæ tuæ in memoria habitæ ſunt corã deo. Mitte ergo, qui eant Ioppen, & accerſe Simonem qui cognominatur Petrus, hic diuerſatur in ædibus Simonis coriarij iuxta mare, qui ſimul atq; uenerit loquetur tibi. Confeſtim ergo miſi ad te, & tu bene feciſti qui aduèneris. Nunc ergo omnes nos, teſte deo, adſumus, ut audiamus omnia quæcũq; tibi præ cepta ſunt à deo. Aperiens autem Petrus os, dixit: Re ipſa cõperio, quod non ſit perſonarũ reſpectus apud deum, ſed in quauis gente, qui timet ipſum & operatur iuſtitiam, is acceptus eſt illi. Sermonẽ quẽ miſit deus filijs Iſraël, annuncians pacem per Ieſum Chriſtũ (hic eſt omniũ dominus) ipſi noſtis, de quo ſermone fama diuulgatum fuit in tota Iudæa: rumo re primum orto à Galilæa, poſt baptiſma quod præ dicabat Ioannes, ut Ieſum Nazarenum unxerit de/ us ſpiritu ſancto & uirtute, qui obambulauit be/

Rom. 2
Eph. 6
Col. 3

nefa/

nefaciendo & ſanando omnes oppreſſos à diabolo, quoniam deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quæ fecit & in regione Iudæorum, & Hieroſolymis, quẽ occiderunt ſuſpenſum in ligno. Hũc deus ſuſcitauit tertio die, & exhibuit eum, ut manifeſtus fieret non toti populo, ſed teſtibus prius ad hoc delectis à deo, nimirum nobis, qui comedimus ac bibimus unà cum illo, poſteaquàm reſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis ut prædicaremus populo, ac teſtificaremur quod ipſe ſit ille qui cõſtitutus erat à deo iudex uiuorũ ac mortuorũ. Huic omnes prophetæ teſtimonium ferunt, quod remiſſionẽ peccatorũ accepturus ſit per nomen eius quiſquis crediderit in eum. Adhuc loquente Petro uerba hæc, cecidit ſpiritus ſanctus ſuper omnes qui audiebant ſermonem. Et obſtupuerunt hi qui ex circũciſorum genere credebant, quotquot uenerant cum Petro, quod & in gentes donum ſpiritus ſancti effuſum eſſet. Audiebãt enim illos loquẽtes linguis, ac magnificantes deum. Tunc reſpondit Petrus: Nũ quis prohibere poteſt, quo minus aqua baptizentur hi quĩ ſpiritũ ſanctũ acceperunt ſicut & nos? Et iuſſit eos baptizari in nomine domini. Tũc rogauerũt eũ, ut remaneret aliquot dies.

CAP. XI

AVdierunt autẽ apoſtoli & fratres qui erãt in Iudæa, quod & gentes recepiſſent ſermonem

monem dei. Cumq; aſcendiſſet Petrus Hieroſolymã, diſceptabant aduerſus illum qui erant ex circunciſione, dicentes: Ad uiros præpucium habentes introiſti, & ediſti cum illis. Petrus autem rem ab initio repetens, expoſuit illis ordine, dicens: Ego eram in ciuitate Ioppe orans, & uidi raptus extra me uiſionem, deſcendere uas quoddam, ceu lintcum magnũ quatuor initijs emiſſum è cœlo, & uenit uſq; ad me. In quod cum intendiſſem oculos, animaduerti & uidi quadrupedia terræ, & beſtias, & reptilia, & uolatilia cœli. Audiui autem & uocem dicentem mihi: Surge Petre, macta & ueſcere. Dicebam autẽ: Nequaquam domine, quia nihil commune aut immundũ unquam introiuit in os meum. Reſpondit autem mihi uox rurſum è cœlo: Quæ deus mundauit, tu ne communia dixeris. Idq; accidit tertio, & rurſum omnia ſubducta ſunt in cœlũ. Et ecce extemplo tres uiri præſto aderant in ædibus in quibus eram è Cæſarea miſſi ad me. Dixerat autem mihi ſpiritus, ut congrederer cũ illis, nihil hæſitans. Porrò comitati me ſunt & ſex fratres hi. Et ingreſſi ſumus in domum uiri: iſq; retulit nobis, ut uidiſſet angelum domi ſuæ, quia aſtitiſſet ac dixiſſet ſibi: Emitte uiros Ioppen & accerſe Simonem, cognomento Petrum, qui tibi ea dicturus eſt, per quæ ſerueris & tu & uniuerſa domus tua. Cum autem exorſus eſſem ſermonem, illapſus eſt ſpi-

ritus ſanctus in illos, quemadmodũ & in nos fuerat illapſus initio. Veniebat autem in mentem quod dixerat dominus: Ioannes quidem baptizauit aqua, cæterum uos baptizabimini ſpiritu ſancto. Proinde ſi par donũ dedit illis deus, quemadmodũ & nobis, cũ credidiſſemus in dominum Ieſum Chriſtum, ego porrò quis eram qui poſſem obſiſtere deo? His autẽ auditis obticuerunt, & glorificauerũt deum, dicentes: Igitur & gentibus deus pœnitentiam cõceſſit ad uitam. Et illi quidem qui diſperſi fuerant ex afflictione, quæ orta fuerat ob Stephanum, perambulauerũt uſq; ad Phœnicem & Cyprũ, & Antiochiam, nemini loquentes ſermonem illum, niſi ſolis Iudæis. Erant autem quidam ex eis uiri Cyprij & Cyrenenſes, qui cum introiſſent Antiochiam, loquebantur ad Græcos, prædicantes dominum Ieſum. Et erat manus domini cum eis, multusq; numerus credentium conuerſus eſt ad dominum. Peruenit autem rumor ad aures eccleſiæ, quæ erat Hieroſolymis, ſuper his, & miſerunt Barnabam, ut iret ad Antiochiam. Qui cũ peruenisſet, & uidiſſet gratiam dei, gauiſus eſt, & hortabatur omnes, ut propoſito cordis perſeuerarẽt adhærere domino. Nam erat uir bonus, ac plenus ſpiritu ſancto, & fide. Et addita eſt multa turba domino. Profectus eſt autem Barnabas Tarſum, ut quæreret Saulum, quem cum inueniſſet perduxit Antiochiam.

Accidit

Accidit autem ut annum totum consuetudinem age/ rent cum ea congregatione, docerentq; turbam mul tam, & discipuli cognominarentur primum Antio/ chiæ Christiani. In his autem diebus superuenerunt ab urbe Hierosolymorũ prophetæ Antiochiam, sur/ gensq; unus ex eis nomine Agabus, significabat per spiritum, famem magnam futuram in toto terrarum orbe, quæ accidit sub Claudio Cæsare. Discipuli au/ tem prout cuiq; suppetebat, proposuerunt in subsi/ dium mittere habitantibus in Iudæa fratribus, quod & fecerunt, mittentes ad seniores per manum Bar/ nabæ ac Sauli.

CAPVT XII

EOdem autẽ tempore iniecit Herodes rex ma/ nus, ut affligeret quosdam de ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis gladio: uidens autẽ quod gratum esset Iudæis, perrexit comprehende/ re & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cum etiam apprehendisset, posuit in carcerem, tra/ dens quatuor quaternionibus militum asseruandum: uolens post pascha producere eum populo. Et Pe/ trus quidem seruabatur in carcere. Cæterum pre/ catio fiebat sine intermissione ab ecclesia ad deum pro eo. Cum autem producturus eum esset Herodes, in ipsa nocte dormiebat Petrus inter duos milites, uinctus catenis duabus, & custodes ante ostium

custodiebant carcerem. Et ecce angelus domini asti
tit,& lumen refulsit in habitaculo,percussoq; latere
Petri,excitauit eum,dicens:Surge uelociter.Et exci
derunt catenæ de manibus eius.Dixit autem angelus
ad eum : Præcingere & subliga solcas tuas. Et fecit
sic.Et dicit illi: Circunda tibi uestimentum tuum,&
sequere me. Et exiens sequebatur eum,& nesciebat
quod uerum esset quod fiebat per angelum,sed puta
bat se uisum uidere. Cum autẽ præterissent primam
ac secundam custodiam,uenerunt ad portam ferreã,
quæ ducit in ciuitatem, quæ ultro aperta est eis . Et
exeuntes processerunt uicum unum,& continuo di
scessit angelus ab eo.Et Petrus ad se reuersus, dixit:
Nunc scio uere,quod miserit dominus angelũ suum,
& eripuerit me è manu Herodis, & ex omni expe
ctatione plebis Iudæorum,req; perpensa uenit ad do
mum Mariæ, matris Ioannis, qui cognominatus est
Marcus,ubi erant multi congregati & orantes. Cũ
pulsasset autem Petrus ostium uestibuli,processit pu
ella ut subauscultaret, nomine Rhode. Et ut agnouit
uocem Petri,præ gaudio non aperuit uestibulũ, sed
introcurrens, renunciauit stare Petrum ante uesti
bulum.At illi dixerunt ad eam:Insanis.Illa autẽ affir
mabat,sic se habere . At illi dicebant : Angelus eius
est.Petrus autem perseuerabat pulsans. Cum autem
aperuissent, uiderunt eum , & obstupuerunt . Cum
innuisset

innuisset autem eis mota manu ut tacerent: narrauit illis, quomodo dominus eduxisset ipsum de carcere. Dixit autem: Nunciate Iacobo *& fratribus hæc. Et egressus abijt in alium locum. Porrò ubi diluxit, erat turbatio non parua inter milites, quid nam accidisset Petro. Herodes aũt cũ requisisset eum, nec inuenisset, examinatis custodibus, iussit eos duci: descendensq; à Iudæa Cæsaream, ibi commoratus est. Erat autem Herodes infensus Tyrijs ac Sidonijs. At illi uno animo uenerunt ad eum, & persuaso Blasto, qui præerat cubiculo regis, petebant pacem: eo quod alerentur regio ipsorum annona regia. Statuto autẽ die, Herodes uestitus ueste regia, sedit pro tribunali, & concionabatur ad eos. Populus autem acclamabat: Vox dei, & non hominis. Confestim autem percussit eum angelus domini, eo quod non dedisset gloriam deo: & corrosus à uermibus, expirauit. Porrò sermo domini crescebat, ac multiplicabatur. Barnabas autẽ & Paulus reuersi sunt Hierosolymam, expleto ministerio, assumpto & Ioanne, cui cognomen erat Marcus.*

CAP. XIII

ERant autem quidam in ecclesia, quæ erat Antiochiæ, prophetæ ac doctores, Barnabasq; & Simon, qui uocabatur Niger, & Lucius Cyrenensis, & Manahen, qui erat Herodis tetrarchæ collactaneus, & Saulus: cum autẽ illi sacrificarent domino,

ieiunarentq;,dixit ſpiritus ſanctus : Segregate mihi Barnabam & Saulũ in opus ad quod accerſiui eos. Cumq; ieiunaſſent & oraſſent,impoſuiſſentq; eis manus,dimiſerũt.Et ipſi quidem emiſſi à ſpiritu ſancto, abierunt Seleuciam , & inde nauigauerunt in Cyprum.Et cum eſſent Salamine,annunciauerunt ſermonem dei in ſynagogis Iudæorũ. Habebant autem & Ioannem miniſtrum. Et peragrata inſula uſq; ad Paphum, inuenerunt quendam magum pſeudoprophetam Iudæum , cui nomen erat Baricſu : qui erat cum proconſule Sergio Paulo uiro prudente.Hic accerſitis Barnaba & Saulo,deſiderabat audire ſermonem dei.Reſistebat aũt illis Elymas magus: ſic enim interpretatur nomẽ eius,quærens auertere proconſulem à fide.Saulus autem qui idem Paulus,repletus ſpiritu ſancto, intentis in eum oculis,dixit : O plene omni dolo & omni uerſutia fili diaboli,inimice omnis iuſticiæ,nõ deſinis inuertere uias domini rectas? & nunc ecce manus domini ſuper te, & eris cæcus non uidens ſolem uſq; ad tempus. Et confeſtim cecidit in eum caligo ac tenebræ,& circumiens quærebat,qui ſe manu ducerẽt, Tunc proconſul cũ uidiſſet quod acciderat , credidit, admirans ſuper doctrina domini . Cum autem à Papho ſoluiſſet Paulus, qui cum eo erant,uenerunt Pergen Pamphyliæ.Ioannes autem digreſſus ab eis, reuerſus eſt Hieroſolymam.

Cæterum

Cæterum ipſi peragratis regionibus, à Perga uenerunt Antiochiam Piſidiæ, & ingreſſi ſynagogam die ſabbatorum, ſederunt. Poſt lectionem autem legis ac prophetarum, miſerunt principes ſynagogæ ad eos, dicentes: Viri fratres, ſi quis eſt in uobis ſermo exhortationis ad plebem, dicite. Surgens autem Paulus, & manu ſilentio indicto, ait: Viri Iſraëlitæ, & qui timetis deum, audite: Deus populi huius delegit patres noſtros: & populum in altum extulit, cum eſſent incolæ in terra Aegypti: & brachio excelſo eduxit eos ex ea: & circiter quadraginta annorum tempus mores eorum ſuſtinuit in deſerto. Ac deletis gentibus ſeptem in terra Chanaan, ſorte diſtribuit eis terram eorũ. Et poſt hæc annis circiter quadringentis quinquaginta, dedit iudices uſque ad Samuelem prophetam. Et exinde poſtulauerũt regem: deditq; eis deus Saul filium Cis, uirum de tribu Beniamin, annis quadraginta. Et amoto illo, ſuſcitauit illis Dauid ut eſſet rex, cui teſtimonium reddens dixit: Inueni Dauid filium Ieſſe, uirum ſecundum cor meũ, qui faciet omnes uoluntates meas. huius è ſemine deus, ita ut promiſerat, adduxit Iſraëli ſeruatorem Ieſum, cum ante prædicaſſet Ioannes ante faciem introitus eius baptiſmum pœnitentiæ Iſraëli. Cum autem impleret Ioannes curſum, dixit: Quem me arbitramini eſſe? Non is ſum ego, ſed ecce uenit

1.Reg.8

1.Reg.16

Mar.1

post me, cuius non sum dignus soleam pedum solue-
re. Viri fratres, filij generis Abrahæ, et qui inter uos
timent deũ, uobis sermo salutis huius missus est. Qui
enim habitabant Hierosolymis, & principes corũ,
cum ignorarent illum, & uoces prophetarum quæ
per omne sabbatum leguntur, condemnato eo imple-
Luc.23 uerunt, nullaq; causa mortis inuenta, petierunt à Pi-
lato, ut interficeret illum. Cumq; consummassent om-
nia quæ de eo scripta erant, depositum de ligno, po-
suerunt in monumento. Deus autem suscitauit eum à
mortuis, qui uisus est per dies multos his, qui simul
ascenderant cum eo à Galilæa Hierosolymam, qui
sunt testes eius apud plebem. Et nos uobis annuncia-
mus, quod eam repromissionem, quæ ad patres facta
est, deus adimpleuerit filijs illorum, nimirũ nobis re-
suscitato Iesu, sicut & in psalmo primo scriptum est:
Psal.2 Filius meus es tu, ego hodie genui te. Quod autem
Heb.1 suscitauit eum à mortuis, iam non amplius reuersu-
rum in corruptionem, ita dixit: Dabo uobis sancta
Psal.15 Dauid fidelia. Ideo & aliâs dicit: Non permittes ut
sanctus tuus uideat corruptionem. Nam Dauid qui-
dem cum suæ ætati inseruisset consilio dei, dormiuit:
& appositus est ad patres suos, uiditq; corruptio-
nem. At is quem deus suscitauit, non uidit corruptio
nem. Notum igitur sit uobis uiri fratres, quod per
hunc uobis remissio peccatorum annunciatur & ab

omnibus

omnibus, à quibus non potuistis per legem Mosi iustificari: per hunc omnis qui credit iustificatur. Videte ergo ne superueniat uobis, quod dictum est in prophetis: Videte contemptores, & admiramini, & euanescite, quia opus operor ego in diebus uestris, quod non credetis, si quis enarrauerit uobis. Egressis autem è cœtu Iudæis, rogabant gentes, ut sequenti sabbato loquerentur sibi uerba. Soluto autem cœtu, secuti sunt multi Iudæi & religiosi proselyti Paulum ac Barnabam, qui alloquentes suadebant eis ut perseuerarent in gratia dei. Sequenti uero sabbato penè uniuersa ciuitas conuenit ad audiendum sermonem dei. Videntes autẽ turbas Iudæi, repleti sunt zelo, & contradicebant his quæ à Paulo dicebantur, contradicentes ac loquentes blasphemias. Tunc sumpta fiducia Paulus ac Barnabas dixerunt: Vobis oportebat primum loqui sermonẽ dei, sed quoniam repellitis illum, & indignos uos iudicatis æterna uita, ecce conuertimur ad gentes, sic enim nobis præcepit dominus: Posui te in lucem gentium, ut sis salus usq; ad extremum terræ. Audientes autem gentes, gauisæ sunt, & glorificabant sermonem domini, & crediderunt quotquot erant ordinati ad uitam æternam. Diuulgabatur autẽ sermo domini per uniuersam regionem. Iudæi uero extimulauerunt mulieres religiosas & honestas, & primos ciuitatis, & excitauerunt

Abacuc. 1

Esa. 49

citauerunt perſecutionem in Paulum ac Barnabam,
Matth.10 & eiecerũt eos de finibus ſuis. At illi excuſſo puluere pedum ſuorum in eos, uenerunt Iconium. Porrò diſcipuli replebantur gaudio & ſpiritu ſancto.

CAPVT XIIII

FActum eſt autem Iconij ut ſimul introirent ſynagogam Iudæorũ, & loquerentur ſic, ut crederet Iudæorum ſimul & Græcorum copioſa multitudo. Qui uero increduli erant Iudæi, concitauerũt, & corruperunt animos gentium aduerſus fratres. Multo igitur tempore demorati ſunt fortiter agentes præſidio domini, qui teſtimonium perhibebat ſermoni gratiæ ſuæ, dabátque ut ſigna & prodigia fierent per manus eorum. Diuiſa eſt autem multitudo ciuitatis, & quidam quidẽ ſtabant à Iudæis, quidam uero ab apoſtolis. Cum autem factus eſſet impetus gentium pariter ac Iudæorum unà cum principibus ſuis, ut uim adferrent ac lapidarẽt eos, re intellecta, confugerũt ad ciuitates Lycaoniæ Lyſtram & Derben, & finitimam undiq; regionem, & ibi prædicabant euangelium. Et quidam uir Lyſtris debilis pedibus ſedebat, claudus ab utero matris ſuæ, qui nunquam ambulauerat, hic audiuit Paulum loquentem. Qui intuitus eum & uidens quod fidem haberet ſore, ut ſaluus fieret, dixit magna uoce: Surge in pedes tuos rectus. Et exilijt, ambulabatq;. Turbæ uero cum uidiſſent

uidissent quod fecerat Paulus, sustulerunt uocem suam Lycaonice, dicentes: Dij in specie hominum descenderunt ad nos. Et uocabant Barnabam Iouem, Paulum uero Mercurium, quod is esset dux sermonis. Sacerdos autem Iouis, qui erat ante ciuitatem illorum, tauros & coronas ad uestibula afferens, cum turbis uolebat sacrificare. Quod ubi audierunt apostoli, Barnabas & Paulus, conscißis uestibus suis insilierunt in turbam, clamantes ac dicentes: Viri cur ista facitis? Nos quoq; issdem quibus uos obnoxij malis sumus homines, annunciantes, ut ab istis uanis cõuertamini ad deum uiuum, qui fecit cœlũ & terram & mare & omnia quæ in eis sunt, qui in præteritis ætatibus sinebat omnes gentes ingredi uijs suis. Quanquam nõ expertem testimonij seipsum esse sinebat, dum beneficia confert de cœlo nobis dans pluuias ac tempora fructifera, implens cibo & lætitia corda nostra. Et hæc dicentes, uix compescuerunt turbas, ne sibi immolarent. Superuenerũt autem quidam ab Antiochia & Iconio Iudæi, qui cum persuasissent turbis, ac Paulum lapidassent, extraxerunt eum è ciuitate, existimantes illum mortuum esse. Circundantibus autem eum discipulis, surrexit & intrauit ciuitatem. Ac postero die profectus est cum Barnaba Derben. Cúmque euangelizassent ciuitati illi, ac docuissent multos, reuersi sunt Lystram

&

& Iconium,& Antiochiam,denuo cõfirmantes animas discipulorum, exhortantesq; ut perseuerarent in fide:& quod per multas afflictiones oporteat nos intrare in regnum dei.Et cum suffragijs creassent illis per singulas ecclesias presbyteros, precatiq; essent cum iciunijs , commendauerunt eos domino, in quem crediderant, Peragrataq; Pisidia,uenerunt in Pamphyliam : & cũ locuti essent sermonem Pergæ, descenderunt in urbem Attaliam, & inde soluerunt Antiochiam , unde erant traditi gratiæ dei, in opus quod compleuerunt.Cum autẽ uenissent & congregassent ecclesiam, retulerunt quæcunq; fecisset deus secum,& quod aperuisset gentibus ostium fidei.Cõmorati sunt autẽ illic multũ temporis cũ discipulis.

CAPVT XV

ET quidam qui descenderant à Iudæa,docebãt fratres, nisi circuncidamini secundum morem Mosi,non potestis esse salui . Cum orta ergo seditio & disceptatio esset nõ exigua Paulo ac Barnabæ aduersus illos,statuerũt ut ascenderent Paulus & Barnabas,& quidam alij ex illis,ad apostolos ac presbyteros Hierosolymam,super hac quæstione. Illi ergo deducti ab ecclesia pertransibant Phœnicen & Samariam,narrantes conuersionem gentium,& adferebant gaudium magnũ omnibus fratribus.Cum autem uenissent Hierosolymam,susceptisunt ab ecclesia,&

ſia,& ab apoſtolis ac preſbyteris, annunciauerũtq; quæcunq; deus feciſſet cum ipſis. Surrexerũt autem quidam de factione phariſæorum, qui crediderant, dicentes:quod oportoret circuncidere eos,ac præcipere,ut ſeruarent legem Moſi: conueneruntq; apoſtoli ac preſbyteri,ut diſpicerent de hoc negocio.Cũ autem magna diſceptatio fuiſſet ,ſurgens Petrus,dixit ad eos: Viri fratres, uos ſcitis quod ab antiquis diebus deus inter nos elegit, ut per os meũ audirent gentes uerbum Euangelij,crederentq;. Et qui nouit corda,deus,teſtimonium præbuit illis, dans illis ſpiritum ſanctũ ſicut & nobis: nihilq; diſcreuit inter nos & illos,cum fide purificauerit corda illorum.Nunc ergo quid tentatis deum,ut imponatur iugum ſuper ceruices diſcipulorum,quod neq; patres noſtri, neq; nos portare potuimus ? Sed per gratiam domini Ieſu Chriſti credimus nos ſaluos futuros, quemadmodum & illi.Tacuit autem tota multitudo,& audiebant Barnabam ac Paulum, narrantes quæ deus ædiſſet ſigna & prodigia inter gentes per ipſos. Et poſtquàm conticuiſſent, reſpondit Iacobus , dicens : Viri fratres,audite me:Symeon narrauit quemadmodum primum deus uiſitauerit, ut ſumeret ex gentibus populum in nomine ſuo,& huic conſonant uerba prophetarum,ſicut ſcriptum eſt: Poſt hæc reuertar,ac rurſus ædificabo tabernaculum Dauid, quod Amos 9

collapſum

collapſum eſt, & diruta eius inſtaurabo, & erigam illud:ut requirant qui reliqui ſunt homines,dominũ, & omnes gentes ſuper quas inuocatum eſt nomen meum:dicit dominus,qui facit hæc omnia. Nota à ſeculo ſunt deo omnia hæc opera ſua. Propter quod ego cenſeo,non obturbandum eſſe illis,qui ex gentibus conuertuntur ad deum :ſed ſcribendum ad eos, ut abſtineant ſe ab inquinamentis ſimulacrorum,& ſcortatione,& ſuffocato, & ſanguine. Moſes enim ab ætatibus antiquis in ſingulis ciuitatibus habet, qui ipſum prædicent in ſynagogis,ubi per omne ſabbatum legitur. Tunc placuit apoſtolis & ſenioribus cum tota eccleſia,ut delectos ex ſeſe uiros mitterent Antiochiam cum Paulo & Barnaba,Iudam, cognomento Barſaban,& Silam,uiros primarios inter fratres,miſsis per manus eorum literis in hanc ſententiam. Apoſtoli & preſbyteri, & fratres,his qui ſunt Antiochiæ, & in Syria & in Cilicia fratribus, qui ſunt ex gentibus,SALVTEM. Quoniã audiuimus, quod quidam è nobis egreſsi, turbauerunt uos, uerbis labefactantes animas ueſtras,iubentes uos circuncidi,& ſeruare legem, quibus non mandaueramus. Viſum eſt nobis unanimiter congregatis,delectos uiros mittere ad uos, cum dilectis noſtris Barnaba & Paulo, hominibus qui expoſuerunt animas ſuas pro nomine domini noſtri Ieſu Chriſti. Miſimus ergo Iudam

dam & Silam, qui & ipsi uobis uerbis referent eadem. Visum est enim spiritui sancto ac nobis, ne quid amplius imponeremus uobis oneris, quàm hæc necessaria: uidelicet, ut abstineatis ab his, quæ sunt immolata simulacris, & sanguine, & suffocato, & scortatione. A quibus si conseruaueritis uosipsos, benefacietis. VALETE. Illi ergo dimissi uenerũt Antiochiam: & congregata multitudine reddiderunt epistolam. Quam cum legissent, gauisi sunt super consolatione. Iudas autem & Silas cum essent & ipsi prophetæ, sermone copioso adhortati sunt fratres, confirmaueruntq; . Cõmorati autem illic aliquantulum temporis, dimissi sunt cum pace à fratribus ad apostolos. Visum est autem Silæ mancre ibidem, Paulus uero & Barnabas demorabantur Antiochiæ, docentes, & annunciantes cum alijs etiam cõpluribus sermonem domini. Post aliquot autẽ dies dixit ad Barnabam Paulus: Reuertentes iam uisitemus fratres nostros per omnes ciuitates, in quibus annunciauimus sermonẽ domini, quomodo se habeant. Barnabas autem consulebat, ut assumerent & Ioannem, cognomento Marcum. Paulus autem nolebat, ut is qui decessisset ab ipsis ex Pamphylia, nec isset cum eis in opus, adiungeretur. Tam acris autem fuit inter eos disceptatio, ut alter ab altero seiungeretur: & Barnabas quidẽ assumpto Marco nauigaret in Cyprũ:

Paulus

Paulus uero allecto Sila profectus est, traditus gratiæ dei à fratribus. Perambulabat autem Syriam ac Ciliciam, confirmans ecclesias.

CAPVT XVI

PEruenit autem Derben & Lystram, & ecce discipulus quidam erat ibi, nomine Timotheus, filius mulieris cuiusdam Iudææ fidelis, cæterũ patre Græco. Huic testimonium bonum reddebant, qui Lystris erant, & Iconij fratres. Hunc uoluit Paulus secum proficisci, & assumptum circuncidit eum propter Iudæos, qui erant in illis locis. Sciebãt enim omnes quod pater eius erat Græcus. Cum autem pertransirent ciuitates, tradebant eis seruanda decreta, quæ erant ordinata ab apostolis & presbyteris, qui erant Hierosolymis. Itaq; ecclesiæ confimabantur fide, & abundabant numero quotidie. Cum peragrassent autem Phrygiam & Galaticam regionem, uetitiq; essent à spiritu sancto loqui sermonem in Asia, profecti in Mysiam, tentabant ire in Bithyniam, & non permisit eos spiritus. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadẽ, & uisio per noctem Paulo uisa est. Vir Macedo quidam erat stans, & deprecans eum, ac dicens: Profectus in Macedoniam, succurre nobis. Vt autem uisum uidit, statim quæsiuimus proficisci in Macedoniam, certi facti, quod uocasset nos dominus ad euangelizandũ eis. Cum sol-

uissemus

uiſſemus igitur à Troade, recto curſu uenimus Samothracen, & postero die Neapolim, & inde Philippos, quæ est prima partis Macedoniæ ciuitas, colonia. Eramus autem in eadem urbe diebus aliquot commorantes, & die ſabbatorum egreſſi ſumus è ciuitate iuxta flumen, ubi ſolebat eſſe precatio: & ſedentes loquebamur mulieribus quæ conuenerant. Et quædam mulier nomine Lydia, purpurarũ uenditrix ciuitatis Thyatirorum, colens deũ, audiuit: cuius dominus aperuit cor, ut intenderet his quæ dicebantur à Paulo. Cum autem baptizata eſſet & domus eius, deprecata est, dicens: Si iudicastis me fidelem domino eſſe, introite in domum meam & manete: & adegit nos. Accidit autem euntibus nobis ad precationem, ut puella quædam habens ſpiritum Pythonis, occurreret nobis, quæ quæſtum magnum præſtabat dominis ſuis diuinando. Hæc ſubſecuta Paulum ac nos, clamabat, dicens: Isti homines ſerui dei excelſiſſimi ſunt, qui annunciant nobis uiam ſalutis. Hoc autem faciebat multos dies. Sed ægre ferens Paulus, & cõuerſus, ſpiritui dixit: Præcipio tibi per nomen Ieſu Chriſti, ut exeas ab ea. Et exijt eadem hora. Vidẽtes autem domini eius, quod abiſſet ſpes quæſtus ſui, apprehenſum Paulum & Silam traxerunt in forum ad principes, & offerentes eos magiſtratibus, dixerunt: Hi homines con-

turbant ciuitatem nostram, cum sint Iudæi, & annunciant instituta, quæ non licet nobis suscipere, neq; seruare, cum simus Romani. Et cõcurrit turba aduersus eos, ac magistratus, scißis uestibus suis, iusserunt eos uirgis cædi. Cumq; multas plagas eis imposuissent, coniecerunt eos in carcerem, præcipientes custodi carceris, ut diligenter custodiret eos. Qui cum tale præceptum accepißet, cõiecit eos in interiorem carcerem, & pedes eorum strinxit ligno. Media autẽ nocte Paulus & Silas orantes laudabant deũ. Exaudiebãt autem eos qui uincti erãt. Subito uero terræ motus factus est magnus, ita ut concuterentur fundamenta carceris. Et statim aperta sunt omnia ostia, & omnium uincula soluta sunt. Experrectus autem custos carceris, cum uideret ianuas apertas carceris, euaginato gladio erat seipsum interfecturus, existimans aufugiße uinctos. Clamauit autẽ Paulus uoce magna, dicens: Ne quid feceris tibi ipsi mali: uniuersi enim hic sumus. Postulatoq; lumine, irrupit ac tremefactus accidit Paulo & Silæ ad pedes: & productis illis foras, ait: Domini, quid me oportet facere, ut saluus fiam? At illi dixerunt: Crede in dominum Iesum, & saluus eris tu & domus tua. Et locuti sunt ei sermonẽ domini, & omnibus qui erãt in domo eius. Et aßumptis illis in illa hora noctis, abluit plagas, & baptizatus est ipse

2. Cor. 11

& &

& omnes domestici illius continuo. Cumq; perduxisset eos in domum suam, apposuit eis mensam, & exultauit, quod cum uniuersa domo sua credidisset deo. Et cũ dies ortus esset, miserunt magistratus uiatores, dicentes: Dimitte homines illos. Nunciauit autem custos carceris sermones hos Paulo: miserunt magistratus ut dimittamini. Nunc igitur excuntes, ite in pace. Paulus autem dixit eis: Cæsos nos publice, indicta causa, cum simus Romani, coniecerunt in carcerem, & nunc occulte nos eijciunt? Non profecto, sed ueniant ipsi, ac nos educant. Nunciauerunt autẽ magistratibus uiatores uerba hæc: timuerũtq; audito quod Romani essent, & uenientes deprecati sunt eos: & eductos rogabant, ut egrederentur è ciuitate. Egressi autem è carcere, introierunt ad Lydiam: & uisis fratribus, consolati sunt eos, & profecti sunt.

CAP. XVII

CVm aũt iter fecissẽt p Amphipolin et Apolloniã, uenerũt Thessalonicã, ubi erat synagoga Iudæorũ. Secũdũ cõsuetudinẽ aũt suã Paulus introiuit ad eos, etp sabbata tria disserebat eis è scripturis, adaperiẽs et allegãs, q; Christũ oportuisset pati & resurgere à mortuis: et q; hic esset Christus Iesus, quẽ ego, inqt, annũcio uobis. Et qdã ex eis crediderũt, et adiũcti sunt Paulo et Silæ, et religiosorũ Græcorum multitudo magna, mulieresq; primariæ Luc. 24

nõ paucæ. Zelo aũt cõmoti Iudæi increduli, & aßũptis q̃busdã circũforaneis uiris malis, ac turba coacta, concitauerunt ciuitatem, & urgentes domum Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Et cum non inuenissent eos, trahebant Iasonẽ & quosdam fratres ad principes ciuitatis, clamãtes: Hi qui terrarum orbem conturbarunt, huc quoq; uenerũt, quos clanculum excepit Iason: & hi omnes contra decreta Cæsaris faciunt, regem alium dicentes esse Iesum. Concitauerunt autem turbam, & magistratus ciuitatis, audientes hæc. Et accepta satisfactione ab Iasone, & à cæteris, dimiserũt eos. Fratres uero confestim per noctem emiserunt Paulũ simul & Silam in Berrhœam. Qui cum aduenissent, abierũt in synagogam Iudæorum. Hi autem erãt summo genere nati inter eos qui erãt Thessalonicæ, qui recepe rant sermonem cũ omni animi promptitudine, quotidie scrutantes scripturas, an hæc ita se haberẽt. Et multi quidẽ crediderunt ex eis, & Græcæ mulieres honestæ, & uiri non pauci. Cum autẽ cognouißent Thessalonicenses Iudæi, quod & Berrhœæ annunciatus esset à Paulo sermo dei, uenerũt, & illic quoque commouebant turbas. Statimq; tunc Paulũ emi serunt fratres, ut iret uelut ad mare. Silas autem & Timotheus remanserũt ibi. Porrò qui prosequebantur Paulũ, deduxerunt eum Athenas usq;: & accepta

pto mandato ad Silam ac Timotheum, ut quàm celerrime uenirent ad ſe, profecti ſunt. Paulus autem cum Athenis eos expectaret, incandeſcebat ſpiritus eius in ipſo, cum uideret ſimulacrorum cultui deditam ciuitatem. Diſputabat igitur in ſynagoga cum Iudæis & religioſis, & in foro quotidie cũ his qui ipſum fortè adißent. Quidã autẽ Epicurei & Stoici philoſophi conflictabantur cum eo, & quidam dicebant: Quid uult ſpermologus hic dicere? Alij uero, nouorum, inquiebant, dæmoniorum uidetur annunciator eſſe, quod Ieſum & reſurrectionem annunciaret eis. Et apprehenſum eum ad Martium ui cum duxerunt, dicentes: Poßumús ne ſcire, quæ ſit iſta noua, quæ à te refertur, doctrina? Noua enim quædam ingeris auribus noſtris. Volumus ergo ſcire, quid nam uelint hæc eſſe. Athenienſes autem omnes, & qui illic uerſabãtur hoſpites ad nihil aliud uacabant, niſi ad dicendum aut audiendum aliquid noui. Stans autem Paulus in medio Martij uici, ait: Viri Athenienſes, per omnia ferè ſuperſtitioſiores uos uideo. Præteriens enim & contemplans culturas ueſtras, inueni & aram, in qua inſcriptũ erat: Ignoto deo. Quem ergo ignorãtes colitis, hũc ego annuncio uobis. Deus qui fecit mundum, & omnia quæ in eo ſunt, hic cœli & terræ cum ſit dominus, non in manufactis templis habitat, nec manibus hu-

manis colitur, indigens aliquo, cũ ipſe det omnibus uitam & halitũ per omnia: fecitq; ex uno ſanguine omne genus hominum, ut inhabitaret ſuper uniuerſam faciem terræ: præfinijtq; præſtituta tempora, præfixitq; terminos habitationis eorum, ut quærerent deum, ſi forte palpẽt eum & inueniant, quãuis nõ longe abſit ab unoquoq; noſtrũ. Per ipſum enim uiuimus, & mouemur, & ſumus, ſicut & quidã ueſtratium poëtarũ dixerunt: Nam huius progenies etiam ſumus. Genus ergo cum ſimus dei, non debemus exiſtimare auro & argẽto, aut lapidi arte ſculpto, & inuento hominis, numen eſſe ſimile. Et tẽpora quidem huius ignorantiæ cũ hactenus diſſimularit deus, nunc annunciat hominibus, ut omnes ubiq; reſipiſcãt: eo quod ſtatuit diem, in quo iudicaturus eſt orbem terrarũ cum iuſtitia, per eum uirum, per quem decreuerat, fide præſtita omnibus, cum excitarit illum ex mortuis. Cum audiſſent autem reſurrectionem mortuorum, alij quidem irridebant, alij uero dixerunt: Audiemus te de hoc iterum. Sic Paulus exiuit è medio eorum. Quidam uero uiri adhærentes ei crediderunt, in quibus & Dionyſius Areopagita, & mulier nomine Damaris, alijq; cum eis.

CAP. XVIII

Post hæc Paulus digreſſus Athenis, uenit Corinthum, & nactus quendam Iudæum, nomine Aqui-

ne Aquilã Ponticum genere, qui nuper uenerat ab Italia, & Priſcillã uxorẽ eius, eo quod præcepiſſet Claudius, oẽs Iudæos Roma decedere: acceſsit ad eos: & quia eiuſdẽ erat artificij, manebat apud eos & operabatur. Erat aũt ars illorũ texere tabernacula. Diſputabat aũt in ſynagoga p omne ſabbatũ, ſuadebatq; Iudæis pariter & Græcis. Cũ ueniſſent aũt è Macedonia Silas & Timotheus, coartabatur ſpiritu Paulus, teſtificãs Iudæis, Chriſtũ eſſe Ieſum. Cõtradicentib. aũt eis, ac blaſphema loquẽtibus, excuſsis ueſtimentis, dixit ad eos: Sanguis ueſter ſuper caput ueſtrũ. Mundus ego poſthac ad gentes uadã. Et migrans inde, intrauit in domũ cuiuſdam, nomine Iuſti, colentis deũ, cuius domus erat contigua ſynagogæ. Criſpus autẽ archiſynagogus credidit domino cũ tota domo ſua, multiq; Corinthiorũ audiẽtes credebãt ac baptizabãtur. Dixit autẽ dominus nocte p uiſionẽ Paulo: Noli timere, ſed loquere, & ne taceas, propterea quod ego ſim tecum: & nemo adorietur te, ut affligat te: quoniã populus eſt mihi multus in hac ciuitate. Sedit autem ibi annũ & ſex menſes, docens eos ſermonẽ dei. Cæterum cum Gallio ageret proconſulem Achaiæ, inſurrexerũt uno animo Iudæi in Paulũ, & adduxerunt eũ ad tribunal, dicentes: Cõtra legem hic ſuadet homin. colere deũ. Cum autem Paulus iam pararet aperire os,

dixit Gallio ad Iudæos:Si qua iniuria eſſet,aut faci-
nus malum,ô Iudæi, merito uos ſuſtinerem : ſi uero
quæſtio eſt de ſermone ac nominib. & lege ueſtra
te,uoſipſi uideritis. Iudex enim ego horũ nolo eſſe.
Et abegit eos à tribunali . Apprehenſum autem o
mnes Græci Sosthenem principem ſynagogæ, per
cutiebant ante tribunal, neq; quicquam eorum Gal
lioni curæ erat.Paulus uero deinde cõmoratus dies
multos,ualedicto fratribus,abnauigauit in Syriam,
comitantibus eum Priſcilla & Aquila,poſteaquàm
raſerat caput in Cenchreis,habebat enim uotũ.De
uenitq; Epheſum, & illos ibi reliquit. Ipſe uero in
greſsus ſynagogam,diſputabat cum Iudæis. Rogan
tibus autẽ eis , ut tempore ampliori maneret apud
ſe:non annuit,ſed ualedixit illis,dicens: Oportet o
mnino me feſtum,quod inſtat agere Hieroſolymis,
ſed iterum reuertar ad uos , deo uolente . Et ſoluit
Epheſo,cumq; peruenisſet Cæſaream , aſcendisſetq;
& ſalutaſſet eccleſiam,deſcendit Antiochiã.Et cõ
moratus illic aliquantũ temporis,profectus eſt,per
ambulans ex ordine Galaticam regionem ac Phry
giam,cõfirmans omnes diſcipulos. Iudæus autẽ qui
dam Apollos nomine,Alexandrinus genere,uir elo
quens,deuenit Epheſum , potens in ſcripturis . Hic
erat inſtitutus in uia domini, & feruens ſpiritu lo
quebatur,et docebat diligẽter ea quæ ſunt domini,
ſciens

ſciens tantum baptiſma Ioannis. Et hic cœpit libere loqui in ſynagoga. Quem cum audiſſent Priſcilla & Aquila, aſſumpſerũt eum, atq; exactius expoſuerunt ei uiam dei. Cum autẽ uellet ire Achaiam, exhortati fratres ſcripſerunt diſcipulis, ut ſuſciperent eum. Qui cum ueniſſet, contulit multum his qui crediderũt per gratiam. Vehementer enim Iudæos reuincebat publice, oſtendens per ſcripturas, quod Ieſus eſſet Chriſtus.

CAP. XIX

FActum eſt autem cũ Apollos eſſet Corinthi, ut Paulus peragratis ſuperioribus partibus, ueniret Epheſum: & repertis quibuſdam diſcipulis, dixit ad eos: Num ſpiritum ſanctum accepiſtis poſtea quàm credidiſtis? At illi dixerunt ad eum: Imò neq; ſit ne ſpiritus ſanctus, audiuimus. Et ait ad illos: Quo ergo baptizati eſtis? At illi dixerunt: Ioannis baptiſmate. Dixit autem Paulus: Ioannes quidem baptizauit baptiſmo pœnitentiæ, populo loquens de eo, qui uenturus eſſet poſt ipſum, ut crederent, hoc eſt, de Chriſto Ieſu. His auditis baptizati ſunt in nomine domini Ieſu. Et cum impoſuiſſet illis manus Paulus, uenit ſpiritus ſanctus ſuper eos, & loquebantur linguis, & prophetabant. Erãt autem omnes uiri ferè duodecim. Introgreſſus autem ſynagogam, libere loquebatur ad tres menſes, diſputans & ſuadens de regno dei. Cum autem quidam

indurarentur, nec crederent, male loquentes de uia domini corã multitudine, digressus ab illis segregauit discipulos, quotidie disputans in schola Tyranni cuiusdam. Hoc autem factum est per biennĩ, ita ut omnes qui habitabant in Asia, audirent sermonẽ domini Iesu, Iudæi simul & Græci. Virtutesq; non uulgares ædebat deus per manus Pauli, ita ut etiã super infirmos deferrentur à corpore eius sudaria & semicinthia, & recederẽt ab eis morbi, & spiritus mali egrederentur. Tentauerũt autem quidam è circumeuntibus Iudæis exorcistis inuocare super eos, qui habebant spiritus malos, nomen domini Iesu, dicentes: Adiuramus uos per Iesum, quem Paulus prædicat. Erãt autem quidam filij Sceuæ Iudæi principis sacerdotum septem, qui hoc faciebant. Respõdens autem spiritus malus, dixit: Iesum noui, & Paulum scio, uos autem qui estis? Et insiliens in eos homo, in quo erat dæmonium malum, & dominatus eis, inualuit cõtra eos, ita ut nudi & uulnerati effugerent de domo illa. Hoc autẽ innotuit omnibus Iudæis simul & Græcis, qui habitabant Ephesi: & incidit timor super omnes illos, & magnificabatur nomen domini Iesu. Multiq; credentium ueniebant, confitentes & annunciantes facta sua. Multi autem ex eis, qui curiosas artes exercuerãt, comportatos libros exusserunt corã omnibus: & supputatis precijs illo-

eijs illorum, repererunt pecuniæ quinquaginta mi/
lia. Ita fortiter creſcebat ſermo dei & confirmaba/
tur. His autẽ expletis, propoſuit Paulus in ſpiritu,
tranſita Macedonia & Achaia, ire Hieroſolymam,
dicens: Poſtquàm fuero ibi, oportet me & Romam
uidere. Miſsis autem in Macedoniam duobus ex his
qui miniſtrabant ſibi, uidelicet Timotheo & Era/
ſto, ipſe remanſit ad tempus in Aſia. Ortus eſt au/
tem illo tempore tumultus non exiguus de illa uia.
Nam quidam nomine Demetrius, faber argentari/
us, qui faciebat delubra argentea Dianæ, præſtabat
artificib. nõ exiguũ quæſtũ: quibus cõuocatis, et his
qui ſimiliũ rerũ erãt opifices, dixit: Viri, ſcitis quod
ex hoc opificio quæſtus nobis eſt, & uidetis & au/
ditis, quod non ſolum in Epheſina ciuitate, ſed penè
per totã Aſiã Paulus hic perſuaſit et auertit multã
turbam, dicens, quod non ſint dij, qui manibus fiãt.
Non ſolum aũt hæc pars nobis in periculum uenit,
ne reprobetur, uerumetiam ne magnæ deæ Dianæ
templum pro nihilo habeatur: futurũq; ſit, ut etiam
deſtruatur maieſtas eius, quã tota Aſia & orbis co
lit. His auditis, repleti ſunt ira, & exclamauerũt, di
centes: Magna Diana Epheſiorũ. Et impleta eſt ci-
uitas tota cõfuſione, & impetũ fecerunt uno animo
in theatrũ, correpto Gaio & Ariſtarcho Macedo/
nibus, comitibus Pauli. Paulo autem uolẽte intrare
ad po/

ad populum, non permiserunt discipuli. Quidã autem & ex Asiæ primoribus, qui erant amici eius, miserũt ad eum, rogantes, ne se daret in theatrum. Alij quidem igitur aliud clamabant. Erat enim concio confusa, & pleriq; nesciebant qua ex causa conuenissent. De turba autem protraxerunt Alexandrum, propellẽtibus eum Iudæis. Alexander autem manu silentio postulato, uolebat rationem reddere populo. Quem ut cognouerũt Iudæum esse, uox orta est una omnium fermè ad horas duas clamantiũ: Magna Diana Ephesiorum. Cum autẽ sedasset scriba turbam, dixit: Viri Ephesij, quis enim est hominum, qui nesciat Ephesiorũ ciuitatẽ cultricem esse magnæ deæ Dianæ, & à Ioue delapsi simulacris? Cum igitur his nemo contradicat, oportet uos sedatos eße, & nihil præcipitanter agere. Adduxistis enim homines istos, neq; sacrilegos, neq; cõtumelios os in deam uestram. Quod si Demetrius & qui cum eo sunt artifices, habent aduersus aliquem causam, cõuentus forenses agũtur, & proconsules sunt, accusent inuicem. Si quid autem de rebus alijs quæritis, in legitima concione dirimetur. Nam periculum est, ne seditionis hodiernæ, rei fiamus, cum nulla subsit causa, unde poterimus reddere rationem concursus istius. Et cum hæc dixißet, dimisit concionem.

Postquàm

CAP. XX

POstquàm autem ceſſauit tumultus,uocatis ad ſe Paulus diſcipulis,complexusq; illos,profectus eſt,ut iret in Macedoniam. Cum autem perambulaßet partes illas, & exhortatus eos fuiſſet multo ſermone,uenit in Græciam:& ibi peractis menſibus tribus,cum eſſent illi ſtructæ inſidiæ à Iudæis ſoluturo in Syriam, habebat in animo, ut reuerteretur per Macedoniam. Comitatus eſt autem eũ uſq; ad Aſiam Sopater Berrhœenſis, Theſſalonicenſium uero Ariſtarchus,& Secundus,& Gaius Derbæus, ac Timotheus: Aſiani uero Tychicus & Trophimus.Hi cum præceßißent, expectarunt nos Troade:nos uero abnauigauimus poſt dies azymorũ à Philippis, & uenimus ad eos Troadem intra dies quinq;,ubi demorati ſumus diebus ſeptem.Vno autem die ſabbatorum, cum conuenißent diſcipuli ad frangendum panem,Paulus diſſerebat eis,profecturus poſtridie, protraxitq; ſermonẽ uſq; in mediam noctem. Erant autem lucernæ multæ in cœnaculo, ubi eramus congregati.Sedens autem quidam adoleſcens nomine Eutychus in feneſtra,cum degraueretur ſomno profundo,diſſerente diu Paulo, magis depreßus ſomno, decidit ex tertio cœnaculo deorſum,& ſublatus eſt mortuus. Cum deſcendißet aũt Paulus,incubuit ſuper eũ,& cõplexus dixit:Nolite

turbari

turbari,anima enim eius in ipso est. Cum ascēdisset autem,fregisset́q; panem, ac degustaßet, diu colloquutus usq; ad diluculum,ita demū profectus est. Adduxerūt autem puerū uiuentem, & refocillati sunt non mediocriter. Nos autem conscensa naui solui/mus Asson,inde excepturi Paulum.Sic enim ordinauerat ipse per terram iter facturus. Cū autem conuenißemus Asson,recepto eo uenimus in Mitylenē. Et inde nauigantes, sequenti die uenimus contra Chium.Postridie uero appulimus Samum,& commorati Trogyllij, proximo die uenimus in Miletū: proposuerat enim Paulus præternauigare Ephesum,ne tempus tereret in Asia. Festinabat enim, si poßibile sibi esset,ut diem Pentecostes ageret Hierosolymis. A Mileto autem mißis Ephesum nūcijs, accersiuit presbyteros ecclesiæ: qui cum peruenissent ad ipsum, dixit eis: Vos scitis à primo die quo ingressus sum Asiam,quomodo uobiscum per omne tempus fuerim,seruiens domino cū omni animi humilitate:cumq; multis lachrymis & tentationibus, quæ mihi acciderunt ex insidijs Iudæorum: ut nihil suffugerim eorum quæ essent in rem uestram, quin annunciarem uobis,& docerem uos publice ac per singulas domos, testificans Iudæis simul & Græcis eam quæ erga deum est,pœnitentiam ac fidem,quæ est erga dominum nostrum Iesum. Et nūc ecce ego

alliga

alligatus ſpiritu, proficiſcor Hieroſolymam, quæ in ea obuentura ſint mihi ignorans, niſi quod ſpiritus ſanctus per ſingulas ciuitates teſtificatur, dicens, quod uincula & afflictiones me manent. Verum nihil me mouet: neque uita mea chara eſt mihi ipſi, ut conſummem curſum meum cum gaudio, & miniſterium quod accepi à domino Ieſu ad teſtificandum Euangelium gratiæ dei. Et nũc ecce ego ſcio, quod poſthac non uidebitis faciem meam uos omnes, per quos tranſiui, prædicans regnum dei. Quapropter conteſtor uos hodierno die, quod mundus ego ſum à ſanguine omnium. Nõ enim ſubterfugi, quo minus annunciarim omne conſiliũ dei uobis. Attendite igitur uobis & cuncto gregi, in quo uos ſpiritus ſanctus poſuit epiſcopos ad regẽdum eccleſiã dei, quã acquiſiuit ſanguine ſuo. Ego enim noui hoc, quod ingreſſuri ſint poſt diſceſſum meũ lupi graues in uos, non parcentes gregi. Et ex uobiſipſis exorientur uiri, loquentes peruerſa, ut abducant diſcipulos poſt ſe, propter quod uigilate memores, quod per trienniũ nocte & die nõ ceßauerim cũ lachrymis monere unũquẽq;. Et nũc cõmẽdo uos fratres deo, & ſermoni gratiæ ipſius, qui potens eſt ſuperſtruere & dare uobis hæreditatem inter ſanctificatos oẽs. Argentum & aurũ, aut ueſtem nullius cõcupiui, imò ipſi ſcitis, quod neceßitatibus meis, & his qui mecũ ſunt 2. Cor. 11

ſunt,ſuppeditauerunt manus hæ.Omnia oſtendi uo/bis,quod ſic laborantes oportet ſuſcipere infirmos: ac meminiſſe uerborum domini Ieſu, quoniã ipſe di xit:Beatum eſt dare potius quàm accipere.Et cum hæc dixiſſet,poſitis genibus ſuis, orauit cum omni/bus illis.Magnus autem fletus coortus eſt omnium, & ruentes in collum Pauli,oſculabãtur eum dolen/tes:maxime ob ſermonem quem dixerat,quod am/plius faciem eius nõ eßent uiſuri. Et deducebant eũ ad nauem.

CAP. XXI

CVm autem factum eßet,ut ſoluiſſemus auulſi ab eis,recto curſu uenimus Coum:& ſequen ti die,Rhodum,& inde Pataram . Et nacti nauem, quæ traijceret in Phœnicen,ea conſcenſa ſoluimus. Cum autem cœpiſſet nobis apparere Cyprus, reli/cta ea ad ſiniſtram nauigauimus in Syriam ac ueni mus Tyrũ:nam huc nauis exponebat onus. Reper/tisq; diſcipulis,manſimus ibidem diebus ſeptẽ: Qui Paulo dicebant per ſpiritum, ne aſcenderet Hiero/ſolymam.Et expletis diebus,profecti ibamus,dedu/centibus nos omnibus unà cum uxoribus & filijs, donec exiſſemus ciuitatem:& poſitis genibus in lit tore,precati ſumus. Et conſalutatis nobis inuicem, conſcendimus nauim,illi autẽ redierunt ad ſua.Nos uero nauigatione explicita à Tyro, deſcendimus Ptolemaidam: & ſalutatis fratribus, manſimus diem

diem unum cum illis. Postridie uero nos qui eramus cum Paulo, uenimus Cæsaream. Et ingressi domum Philippi euangelistæ, qui erat unus è septem, mansimus apud eum. Huic autem erant quatuor filiæ uirgines prophetantes. Et cum permaneremus dies cõplures, aduenit quidam à Iudæa propheta, nomine Agabus. Is cum uenisset ad nos, tulit cingulum Pauli, & alligans sibi pedes ac manus, dixit: Hæc dicit spiritus sanctus: Virum cuius est cingulum hoc, sic alligabunt Hierosolymæ Iudæi, tradentq; in manus gentium. Cum autẽ audissemus hæc, rogabamus & nos, & cæteri qui loci illius erant, ne ascenderet Hierosolymam. Tunc respondit Paulus, ac dixit: Quid facitis flentes & affligentes cor meum? Ego uero nõ solum uinciri, sed & mori paratus sum Hierosolymis pro nomine domini Iesu. Cum uero illi non persuaderetur, acquieuimus, dicentes: Domini uoluntas fiat. Post dies autem istos sublatis sarcinis, conscendebamus Hierosolymam. Venerunt autem unà quidam ex discipulis à Cæsarea nobiscum, adducentes secum, apud quem hospitaremur, Mnasonem quendam Cyprium, antiquum discipulum. Et cum uenissemus Hierosolymam, libenter exceperunt nos fratres. Postero autem die introibat Paulus nobiscum ad Iacobum, omnesq; conuenerunt presbyteri. Quos cũ salutasset, narrabat per singula quæ deus fecisset

inter gentes per ministerium ipsius. At illi cum audissent, glorificabant dominum, dixeruntq; ei: Vides frater, quot milia sunt Iudæorum qui crediderũt, & omnes studiosi sectatores sunt legis. Audierunt autẽ de te, quod defectionẽ doceas à Mose omnes qui inter gentes sunt Iudæos, dicens, nõ debere eos circuncidere filios, neq; secundum instituta uiuere. Quid est ergo? omnino oportet conuenire multitudinem. Audient enim te uenisse. Hoc ergo fac quod tibi dicimus. Sunt nobis uiri quatuor, uotum habentes super se. His assumptis, purifica te cum illis, & impende super illis, ut radant capita, et scient omnes, quod quæ de te audierunt nihil sunt, sed ambulas & ipse custodiens legem. De his autem qui crediderunt ex gentibus nos scripsimus, decernentes, ne quid huiusmodi obseruent, nisi ut caueant & ab his quæ sunt immolata simulacris, & à sanguine, & suffocato, & scortatione. Tunc Paulus assumptis uiris, postero die purificatus cum illis intrauit in templum, annuncians expletionem dierum purificationis, donec offerretur pro unoquoque eorum oblatio. Dum autem septem dies iam penè essent expleti, hi qui ab Asia erant Iudæi, cum uidissent eum in templo, conturbarunt totum populum, & iniecerunt ei manus, clamantes: Viri Israëlitæ, succurrite. Hic est ille homo qui aduersus populum & legem, & locum hunc om-

nes

nes ubique docet,insuper & Græcos induxit in tem plum,& prophanauit ſanctum locũ hunc. Viderant enim Trophimum Epheſium in ciuitate cum ipſo, quem exiſtimauerunt quod in templum introduxiſ ſet Paulus. Commotáque eſt ciuitas tota, & factus eſt concurſus populi.Et apprehenſum Paulum,pro trahebant é templo, ſtatimq; clauſæ ſunt fores. Quæ rentibus autem illis eum occidere,nunciatum eſt tri buno cohortis, quod tota conturbata eſſet Hieroſo lyma. Qui ſtatim aſſumptis militibus ac centurioni bus decucurrit ad illos. At illi cum uidiſſent tribu num ac milites, ceſſauerunt percutere Paulũ. Tunc accedens tribunus, apprehendit eum, & iußit alli gari catenis duabus, & interrogabat, quis nam eſ ſet, & quid feciſſet. Alij autem aliud clamabant in turba. Et cum non poſſet certum cognoſcere præ tu multu, iußit duci eum in caſtra. Et cum ueniſſet ad gradus, contigit ut portaretur à militibus propter uiolentiam turbæ.Sequebatur enim multitudo popu li clamans, tolle eum. Et cum cœpiſſet induci in ca ſtra Paulus,dicit tribuno:Licét ne mihi loqui ad te? Qui dixit:Græce noſti?Nónne tu es ille Aegyptius, qui ante hos dies tumultum concitaſti,& eduxiſti in deſertum quatuor milia uirorum ſicariorum? Dixit autẽ Paulus:Ego ſum homo quidem Iudæus Tarſen ſis,non obſcuræ Cilicum ciuitatis ciuis.Rogo aũt te,

permitte mihi loqui ad populum. Et cum ille permi/siſſet, Paulus ſtans in gradibus, annuit manu ad ple-bem, & magno ſilentio facto, allocutus eſt lingua Hebræa, dicens. CAP. XXII

VIri fratres & patres, audite meam, qua nunc apud uos utor, excuſationem. Cum audiſſent autem, quod Hebræa lingua ſibi loqueretur, magis præſtiterunt ſilentium. Et dicit: Ego quidem ſum uir Iudæus, natus in Tarſo Ciliciæ, cæterum educatus in hac ciuitate ad pedes Gamalielis, inſtitutus accurate in patria lege, ſectator dei, ſicut & uos omnes eſtis hodie, qui hanc uiam perſecutus ſum uſq; ad mortẽ, alligans ac tradens in carceres uiros pariter ac mu lieres, ſicut & princeps ſacerdotum mihi teſtis eſt, & totus ſeniorum ordo, à quibus etiam epiſtolis ad fratres acceptis, Damaſcum pergebam, adducturus & illos qui illic eſſent uinctos Hieroſolymam, ut pu nirentur. Accidit autem mihi iter facienti & appro/pinquanti Damaſco circiter meridiem, ut ſubito de cœlo circunfulguraret me lux multa, cecidiq; in ſo/lum, & audiui uocem dicentem mihi: Saul, Saul, quid me perſequeris: Ego uero reſpondi: Quis es domine? Dixitq; ad me: Ego ſum Ieſus ille Nazarenus, quem tu perſequeris. Et qui mecum erant, lumen quidem uiderunt, & exterriti ſunt, uocem autem non audie/runt eius qui loquebatur mecum. Dicebam autem:

Quid faciam domine? Dominus autẽ dixit mihi: Surge, ac uade Damaſcũ, & ibi tibi dicetur de omnibus quæ ordinata ſunt tibi ut facias. Et cum non uiderem præ gloria luminis illius, per manum deductus à comitibus qui erant mecum, ueni Damaſcum. Ananias autem quidam uir pius, ſecundum legem teſtimonio probatus omnium illic habitantium Iudæorum ueniens ad me, & aſtans, dixit mihi: Saul frater, recipe uiſum. Et ego eadem hora recepto uiſu, uidi illum. At ille dixit: Deus patrum noſtrorum præparauit te, ut cognoſceres uoluntatẽ ſuam, & uideres id quod iuſtum eſt, & audires uocem ex ore eius, quia eris teſtis illi apud omnes homines, eorum quæ uidiſti & audiſti. Et nunc quid contaris? Exurge & baptizare, & ablue peccata tua, inuocato nomine domini. Factum eſt aũt, cum eſſem reuerſus Hieroſolymam, & orarem in templo, ut raperer extra me, & uiderem eum dicentẽ mihi: Feſtina & exi uelociter Hieroſolymis, quoniam nõ recipient teſtimonium tuum de me. Et ego dixi: Domine, ipſi ſciunt, quod ego pertrahebam in carcerem, & cædebam in ſingulis ſynagogis eos qui credebant in te. Et cum funderetur ſanguis Stephani teſtis tui, ego quoq; aßiſtebam & aſſentiebar morti illius, & cuſtodiebam ueſtimenta interficientium illum. Et dixit ad me: Vade quoniam ego ad gentes procul mittam te. Audiebant autem

eum usq; ad hoc uerbum. Atq; sublatis uocibus, dicebant: Tolle de terra hominem istiusmodi: non enim fas est eum uiuere. Vociferantibus autem eis, & proijcientibus uestimenta, & puluerem iactantibus in aërem, iussit tribunus induci eum in castra, & imperauit eum flagris examinari, ut sciret propter quam causam sic acclamarent ei. Et cum astrinxisset eum loris, dixit astanti sibi centurioni Paulus: Num hominem Romanum & indemnatum licet uobis flagellare? Quo audito, centurio accessit ad tribunum & nunciauit ei, dicens: Quid facturus es? Hic enim homo Romanus est. Accedens autẽ tribunus, dixit illi: Dic mihi: num tu Romanus es? At ille dixit: Etiam. Et respondit tribunus: Ego multa summa ciuitatem istam comparaui. At Paulus ait: Ego uero & natus sum. Protinus ergo discesserunt ab illo, qui eum fuerant examinaturi. Tribunus quoq; timuit postquàm resciuit, quod Romanus esset & quod uinxisset eum. Postero autem die uolens scire certum, qua ex causa accusaretur à Iudæis, soluit eum à uinculis, & iussit principes sacerdotum conuenire, totumq; concilium, ac deductum Paulum sistebat coram illis.

CAPVT XXIII

INtentis autem oculis in concilium, Paulus ait: Viri fratres, ego omni conscientia bona cõuersatus sum coram deo usque in hodiernum diem. Princeps autem

autem ſacerdotum Ananias præcepit aſtantibus ſi/
bi,ut percuterent os eius. Tũc Paulus dixit ad eum:
Percuſſurus eſt te deus, paries dealbate. Et tu ſedes
iudicans me ſecundũ legem, & contra legem iubes
me percuti? Et qui aſtabant,dixerunt:Summo ſacer/
doti dei maledicis? Dixit autem Paulus: Neſciebam
fratres,quod pontifex eſſet.Scriptum eſt enim: Prin/ Exod.22
cipi populi tui non maledices.Sciens autem Paulus,
quod una pars eſſet Sadducæorum,& altera phari/
ſæorum,exclamauit in cõcilio:Viri fratres,ego pha/ Philip.3
riſæus ſum, filius phariſæi: de ſpe & reſurrectione
mortuorum ego iudicor. Et cum hoc dixiſſet, facta
eſt diſſenſio inter phariſæos ac Sadducæos, & diſ/
ſecta eſt multitudo. Nam Sadducæi quidem dicunt, Matth.22
non eſſe reſurrectionem, neque angelum, neque ſpi/
ritum: Phariſæi autem utraque confitentur. Factus
eſt autem clamor magnus: & cum ſurrexiſſent ſcri/
bæ de factione phariſæorum,depugnabant,dicentes:
Nihil mali inuenimus in homine iſto. Quod ſi ſpiri/
tus locutus eſt ei aut angelus, ne repugnemus deo.
Et cum magna ſeditio coorta eſſet,ueritus tribunus,
ne diſcerperetur Paulus ab ipſis,iußit milites deſcen
dere & rapere eum de medio eorum, ac deducere
eum in caſtra. Sequenti autem nocte aßiſtens ei do/
minus,ait:Bono animo eſto Paule. Vt enim teſtifica/
tus es de me Hieroſolymis, ſic te oportet & Romæ

testificari. Facto autẽ die, collegerunt se quidam ex Iudæis, & deuouerunt se, dicentes, neq; esuros se, neque bibituros, donec occiderent Paulum. Erant autẽ plures quàm quadraginta uiri qui hanc coniurationem fecerant. Qui accesserunt ad principes sacerdotum ac seniores, & dixerunt: Deuotione deuouimus nosipsos, nihil gustaturos, donec occidamus Paulum. Nunc ergo uos significate tribuno & cõcilio, ut cras producat illum ad nos, tanquam aliquid certius cognituros de eo. Nos uero priusquam appropinquet, parati sumus interficere illum. Cum autem audisset filius sororis Pauli insidias, uenit & intrauit in castra, nunciauitq; Paulo. Accersito autem Paulus ad se uno ex centurionibus, ait: Adolescentem hunc adduc ad tribunum. Habet enim quod renunciet illi. Et ille quidem assumens eum, duxit ad tribunũ, & ait: Vinctus Paulus accersitum me rogauit, ut hunc adolescentem perducerem ad te, habentẽ aliquid quod loquatur tibi. Apprehensa autem tribunus manu illius, secessit cũ eo seorsum, & percontatus est illum: Quid est quod habes significandum mihi? Ille autem dixit: Iudæi conspirarunt ut rogarent te, uti crastino die educeres Paulum in concilium, quasi aliquid certius inquisituri sint de illo: tu uero ne morem gesseris illis. Insidiantur enim ei ex eis uiri plures quadraginta, qui seipsos deuouerunt, ne uel edant, uel bibant,

bibant,donec interficiant eum: & nunc parati sunt expectantes, ut promittas. Tribunus igitur dimisit adolescentem,præcepitq; ei,ne cui effutias,inquiens, quod hæc indicaueris mihi. Et accersitis duobus quibusdam centurionibus, dixit: Parate milites ducentos,ut eant Cæsareã,& equites septuaginta,& lancearios ducentos, à tertia hora noctis, & iumenta præbete,ut impositum Paulum,saluũ perducant ad Felicem præsidem, scriptis literis in hanc formam: Claudius Lysias potentißimo præsidi Felici salutem. Virum hunc comprehensum à Iudæis, cum iam esset interficiendus ab eis,superueniens cum exercitu,eripui:cognito quod Romanus esset. Volensq; scire causam,ob quam accusarent illum,deduxi eum in concilium eorum. Quem comperi accusari de quæstionibus legis ipsorum, nullum dignum morte aut uinculis habentem crimẽ. Et cum indicatum esset mihi de insidijs,quas parauerãt illi Iudæi, protinus misi eum ad te,præcepto dato etiam accusatoribus,ut quæ habent aduersus eum,dicant apud te. Vale. Milites uero iuxta quod sibi iniunctum erat, receptũ Paulum duxerunt per noctem Antipatridem. Postero autem die dimißis equitibus,ut cum eo irent,reuersi sunt in castra. Qui cum uenissent Cæsaream,ac tradidissent epistolam præsidi,statuerunt coram eo & Paulum. Cum legisset autem præses, & interrogasset ex qua

prouincia esset,& cognouisset quod ex Cilicia: Audiam te,inquit,cum accusatores quoque tui aduenerint. Iussitq; in prætorio Herodis custodiri eum.

CAPVT XXIIII

Post quinq; autem dies descendit princeps sacerdotum Ananias cum senioribus & Tertullo quodam oratore, qui adierunt præsidem contra Paulum. Et citato Paulo, cœpit accusare Tertullus, dicens: Cum in multa pace agamus per te, & multa recte gerantur in populo hoc per tuam prouidentiam,& semper & ubiq; comprobamus, præstantissime Felix,cum omni gratiarum actione. Sed ne diutius te detineam,oro te ut audias nos paucis pro tua humanitate. Nacti enim sumus uirum hunc pestiferum,& concitantem seditionem omnibus Iudæis in uniuerso orbe,& autorem sectæ Nazarenorum, qui etiam templum prophanare conatus est, quem & apprehensum uoluimus secundum legem nostram iudicare. Sed superueniens tribunus Lysias, cum magna ui eripuit eum è manibus nostris,iubens accusatores eius ad te uenire, ex quo poteris ipse inquisitione facta de omnibus istis cognoscere, de quibus nos accusamus eum. Adiecerunt autem & Iudæi, dicentes, hæc ita se habere. Respondit autem Paulus, cum annuisset ipse præses, ut diceret: Acquiore animo pro me ipso causam dico, cum sciam te multis

iam

iam annis iudicem fuisse genti huic, qui possis cognoscere, quod non plures sunt mihi dies, quàm duodecim, ex quo ascendi adoraturus Hierosolymam, & neque in templo compererunt me cum aliquo disputantem, aut concursum facientem turbæ, neq; in synagogis, neq; in ciuitate, neque probare possunt ea de quibus me accusant. Confiteor autem hoc tibi, quod iuxta uiam, quam uocant hæresim, sic colo patrium deũ, credens omnibus quæ in lege & prophetis scripta sunt, spem habens in deum, fore, quam & hi ipsi expectant, resurrectionem mortuorum iustorum simul & iniustorum. Quin in hoc & ipse studeo sine offendiculo cõscientiam habere erga deum, & erga homines semper. Post annos autẽ plures acceßi, eleemosynas exhibiturus in gentem meam, & oblationes, in quibus compererunt me purificatum in templo, haud cum turba, neq; cũ tumultu. Quidam autẽ ex Asia Iudæi, quos oportebat apud te præsto esse et accusare, si quid haberent aduersum me: aut hi ipsi dicant, siquid deprehenderunt in me iniquitatis, cum stem in concilio: nisi de una hac uoce, qua clamaui inter eos stans: De resurrectione mortuorum ego iudicor hodie à uobis. Auditis autem his, Felix distulit illos, certo sciens quæ ad eam uiam attinebant, dicens: Cum tribunus Lysias descenderit, pernoscam causam uestram. Iußitq; centurioni, ut custodiret

Paulũ,

Paulum,sineretq; eum relaxari,& ne quem ex illius familiaribus uetaret subministrare ei,aut adire eum. Post aliquot aũt dies cum aduenisset Felix cum Drusilla uxore sua, quæ erat Iudæa, accersiuit Paulum, & audiuit ab eo fidem,quæ est in Christũ.Disputante autem illo de iusticia & temperantia & de iudicio futuro,tremefactus Felix respondit: In præsentia abi,cæterum opportunitatem nactus accersam te, simul & illud sperans, fore ut pecunia sibi daretur à Paulo,ut solueret ipsum, propter quod & frequenter accersens eum,loquebatur cum eo. Biennio autẽ expleto,accepit successorem Felix Portium Festum. Volens autem gratiam præstare Iudæis Felix, reliquit Paulum uinctum.

CAPVT XXV

FEstus ergo suscepta prouincia,post triduum ascendit Hierosolymam ab urbe Cæsarea.Significaruntq; illi princeps sacerdotũ ac primores Iudæorum de Paulo,& rogabant eum,postulantes fauorẽ aduersus eum,ut accerseret eum Hierosolymam,insidias tendentes,ut interficerẽt eum in uia. Festus autem respondit,ut seruaretur quidẽ Paulus Cæsareæ, se uero breui illò profecturum. Qui ergo inter uos, inquit,potentes sunt,unà nobiscum descendant,& si quod est in hoc uiro crimen,accusent eum.Demoratus autem inter eos diebus amplius quàm decem,descendit

ſcendit Cæſaream,& poſtero die ſedit pro tribunali,iußitq; Paulum adduci. Qui cum perductus eſſet, circumſteterunt eum qui ab Hieroſolymis deſcenderant Iudæi, multa & grauia cruimina intendentes aduerſus Paulum,quæ non poterant probare,Paulo pro ſe reſpondente, quod neq; in legem Iudæorum, neq; in templum, neq; in Cæſarem quicquã peccaſſet. Feſtus autem uolens gratificari Iudæis, reſpondens Paulo dixit: Vis Hieroſolymam aſcendere, & ibi de his iudicari apud me? Dixit autem Paulus: Ad tribunal Cæſaris ſto,ubi me oportet iudicari. Iudæis nullam iniuriam feci,ſicut & tu melius noſti. Si enim nocui,aut dignum morte aliquid feci, non recuſo mori. Si uero nihil eſt eorum,de quibus hi accuſant me, nemo poteſt me illis donare. Cæſarem appello. Tunc Feſtus cum conſilio collocutus, reſpondit: Cæſarem appellaſti? Ad Cæſarẽ ibis. Et cũ dies aliquot tranſacti eſſent, Agrippa rex & Bernice deſcenderũt Cæſaream ſalutaturi Feſtum. Et cũ dies complures ibi commorarentur, Feſtus regi retulit cauſam Pauli,dicens: Vir quidam eſt relictus à Felice uinctus,de quo cũ ueniſſem Hieroſolymam,ſignificarunt mihi principes ſacerdotum & ſeniores Iudæorum, poſtulantes aduerſus illum ſententiam. Quibus reſpondi: Nõ eſt Romanis cõſuetudo ob gratiam donare aliquem hominem,ut pereat priuſquàm is qui accuſatur,præſentes

sentes habeat accusatores, locumq; defendendi accipiat de crimine. Cum ergo huc conuenissent, sine ulla dilatione, sequenti die sedens pro tribunali, iussi adduci uirum. De quo cum stetissent accusatores, nullum crimen intendebant super hisce rebus, de quibus ego suspicabar, sed quæstiones quasdam de sua superstitione habebant aduersus eum, & de quodam Iesu defuncto, quem affirmabat Paulus uiuere. Hæsitans autem ego de huiusmodi quæstione, dicebam: num uellet ire Hierosolymam, & ibi iudicari super istis. Paulus aũt cum appellasset, ut seruaretur Augusti cognitioni, iussi seruari eum, donec mitterem eum ad Cæsarem. Agrippa autem dixit ad Festum: Volebam & ipse hominem audire: Cras, inquit, audies eum. Postero autem die cum uenisset Agrippa & Bernice cũ multo apparatu, & introissent in auditorium cum tribunis & uiris principalibus ciuitatis, iubente Festo adductus est Paulus. Et dicit Festus: Agrippa rex, & omnes qui simul adestis nobiscum uiri, uidetis hunc hominem, de quo omnis multitudo Iudæorũ interpellauit me, & Hierosolymis & hic: acclamantes nõ oportere eum uiuere amplius. Ego uero comperi nihil dignum morte eum admisisse. Cæterum cum is ipse appellasset Augustum, statui mittere eum. De quo quid certum scribam domino, non habeo. Quapropter produxi eum ad uos, & maxi-

me

me ad te rex Agrippa,ut examinatione facta, habe/ am quod ſcribam.Iniquum enim mihi uidetur mitte/ re uinctum, & crimina de quibus accuſatur, non ſi/ gnificare.

CAPVT XXVI

AGrippa uero ad Paulum ait: Permittitur ti/ bi loqui pro temetipſo. Tunc Paulus exten/ ta manu pro ſe dicebat:Super omnibus de quibus ac cuſor à Iudæis, rex Agrippa,exiſtimo me beatũ, qui cauſam dicturus ſim apud te hodie : cum tu maxime ſis gnarus earum,quæ apud Iudæos ſunt, & conſue/ tudinum, & quæſtionum. Quapropter obſecro te, ut patienter me audias.Itaque uitam quidem meam, quam egi ab adoleſcentia, quæ ab initio fuit in gen/ te mea Hieroſolymis,nouerunt omnes Iudæi:qui pri us nouerant me ab initio, ſi uelint teſtimonium fer/ re , quod ſecundum exquiſitiſſimam ſectam noſtræ religionis,uixerim phariſæus. Et nunc fretus ſpe re/ promiſſionis, quæ ad patres noſtros facta eſt à deo, ſto iudicio ſubiectus, ad quam duodecim tribus no/ ſtræ inſtanter nocte & die colentes deum , ſperant ſe per uenturas.De qua ſpe accuſor,rex Agrippa, à Iudæis , Cur incredibile iudicatur apud uos , ſi deus mortuos ſuſcitat? Et ego quidẽ exiſtimabam me ad/ uerſus nomẽ Ieſu Nazareni multa repugnando factu rum,quod & feci Hieroſolymis. Et multos ſanctorũ

ego

ego carceribus incluſi,à principibus ſacerdotum po teſtate accepta:& cum occiderentur, detuli ſenten/ tiam. Et per omnes ſynagogas frequenter puniens eos,cõpellebam blaſphemare: & amplius inſaniens in eos, perſequebar etiam in exteras uſq; ciuitates. Quarum rerum ſtudio cum irem Damaſcũ,cum au/ toritate & permißu principum ſacerdotum:die me/ dio,rex,in uia uidi è cœlo ſupra ſplendorem ſolis,cir cunfulſiſſe me lumen,& eos qui mecũ faciebant iter. Cum autem omnes nos decidiſſemus in terram,audi ui uocem loquentem ad me, ac dicentem Hebraica lingua:Saul,Saul,quid me perſequeris?Durum eſt ti bi contra ſtimulos calcitrare.Ego autem dixi: Quis es domine?At ille dixit:Ego ſum Ieſus, quem tu per ſequeris.Sed exurge et ſta ſuper pedes tuos.Ad hoc enim apparui tibi,ut conſtituam te miniſtrum,ac te/ ſtem,& eorum quæ uidiſti,& eorum in quibus ap/ parebo tibi:eripiẽs te à populo & gentibus,in quas nunc te mitto,ut aperias oculos eorum,ut cõuertan/ tur à tenebris ad lucem, & à poteſtate ſatanæ ad deum:ut accipiant remißionem peccatorum,& ſor/ tem inter eos,qui ſanctificati ſunt per fidem quæ eſt erga me.Vnde rex Agrippa,non fui inobediens cœ/ leſti uiſioni:ſed his qui ſunt Damaſci primũ & Hie/ roſolymis, & per omnem regionem Iudææ: deinde & gentibus annunciabam,ut pœnitentiam agerent,

& conuerterentur ad deum, opera facientes digna his qui resipuissent. Hac ex causa Iudæi me in templo comprehensum tentauerunt interficere. Auxilium igitur nactus dei, usque in hodiernum diem sto, testificans tum paruo, tum magno: nihil aliud dicēs, quàm ea quæ prophetæ prædixerant futura esse, & Moses: an passurus fuerit Christus, an primus ex resurrectione mortuorum lumen annunciaturus sit populo & gentibus. Hæc aũt cũ pro se diceret, Festus magna uoce ait: Insanis Paule. Multæ te literæ ad insaniam conuertunt. Et Paulus: Non insanio, inquit, optime Feste, sed ueritatis & sobrietatis uerba eloquor. Scit enim de his rex, apud quem & libere loquor. Latere enim eum nihil horum arbitror. Neque enim hoc in angulo gestum est. Credis rex Agrippa prophetis? Scio quod credis. Agrippa autem ad Paulũ ait: Modica ex parte persuades mihi, ut fiam Christianus. Et Paulus ait: Optarim à deo, nõ solum modica ex parte, uerumetiam magna: non te modo, sed omnes etiam, qui me audiunt hodie, esse tales, qualis ego sum, exceptis uinculis his. Et hæc eo locuto, surrexit rex ac præses, & Bernice, & qui assidebãt eis. Et cum secessissent, loquebantur inter se, dicentes: Nihil morte aut uinculis dignum facit homo iste. Agrippa autem Festo dixit: Dimitti poterat homo hic, si non appellasset Cæsarem.

C CAP.

CAPVT XXVII

POstquam autem decretum est, ut nos nauigaremus in Italiam, tradiderunt & Paulum, & quosdam alios uinctos centurioni, nomine Iulio, cohortis Augustæ. Conscensa autem naue Adramyttina, nauigaturi iuxta loca Asiæ, soluimus, perseuerante nobiscum Aristarcho Macedone Thessalonicensi. Sequenti autẽ die appulimus Sidonem. Et Iulius humaniter tractato Paulo, permisit ut ad amicos profectus, ab illis curaretur. Et inde cũ soluissemus, subnauigauimus iuxta Cyprum, propterea quod essent uenti contrarij. Et pelagus quod est contra Ciliciam & Pamphyliam, emensi, peruenimus Myram, quæ est Lyciæ, & ibi nactus centurio nauem Alexandrinam nauigantem in Italiam, imposuit nos in eam. Et cum multis diebus tarde nauigaremus, uixq; deuenissemus contra Gnidum, prohibente nos uento, adnauigauimus Cretæ iuxta Salmonẽ. Et uix prætereligentes illam, peruenimus in locum quendam, qui uocatur Pulchri portus, cui uicina erat ciuitas Lasæa. Multo autẽ tempore peracto, & cum esset iam periculosa nauigatio, ob id quoque quod iam ultra tempus sustinuissent incdiam, admonebat eos Paulus, dicens eis: Viri, uideo quod cum iniuria multoq; damno, non solum oneris & nauis, sed etiam animarum nostrarũ futura sit nauigatio. Centurio autem

gubernatori

gubernatori & nauclero magis credebat, quàm his quæ à Paulo dicebantur. Et cum aptus portus non esset ad hybernandum, complures ceperunt consilium soluendi illinc, si quo modo possent peruecti Phœnicem illic hybernare. Is est portus Cretæ spectans ad Africum & ad Chorum. Aspirante autem Austro, rati se propositi compotes, cum soluissent Asson, præterlegebant Cretam. Verum haud multo post coortus est contra ipsam uentus Typhonicus, qui uocatur Euroaquilo. Cumq; correpta esset nauis, nec posset obniti uento, data naue flatibus, ferebamur. In insululam autem quandam deuecti, quæ uocatur Clauda, uix potuimus obtinere scapham. Qua sublata adiutorijs utebantur, subcingentes nauem, timentesq; ne in Syrtim inciderẽt, demisso uase, sic ferebantur. Cum autem uehementi tempestate iactaremur, sequenti die iactum fecerunt, ac tertio die nostris manibus armamenta nauis proiecimus. Porrò neq; sole, neq; syderibus apparentibus ad complures dies, et tempestate nõ exigua imminente, iam ablata erat spes omnis salutis nostræ. Cũ autẽ multa iam esset inedia, tunc stans Paulus in medio eorũ, dixit: Oportebat quidẽ, ô uiri, audito me nõ soluere à Creta, nec accersere nobis iniuriã hanc & iacturã. Et nunc hortor, ut bono animo sitis. Iactura enim animæ nulla erit ex uobis, sed tantum nauis. Astitit enim mihi

hac nocte angelus dei, cuius sum ego, quem & colo, dicens: Ne timeas Paule, Cæsari te oportet sisti. Et ecce donauit tibi deus omnes qui nauigant tecum. Propter quod bono animo estote uiri. Credo enim deo, quod sic erit, quemadmodum dictum est mihi. In insulam autem quandam oportet nos eijci. Sed postea quàm quartadecima nox superuenit, nauiganti/bus nobis in Adria circa medium noctis, suspicabantur nautæ apparere sibi aliquam regionem. Qui & demissa bolide, repererunt passus uiginti, ac pusillũ inde digressi, rursumq; demissa bolide, repererunt passus quindecim: Timentesq; ne in aspera loca inciderent, de puppi iactis ancoris quatuor optabant diem oriri. Nautis uero quærentibus fugere è naui, cũ demisissent scapham in mare, sub prætextu uelut è prora ancoras extensuri, dixit Paulus centurioni & militibus: nisi hi in naui manserint, uos salui fieri non potestis. Tunc abscinderunt milites funes scaphæ, & passi sunt eam excidere. Et cum dies inciperet apparere, hortabatur Paulus omnes sumere cibũ, dicens: Dies hic decimusquartus est, quod expectantes ieiuni permanetis, nihil accipientes: propter quod hortor uos, ut sumatis cibum: hoc enim ad salutem uestram pertinet, quia nullius uestrum capillus de capite cadet. Et cum hæc dixisset, sumpto pane, gratias egit deo in conspectu omnium: & cum fregisset,

cœpit

cœpit edere . Porrò animis iam recreatis omnium, ſumpſerũt & ipſi cibum. Eramus uero uniuerſæ animæ in naui ducentæ ſeptuaginta ſex. Et ſatiati cibo, alleuabant naucm, eijcientes triticum in mare. Cum autem dies eſſet, terram non agnoſcebant: ſinum uero quendam animaduerterunt, habentem littus, in quod cogitabant, ſi poſſent, impingere nauem. Et cũ ancoras ſuſtuliſſent, committebant ſe mari, ſimul laxatis iuncturis gubernaculorum, & ſublato artemone ad auræ flatum, tendebant ad littus. Et cum incidiſſent in locum bimarem, impegerunt nauem. Ac prora quidem infixa manebat immobilis: puppis uero ſoluebatur à ui undarum. Militum autem conſilium erat, ut uinctos occiderent, ne quis cum enataſſet, effugeret. At centurio uolens ſeruare Paulum, compeſcuit eos à conſilio, iußitq;, ut qui poſſent natare, abijcerent ſe primos, & in terram euaderent, cæteriq; partim in tabulis, partim in quibuſdam nauis fragmentis. Et ſic factum eſt, ut omnes incolumes euaderent in terram.

CAPVT XXVIII

ET cum euaſiſſent, tunc cognouerũt, quod Melite inſula uocaretur. Barbari uero præſtabant non uulgarem humanitatẽ nobis. Accenſa enim pyra, recipiebant nos omnes propter hymbrem qui imminebat, & propter frigus. Cum congregaſſet autem

tem Paulus ſarmentorum multitudinem, & impoſuiſſet in ignem, uipera è calore prorepens, inuaſit manum eius. Vt uero uiderunt Barbari pendentem beſtiam de manu eius, inter ſeſe dicebãt: Omnino homicida eſt homo hic, quem ſeruatum è mari ultio nõ ſinit uiuere. Et ille quidem excuſſa uipera in ignem, mali nihil paſſus eſt. At illi exiſtimabant futurum, ut incenderetur, aut concideret repente mortuus. Diu autem illis expectantibus, & intuentibus nihil mali illi accidere, mutata mente dicebant eum eſſe deũ. In locis autem illis erant prædia primati Inſulæ, nomine Publio, qui nos exceptos, triduo benigne tractauit hoſpitio. Contigit autem patrem Publij febribus, ac dyſenteria uexatum decumbere. Ad quem Paulus intrauit, & cum oraſſet, impoſuiſſetq; ei manus, ſanauit eum. Hoc igitur facto, cæteri quoq; qui habebant infirmitates in inſula, accedebant & ſanabantur, qui etiam multis honoribus nos honorauerũt, & ſoluentibus impoſuerunt quæ neceſſaria erant. Poſt menſes autem tres nauigauimus in naui Alexandrina, quæ in inſula hyemauerat, cui erat inſigne Caſtor et Pollux. Et cum ueniſſemus Syracuſas, manſimus triduo. Inde circumlegentes deuenimus Rhegium, & poſt unum diem afflante Auſtro, poſtridie uenimus Puteolos, ubi repertis fratribus, rogati ſumus manere apd eos dies ſeptem, & ſic uenimus Romam. Et inde cũ

audiſſent

audissent fratres de nobis, prodierũt in occursum nobis usq; ad Appij forũ ac tres tabernas. Quos cũ uidisset Paulus, gratijs actis deo, sumpsit fiduciam. Cũ autẽ uenissemus Romam, centurio tradidit uinctos principi exercitus. Permissum est autẽ Paulo, ut maneret solus cũ custodiente ipsum milite. Post tertium autem diem cõuocauit Paulus Iudæorum primores. Cumq; uenissent, dicebat eis: Ego, uiri fratres, cũ nihil feccrim aduersus plebẽ, aut instituta maiorũ, uinctus ab Hierosolymis, traditus sum in manus Romanorum: qui cum examinassent, uoluerunt me dimittere, eo quod nulla esset causa mortis in me Sed contradicentibus Iudæis, coactus sum appellare Cæsarem, nõ quasi habeam de quo gentẽ meam accusem. Propter hanc igitur causam aduocaui uos, ut uiderẽ & alloquerer, propter spẽ enim Israëlis catena hac circundatus sum. At illi dixerũt ad eũ: Nos neq; literas accepimus de te à Iudæa, neq; adueniens aliquis fratrum nunciauit, aut locutus est aliquid de te mali. Volumus autem ex te audire quæ sentias. Nam de secta ista notũ est nobis, quod ubiq; ei contradicitur. Cum cõstituissent autẽ illi diem, uenerũt ad eũ in hospitiũ cõplures, quibus exponebat, testificãs regnũ dei, suadensq; eis de Iesu ex lege Mosi & prophetis, à mane usq; ad uesperam: & quidam credebãt his quæ dicebantur, quidam uero non credebant. Cumq; inter se

nõ essent concordes, discedebant, ubi dixisset Paulus unum uerbum: Bene spiritus sanctus locutus est per
Esa.6 Esaiam prophetam ad patres nostros dicens: Vade ad populum istum, & dic: Auribus audietis & non intelligetis: & uidentes uidebitis, & non perspicietis. Incrassatum est enim cor populi huius, & auribus grauiter audierunt, & oculos suos compresserunt: ne quando uideant oculis, & auribus audiant, & corde intelligant, & cõuertantur, & sanem eos. Notum ergo sit uobis, quod gentibus missum est hoc salutare dei, & ipsi audient. Et cum hæc dixisset, exierunt ab eo Iudæi, multam habentes inter se disceptationem. Mansit autem Paulus biennio toto in suo conducto: & suscipiebat omnes qui ingrediebantur ad ipsum, prædicans regnum dei, ac docens quæ sunt de domino Iesu cum omni fiducia, nemine prohibente.

ACTORVM FINIS.

IN EPISTOLAM PAVLI AD Romanos argumentum per Eraſmum Roterod.

IAM quo res ſit dilucidior, argumentum epiſtolæ paucis explicandum. Atq; ut exordiar ab ipſo nomine, quanquam me non fugit Hieronymum in commentarijs, quos ſcripſit in epiſtolam ad Philemonem, in hac eſſe ſententia, ut exiſtimet apoſtolum prius uocatũ Saulum, Pauli uero cognomen ceu trophæũ uſurpaſſe à Sergio Paulo proconſule, quĕ Chriſto lucrifecit, quemadmodum legimus in Actis apoſtolorum Cap. XIII. Rurſus alios eſſe, quibus placeat in Iudaiſmo dictum Saulum, mutata religione ſimul & nomen mutaſſe. Sed alteram opinionem minus probabilẽ facit, quod Lucas hoc ipſo, quod modo citauimus, capite ſcribit: Saulus qui & Paulus, repletus ſpiritu ſancto, haud obſcure declarans eum binominem fuiſſe, priuſquàm Sergius Paulus eſſet conuerſus. Alteram planè refellit, quod cum alijs aliquot locis, tum in eodem capite Saulus dicitur iam Chriſti prædicans euangeliũ. Dixit illis ſpiritus ſanctus: Segregate mihi Saulum & Barnabam. Proinde mihi uero proprior uidetur Origenis opinio, quemadmodũ in ueteris inſtrumẽti

libris aliquot comperimus diuersis nominibus notatos, uelut Idida dictũ, qui aliâs uocatus est Salomon, & Oziam alicubi dictum, qui alibi sit Azarias, Item in euangelicis literis, Lucæ dictum Leui, qui se in suo euangelio Matthæũ nominat: ita Paulo geminũ fuisse uocabulum, quanquam ipse in suis epistolis se nunquam Saulum appellat, sed ubiq; Paulũ, fortassis ob id, quod Pauli uocabulũ Græcorum ac Romanorũ, ad quos scribebat, auribus esset familiarius. Saulus enim sic à Saul Hebræa uoce deflexum apparet, ut Græci à Ioseph Iosephum deflexerunt. Paulus autem Hebræis sonat mirabilem, si tamen ferendũ putamus Romanæ seu Græcanicæ uocis etymologiam è peregrina lingua peti. Quod tamen Hieronymus cũ alicubi in alijs reprehendat, hic sibi permittit, opinor, ut in re nõ admodum seria. Certe Græcis sonat quietum, Latinis pusillum. Saul Hebræis sonat postulatũ: & si Ambrosio credimus, inquietudinem siue tentationem. Atq; hæc quidẽ de ratione nominis, ut in argumento penè plus satis. Cæterum dictauit hanc epistolam, excipiente Tertio, quod is quoq; in calce epistolæ testatur, adijciens: Saluto uos ego Tertius, qui scripsi epistolã in domino. Missam apparet è Corintho, per Phœben fœminam Cenchreensem. Est autẽ Cenchreæ portus Corinthiorũ, haud procul ab urbe dissitus. Quod si tempus quoq; requiratur, scriptam

Binomines in sacris literis

Etymologiam non recte peti ex aliena lingua.

Scriba.

Locus.

Tempus.

apparet

apparet post utranq; ad Corinthios epistolam(unde putant in hac absolutæ iam & confirmatæ pictatis argumenta potissimũ elucere)id temporis cũ peragrata iam Achaia,in qua Corinthus est,& huic finitima Macedonia,usq; ad Illyricum, ac nõ solũ prædicato ubiq; Christi euangelio,in his duntaxat locis,in quibus aliorũ apostolorum nemo prædicauerat, uerumetiam iuxta Petri monita,collecta à suis aliquanta pecunia,in subsidiũ pauperũ,adornaret iter Hierosolymam,ut exhibito quod acceperat,illinc proficisceretur in Hispaniam, Roma iter facturus,atq; illic obiter salutaturus Christianos : de quorũ fide ac religione audierat, cũ ipsos nondũ uidisset. Accidebat enim illis diuersum quiddam atq; Galatis. Siquidem hi primum recte à Paulo instituti,postea fraude pseudapostolorũ circunuenti sunt, & retracti in Iudaismũ. Contra Romani primũ male instituti à pseudapostolis, simulatque pro sua prudentia senserant fraudem,resipuerũt,& in eo quod rectũ esse cognouerunt,perseuerabãt.Nam in ecclesiæ nascentis primordijs erant, qui existimarent, euangelij gratiam, quoniam Abrahæ posteris,& Iudaicæ genti peculiariter promissa uidebatur,nõ esse propagandã in prophanas gentes,& simulachrorum ac dæmonum cultui deditas.In qua sententia & Petrum apparet fuisse,qui uiso monendus erat,ut Corneliũ Centurionem admitteret,

Argumenũ epistolæ

Opinio apostolorum in initio.

admitteret: quo nomine mox illi exhibitum est negocium Hierosolymis, expostulantibus his, qui ex Iudaismo conuersi fuerant ad Christum, quod cum incircunciſis habuisset commercium: atq; in his probabile est & apostolos aliquot fuisse. Sic enim legimus in Actis Cap. XI. Audierunt autem apostoli & fratres qui erant in Iudæa, quoniam & gentes recepe/runt uerbum dei. Cum autem ascendisset Petrus Hierosolymam, disceptabant aduersus illum qui erant ex circunciſione, dicentes: Quare introisti ad uiros præputium habentes, & manducasti cum illis? Erant rursus, qui licet non existimarent gentes prorsus arcendas ab euangelij consortio, non admittendas tamen ducebãt, niſi circũciderentur ritu Iudaico: perinde quasi Christus egeret adminiculo legis Mosaicæ, simul ut euangelij gloriam in suam gentẽ transferrent. Et in Actis apostolorum Cap. XI. proditum est eos, qui ob persecutionẽ, quæ accidit à morte Stephani, profugerant in Phœnicen, in Cyprum, & in Antiochiam, nemini prædicasse Christũ, niſi solis Iudæis. Rursus Cap. XV. quidam Iudæi ueniunt Antiochiam, palàm aduersus Paulũ & Barnabam prædicantes, nõ esse ſpem salutis, niſi iuxta Moysi præscriptum circunciderentur: tantusq; tumultus per hos concitatus est, ut coacto concilio decretũ sit, ut Paulus & Barnabas unà cũ aduersarijs Hierosolymam

irent,

irent,& lis apostolorum ac seniorũ arbitrio compo neretur. Atq; illic rursum acriter obnitentibus non/ nullis, præsertim factionis pharisaicæ Christianis,cu ius fuerat & Paulus,coacta est synodus apostolorũ, & seniorum: ac Petri Iacobiq; autoritate decretum est,ne gentes onerarentur lege Mosaica, tantũ tem/ perarẽt ab esu suffocati animantis,à sanguine,à car/ nibus simulachro immolatis, et à stupris:quod tamẽ pro ratione temporum inuincibili Iudæorũ superſti/ tioni datum esse,uel illud argumento est,quod tria il la iam olim uidemus esse sublata,ac prorsus abolita. Ex eodem fonte nata est illa Pauli cũ Petro concer/ tatio Antiochiæ,cum gentiũ apostolus cernens suos ob Petri simulationem periclitari,palàm illum re/ darguit, quemadmodum refert ipse in epistola ad Galatas capite secundo. Rursum Hierosolymis au/ tore Iacobo, quo purgaret iam inter Iudæos spar/ sum rumorem,quod retrahere uideretur à lege Mo/ saica,cũ cæteris caluiciũ induxit capiti:& iuxta ri/ tum Iudaicũ purgatus,munus obtulit in templo,sicu ti refert Lucas Actorũ Ca. XXI. Quo quidem ex lo co uidetur Iacobus,tametsi gentes prius onere legis Mosaicæ propemodum liberasset, esse tamen in hac sententia, ut putaret à Iudæis exigendam esse legis obseruationem:uel in hoc ut placarentur ij,qui non/ dum sic profecerãt in euangelica ueritate,ut possent

omnino

omnino patrios ritus cõtemnere. Sic enim loquitur, ut est coniectandũ multitudinis cõgregatæ nomine, Iacobus: Et scient omnes, quia quæ de te audierunt, falsa sunt: sed ambulas & ipse custodiens legem. Nec alia de causa, opinor, totondit caput ex uoto Cenchreis Cap. XVIII. Cõsimili necessitate circuncidit Timotheũ Cap. XVI. cũ esset matre quidẽ Iudæa natus, sed patre ethnico. Tantæ molis erat ex Iudæo facere Christianũ. Est enim ei genti peculiaris quædã pertinacia, nec ulla fuit unquã suæ religionis tenacior, ut eleganter docet Ioseph̃us in apologia Iudaicarum antiquitatũ. Ad hæc ut Iudæorũ natio tum omnibus orbis nationibus erat peculiariter inuisa, ita uicissim omnes execrabantur illi, ceu impuros, profanos, & impios: adeo, ut nec congressu dignarentur, & templũ suum pollui crederent, si quis fortè incircuncisus esset ingressus. Tantũ erat præcisæ pelliculæ superciliũ. Cum igitur spes nõ esset fore, ut Græci Romaniq; legem inuisam reciperent, & incredibili pertinacia reclamarent Iudæi, Paulus intelligens periculum esse, ne tam exitiabili dissidio magna ex parte periret euangelij fructus, & Christi gloria Mosaici nominis obscuraretur admixtu, hoc in primis agit ubiq;, ut legis ceremonias abroget, atq; antiquet, omnemq; salutis adipiscendæ fiduciam in unum Christũ transferat. Sicut aũt Galatas acriter, sed tamẽ amanter obiurgat, quod essent in Iudaismũ adducti: ita Ro

Iudaicæ gentis pertinacis.

manos præmunit & instruit, ne à pseudapostolis, quos sciebat nusquam cessare, illaqueentur incauti, sed in recta doctrina, quã amplecti cœpissent, persisterent. Erat enim Romæ ingens Iudæorũ numerus, siue illuc à Pompeio translatus, siue quod iam Romanorum esset prouincia Iudæa, quorũ superstitio crebro & apud Iuuenalem atq; Horatiũ, & apud Senecam notatur. Cũ quibus & Paulo multũ negocij fuisse, posteaquàm Romã peruenisset, testatur extremũ cap. Actorũ apostolicorũ. ac miro cõsilio singularis artifex in hac epistola sermonẽ temperat inter Iudæos & gentes, dum studet omneis omnibus modis ad Christũ pellicere: neq; uult, si fieri possit, quenquam omnino mortaliũ perire suo duci, cui militabat: itaq; nunc hos obiurgat, nunc illos, nũc rursus erigit, ac subleuat. Gentiũ superciliũ deprimit: ostendens nihil illis profuisse, neq; naturæ legem, neq; philosophiam, cuius professione tumebant, quo minus in omne scelerum dedecus prolaberentur. Rursum Iudæorũ arrogantiam coërcet, qui legis fiducia perdidissent id quod erat totius legis caput, fidem in Christũ Iesum: docens legis ceremonias antiquatas esse, iam coruscante Christi euangelio, quem legis umbræ delineabant, abrogata iam ocia sabbatorum, circuncisionis iniuriam, Calendarum recursus, ter quotannis redeuntes ferias, delectũ ciborum, in singulos dies iterum sordidanda

Summa doctrinæ Paulinæ.

Ceremoniæ

ſordidanda lauacra, pecudũ innoxiarum lanienam, templi religionem aſſiduis inquinati cædibus. Has rerum umbras emicante luce ueritatis euaneſcere: Veros eſſe filios Abrahæ, qui fidem Abrahæ referrent: uere Iudæos eſſe, qui Chriſtum profiterentur: uere circunciſos, qui mentem haberent à ſœdis cupiditatibus repurgatam. Veram iuſtitiam ac perfectam ſalutem citra legis auxilia, per euangeliũ ac ſolam fidẽ in Chriſto cõferri ex æquo omnibus: licet ea ſalus peculiariter olim eſſet promiſſa Iudæis: ſed ita his promiſſa, ut prophetæ non tacuerint fore, ut illis reiicientibus ad gentes prædicatio Chriſti propagaretur. Per legem Moſaicam ueram iuſticiam nulli contingere, ſed per fidẽ: idq; docet, tum exemplo Abrahæ, tum uarijs ipſius legis teſtimonijs. Et ad eum modum detracto utriſq; ſupercilio, adempta utriſq; fiducia ſui, omnes æquat in negocio fidei euãgelicæ, ita gratulans ſaluti gentium, ut ſuæ gentis cæcitatem paterno deploret affectu, licet illam ubique pertinaciſſime infenſam experiretur: atq; id per ſe durum, ita mitigat, ut dicat nec omnes excæcatos, & fore ut aliquãdo reſipiſcat Iudæorum natio, fide gentium prouocata. Atque hic obiter uaria multiplexq; doctrina de præfinitis, ſiue prædeſtinatis, de præſcitis, de uocatis, de gratia & merito, de libero arbitrio, de diuino conſilio nobis inſcrutabili, de lege naturæ, de lege

Moſi,

Mosi,de lege peccati.Varij item allegoriarum fon/ Fontes alle/
tes,dum duos facit Adam:alterum,quo nascimur iu goriarum
xtacarnem mortales:alterum, quo renascimur im/
mortales futuri.Duos homines,internum & exter/
num:internum spiritui & rationi parentem,exter/
num cupiditatibus & affectibus obnoxium:quorum
priorem aliquando spiritum appellat : posteriorem
interim corpus,siue membra,interim carnẽ,aliquo/
ties legem peccati uocat.Duplicem mortem, corpo
ris,& animi, & tertiam qua morimur peccato &
peccandi affectibus.Triplicem item uitam,qua uiui
mus corpore,qua animo,et qua uiuimus iustitiæ &
peccato.Duplicem seruitutem,aut libertatem, qua
uicißim uel innocentiæ seruimus,emancipati à pec/
catis,uel peccatis seruimus liberi à iusticia. Dupli/
cem Iudaismum,duplicem circuncisionem:geminos
posteros Abrahæ:duas parteis legis Mosaicæ, car/
nalem,ucluti corpus,spiritualem,uelut animam le/
gis.Duplicem baptismum,quo primum abluimur à
peccatis pristinis sacro lauacro,& quo Christo cõ
morimur, abdicatis mundi affectibus. Duplicem se/
pulturam,corporalem,qua triduo sepultus est Chri
stus,& spiritualem , qua nos semoti à mundi uitijs,
requiescimus in illo. Duplicem resurrectionem,alte
ram quæ præceßit in Christo,in nobis secutura:al/
teram qua nos à peccatis pristinis rediuiui,progre

dimur à uirtute ad uirtutem, hac parte quoad licet futuram immortalitatem meditantes. Duplicem iuſtitiam, dei & hominum. Duplex iudicium, dei & hominum. Duplicem gloriam ſiue laudem, apud deum & apud homines. His diſſertis, tranſit ad locum moralem, in primis adhortans ad mutuam concordiam exemplo membrorum corporis. Et quoniam pax conſtare non poteſt, ubi faſtus eſt aut liuor, obſecrat, ut obſequijs mutuis mutuum amorem alant foueantq;. Romanos, ut Iudæorum infirmitatem ex diutina legis aſſuetudine relictam, ferant: contrà Iudæos, ne gentibus in Euangelij conſortium aſcitis inuideant, ſed illorum fidem ac libertatem potius æmulẽtur, & cum idem ſit omniũ deus, idem Chriſtus, eadem gratia, idem præmiũ, omnes in unum corpus coaleſcant, neq; quiſquam ſibi arroget quicquã, ſed ſi qua dote præcellat aliquis, eam ad fratris opem accommodet. Atq; hunc locum uarie tractat, docens, quales ſe præſtare debeant erga Iudæos incredulos, quales erga Chriſtianos ſuperſtitioſiores, ſiue, ut ipſe uocat, infirmos, quales erga ſuperiores, quales erga inferiores, quales erga pares, quales erga principes ac magiſtratus ethnicos, ſed ſuo utcunque fungentes officio: quales in proſperis, quales in aduerſis. Deinde rurſum laude Romano

Moralis locus

manorum mitigat admonitionis acerbitatem, & ſuam apud illos autoritatem commendat, commemorans quanto plus cæteris promouerit in Euangelio Chriſti. Declarat quanta teneatur illos uidendi cupiditate, & ſpem facit ſui aduentus, cur eum differre cogatur, aperit, laudans ſpontaneam Macedonum & Corinthiorum in pauperes ſanctos liberalitatem, tacite ac uerecunde Romanos ad æmulandum prouocans. Caput extremum penè totum occupat ſalutationibus, non frigide congeſtis multorum nominibus, ſed mire ſuo cuique addito elogio. Poſtremo quoniam penitus nouerat & pſeudapoſtolorum improbam uerſutiam, & Romanorum ſimplicitatem, ac facilitatem, admonet, etiam atque etiam caueant, ne illorum blandiloquentia fallantur. Quanquam autem horum pleraque peculiarius ad eam pertinent ætatem, in qua rudis adhuc paulatim ſuppullulabat eccleſia, Iudæis & gentibus admixta, ac principibus ethnicis obnoxia: tamen nihil eſt, unde non ad hæc quoque tempora ſalutaris aliquid doctrinæ poſſit accommodari, ueluti de fugienda ſuperſtitione, quæ diſſidiorum eſt ſeminarium, & ſic habet ſpeciem pietatis, ut nihil ſit ueræ pietati aduerſius: de ſtulta fiducia philoſophiæ mundanæ, de merito

Salutationes Pauli.

fidei, de uitando fastu, de toleranda alicubi minus eruditorum aut superstitiosiorum imbecillitate, de mutuis obsequijs alenda concordia, de ferendis aliquousq; malis principibus & impijs episcopis, ne turbetur ordo status publici: de malefactis beneficẽtia superandis, de non iudicando quod ad te nõ pertineat, de commode interpretando quicquid recto animo fieri potest, de cauenda insidiosa blandiloquentia, alijsq; id genus rebus, in quibus hodieq; communis hominum uita uersatur. Sed utilitatem huius epistolæ æquat, ac penè supat difficultas, idq; mihi tribus potissimum de causis accidere uidetur, siue quod non alibi sermonis ordo confusior, nusquam oratio hyperbatis magis hiulca, nusquam anantapodotis crebrius inabsoluta, quod subinde quæritur interpres Origenes in huiusmodi difficultatibus passim luctans, ac laborans. Quod utrum interpreti aut scribæ Tertio sit tribuendum, an ipsi Paulo, aliorum esto iudicium. Ipse sanè agnoscit sermonis imperitiam, licet rerum inscitiam deprecetur. Rursus adeò non affectauit orationem arte humana compositam, ut eam sibi fugiendam etiam duxerit, ne quid hinc decederet gloriæ crucis: atque ob id Origenes existimat superuacaneum esse, sermonis compositionem in eo requirere. Hieronymus aliâs illi uindicat orationis artificium, aliâs adimit

Difficultas epistolæ ad Romanos unde

Pauli sermo incompositus

adimit, ingenue confitens, é corrupto Cilicum ser-
mone nonnihil traxisse uitij. Augustinus etiam rhe
torũ ornamenta flosculosq; ex huius depromit epi-
stolis. Quin & in Actis dux uerbi est: & in episto-
la ad Corinthios priore, supra cæteros omnes lin-
guis loquitur. Quamuis enim, ut testatur Hierony-
mus, id temporis totus Oriens Græce loqueretur,
tamen ut consentaneum est, apud Celtas non ean-
dem fuisse Romani sermonis castimoniam, quæ fuit
Romæ: ita uerisimile est, non parum interfuisse in-
ter Cilicem Græce loquentem, & Atticum. Ad
hæc orationis incommoda accesit Hebraismus, cu-
ius idiomata passim refert, ita Græce loquens, ut ni
hilo secius interim Hebræum agnoscas. Alterã diffi
cultatis causam arbitror, quod ob rerum inexplica
bilium obscuritatem, non alia sit crebrioribus impe
dita salebris, aut altioribus interrupta uoragini-
bus, adeò ut ipse relicto quod instituerat, exclama-
re cogatur: O altitudo diuitiarum. Quid quod quæ
dã mysteria prudens sic attingit, ut ceu per trãsen
nam duntaxat ostendat, pro temporum illorum ra-
tione, proq; captu eorum, quibus scribit, orationem
attemperans. Nouerat & uiderat ille quædam, quæ
nefas esset homini loqui, & nouit quatenus esset
opus lacte, quatenus cibo solido. Sciebat ætatum in
Christo gradus, & quid cui foret adhibendum.

Hoc consilio Petrus apostolus apud rudẽ concionẽ uerba facturus de Christo, uirum eum nominat, deum tacet. Tertiam, opinor, crebram ac subitam personarum mutationem, dum nunc Iudæos, nunc gentes, nunc utrinque, modo credentes, modo incredulos respicit: aliâs infirmi, aliâs firmi: interim pij, interim impij personam sustinet. Quibus fit, ut lector uelut in Labyrinthis ac Mæandris quibusdam inextricabilibus oberrans, nec unde sit ingressus, satis uideat, nec quâ sit exitus. Vt mihi non minus uere quàm eleganter Origenes Paulum adsimilem faciat ei, qui hospitem in opulẽtissimi cuiuspiam principis palatium inducat, diuersis uiarum ambagibus, & cõclauium secessibus perplexum. Quædam autem procul ostendat, ex ditissimo opum thesauro, quædam propius admoueat, quædam uideri nolit: sæpe interim per aliud ingressus ostium aliunde exeat, ut hospes ipse miretur unde uenerit, ubi sit, aut quà sit exeundum. Agnouit hoc & Petrus apostolus, in epistola secunda testans, esse in Paulinis epistolis, quædam intellectu difficilia, quæ parũ eruditi, parumq; firmi deprauarẽt ad suam perniciem. Nos difficultates has pro uirili conati sumus amoliri, nisi quod quædam Paulinæ linguæ adeo peculiaria sunt, ut aliquoties mutari non queant: uelut hæc, fides, gratia, corpus, caro, membra, spiritus,

mens

mens, sensus, ædificare, aliáq; huius generis. Quæ ut prorsus mutari nõ debuerũt, ita quoad licuit, emollire studuimus. Sed iam ipsum audiamus Romanis Romane, imò omnibus crassius & explanatius loquentem.

ARGVMENTI FINIS

EPISTOLAE PAVLI APOSTOLI, DENVO recognitæ per Erasmum Roterodamum

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD ROMANOS. CAP. I

PAulus seruus Iesu Christi, uocatus ad munus apostolicum, segregatus in Euangeliũ dei, quod ante promiserat p prophetas suos, in scripturis sanctis de filio suo, qui genitus fuit ex semine Dauid, secundum carnem, qui declaratus fuit filius dei cum potentia, secundum spiritum sanctificationis, ex eo quod resurrexit è mortuis Iesus Christus dominus

noſter, per quem accepimus gratiam, ac muneris apoſtolici functionem, ut obediatur fidei inter omnes gentes, ſuper ipſius nomine, quorum de numero eſtis & uos, uocati Ieſu Chriſti. Omnibus q Romæ eſtis dilectis dei, uocatis ſanctis, gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Primum quidem gratias ago deo meo per Ieſum Chriſtum, ſuper omnibus uobis, quod fides uestra annun-
2. Timo.1 ciatur in toto mũdo. Teſtis enim mihi eſt deus, quẽ colo ſpiritu meo, in Euangelio filij ipſius, quod indeſinenter mentionem uestri faciam, ſemper in precibus meis orans, ſi quo modo tandem aliquando proſperũ iter contingat, uolente deo, ut ueniam ad uos. Deſidero enim uidere uos, ut aliquod impertiar uobis donum ſpirituale, quo confirmemini, hoc eſt, ut communem capiam cõſolationem in uobis, per mutuam fidem, ueſtram ſimul & meam. Nolo autem uos ignorare fratres, quod ſæpe propoſueram uenire ad uos, licet præpeditus fuerim ad hunc uſq; diẽ, quo fructũ aliquem haberem inter uos quoq;, quemadmodum & inter reliquas gẽtes. Græcis ſimul & Barbaris, eruditis pariter ac rudibus debitor ſum: ita quantum in me eſt, paratus ſum uobis quoq; qui Romæ eſtis euangelizare. Nõ enim me pudet Euangelij Chriſti. Potentia ſiquidem eſt dei, ad ſalutem omni credenti, Iudæo primũ ſimul & Græco. Iuſtitia enim

tia enim dei per illud patefit ex fide in fidem. Sicuti scriptum est: Iustus autem ex fide uicturus est. Pa Abacuc 2
làm fit enim ira dei de cœlo, aduersus omnem impietatem, & iniustitiam hominum, qui ueritatem in iniustitia detinent, propterea quod id quod de deo cognosci potest, manifestum est in illis. Deus enim illis patefecit. Siquidē quæ sunt inuisibilia illius, ex creatione mundi, dum per opera intelliguntur, peruidentur, ipsaq; æterna eius potentia ac diuinitas, in hoc, ut sint inexcusabiles, propterea quod cum deum cognouerint, non ut deū glorificauerunt, neq; grati fuerunt, sed frustrati sunt per cogitationes suas, & obtenebratum est insciens cor eorum. Cum se crederēt esse sapiētes, stulti facti sunt, mutauerūtq; gloriam immortalis dei, per imaginem, non solum ad mortalis hominis similitudinem effictam, uerum etiam uolatilium & quadrupedum, & reptilium. Quapropter tradidit illos deus p cupiditates cordium suorum, in immundiciā, ut ignominia afficiant corpora sua inter se mutuo, qui commutarunt ueritatem eius mendacio, & uenerati sunt coluerunteq; ea quæ condita sunt, supra eum qui condidit, qui est laudandus in secula, Amen. Quamobrem tradidit eos deus in cupiditates ignominiosas. Nam & fœminæ illorum mutauerunt naturalem usum, in eum qui est præter naturam. Similiterq; & masculi, re-

li,relicto naturali uſu fœminæ, exarſerunt per ap/petentiam ſui,alius in alium,maſculi in maſculos fœditatem perpetrantes,& præmium,quod oportuit, erroris ſui in ſeſe recipientes. Et quemadmodum nõ probauerunt,ut deum agnoſcerent, ita tradidit eos deus in reprobam mentem,ut facerent quæ non conueniebat,repleti omni iniuſtitia,ſcortatione,uerſu/tia,auaritia,malitia,pleni inuidia, cæde,contentio/ne,dolo,malus præditi moribus,ſuſurrones,obtrectatores,dei oſores,contumelioſi,elati,glorioſi,excogitatores malorum,parentibus immorigeri,expertes intelligentiæ, pactorum haud quaquam tenaces, alieni à charitatis affectu, neſcij fœderis,immiſericordes. Qui cum dei iuſtitiã nouerint,nempe quod ij qui talia faciunt,digni ſint morte,non ſolum ea faciunt,uerumetiam aſſentiuntur ijs, qui faciunt.

CAP. II

QVapropter inexcuſabilis es ô homo, quiſquis es qui iudicas. Nam hoc ipſo quod iudicas alterum,teipſum condemnas. Eadem enim facis tu,qui iudicas. Scimus autem,quod iudicium dei eſt ſecundum ueritatem, aduerſus eos qui talia agunt. Cogitas autem hoc ô homo, qui iudicas eos qui talia faciunt, & facis eadem, quod tu ſuffugies iudicium dei? Aut diuitias bonitatis illius ac tolerantiæ, lenitatiſq; cõtemnis,ignorans, quod bonitas dei ad

pœni/

pœnitentiam te inuitat? Sed iuxta duritiã tuam, & cor pœnitere neſciũ, colligis tibijpſi irã in die iræ, quo patefiet iuſtum iudicium dei, qui redditurus eſt unicuiq; iuxta facta ſua: his quidem qui perſeuerantes in benefaciendo, gloriã & honorem & immortalitatem quærunt, uitam æternã: his uero qui ſunt contentioſi, & qui ueritati quidẽ non obtemperãt, ſed obtemperant iniuſtitiæ, uentura eſt indignatio, & ira, afflictio, & anxietas, aduerſus omnẽ animã hominis perpetrãtis malũ, Iudæi primum, ſimul & Græci. Gloria uero & honor, & pax omni operanti bonum, Iudæo primũ ſimul & Græco. Non enim Eph. 6
eſt perſonarum reſpectus apud deũ. Quicũq; enim ſine lege peccauerunt, ſine lege & peribũt: & quicunq; in lege peccauerunt, per legem iudicabũtur. Nõ enim qui audiũt legem, iuſti ſunt apud deũ, ſed qui legẽ factis exprimũt, iuſti habebuntur. Nam cũ gentes quæ legẽ non habent, natura quæ legis ſunt, fecerint, eæ legẽ non habentes ſibijpſis ſunt lex, qui oſtendunt opus legis ſcriptũ in cordibus ſuis, ſimul atteſtante illorũ conſcientia, & cogitationib. inter ſe accuſantibus, aut etiã excuſantibus, in eo die, cum iudicabit dominus occulta hominũ, iuxta Euangelium meũ per Ieſum Chriſtũ. Ecce tu Iudæus cognominaris, et acquieſcis in lege, & gloriaris in deo, et noſti uolũtatẽ, ac probas eximia, inſtitutus ex lege,

confi

confidisq; te ipsum ducem esse cæcorum, lumen in tenebris uersantium, eruditorem insipientium, doctorem imperitorum, habentem formam cognitionis ac ueritatis per legem. Qui igitur doces alium, teipsum non doces: qui prædicas non furandum, furaris: qui dicis non adulterandum, adulterium committis: qui execraris simulacra, sacrilegium admittis: qui de lege gloriaris, per legis transgressionem deum dehonestas. Nam nomen dei propter uos male audit inter gentes, quemadmodum scriptum est. Nam circumcisio quidē prodest, si legem seruaris. Quod si transgressor legis fueris, circūcisio tua in præputium uersa est. Ergo si præputiū iustificationes legis seruauerit, nónne præputiū illius pro circuncisione imputabitur? & iudicabit quod est ex natura præputium, si legem seruauerit, te qui per literam & circuncisionē transgressor es legis? Non is qui in manifesto Iudæus sit, Iudæus est: nec ea quæ in manifesto sit carnis circuncisio, circūcisio est, sed qui in occulto Iudæus fuerit, is Iudæus est: & circūcisio cordis, circuncisio est, quæ spiritū constat, non litera, cuius laus non ex hominibus est, sed ex deo.

CAP. III

Quid igitur habet in quo præcellat Iudæus? aut quæ utilitas circuncisionis? Multum per omnem modum. Nam primum quidem illud, quod

quod illis commißa ſunt oracula dei. Quid enim, ſi quidam fuerunt increduli? Num incredulitas illorũ, fidem dei faciet irritam? Abſit. Imò ſit deus uerax, omnis autem homo mendax. Quemadmodum ſcriptum eſt: Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis, & uincas cum iudicaris. Quod ſi iniuſtitia noſtra dei iuſtitiam cõmendat, quid dicemus? Nũ iniuſtus deus, qui inducat iram? Humano more loquor, Abſit. Nã quomodo iudicabit deus mundum? Etenim ſi ueritas dei, per meum mendacium excelluit, in gloriam ipſius, quid poſthac et ego ueluti peccator iudicor? Ac non potius, quemadmodũ de nobis male loquuntur, & ſicut quidam aiunt nos dicere, faciamus mala, ut ueniãt bona. Quorũ damnatio iuſta eſt. Quid igitur? Præcellimus eos? Nullo modo. Nã ante cauſis redditis oſtendimus, & Iudæos & Græcos omnes peccato eſſe obnoxios, ſicut ſcriptum eſt: Nõ eſt iuſtus, ne unus quidem: non eſt qui intelligat, nõ eſt qui exquirat deum: omnes deflexerunt, ſimul inutiles facti ſunt: non eſt qui exerceat bonitatem, non eſt uſq; ad unum. Sepulchrum apertum guttur eorum, linguis ſuis ad dolum uſi ſunt, uenenũ aſpidum ſub labijs eorum. Quorum os execratione & amarulentia plenum eſt, ueloces pedes illorum ad effundendum ſanguinem. Contritio & calamitas in uijs eorum, & uiam pacis non cognouerunt. Non eſt timor dei

Pſal. 15 & 50

Pſal. 15

mor dei coram oculis eorum. Scimus autem quod quæcunq; lex dicit, his qui in lege sunt, dicat: ut omne os obturetur, & obnoxius fiat totus mũdus deo: propterea quod ex operibus legis non iustificabi/
Gal. 2 tur omnis caro in conspectu eius. Per legem enim agnitio peccati. Nũc uero absq; lege iustitia dei manifestata est, dum comprobatur testimonio legis ac prophetarum. Iustitia uero dei per fidem Iesu Christi in omnes, & super omnes eos qui credunt. Non enim est distinctio. Omnes enim peccauerunt, ac destituuntur gloria dei. Iustificantur autẽ gratis per illius gratiam, per redemptionẽ quæ est in Christo Iesu, quem proposuit deus reconciliatorem, per fidem interueniente ipsius sanguine, ad ostensionem iustitiæ suæ, propter remissionem præteritorũ peccatorum, quæ deus tolerauit, ad ostendendam iustitiam suam, in præsenti tempore: in hoc, ut ipse sit iustus, & iustificans eum qui est ex fide Iesu. Vbi igitur gloriatio? Excluſa est. Per quam legem? Operum? Non, imò per legem fidei. Arbitramur igitur fide iustificari hominẽ absq; operibus legis. An Iudæorum deus tantum? an non & gentium? Certe & gentium. Quandoquidem unus deus, qui iustificabit circunciſionem ex fide, & præputium per fidem. Legem igitur irritam facimus per fidem? Absit. Imò legem stabilimus.

Quid

CAP. IIII

QVid igitur dicemus inueniſſe Abraham patrem noſtrum ſecundũ carnẽ? Nam ſi Abrahã ex operibus iuſtificatus fuit, habet quod glorietur, at non apud deum. Quid enim ſcriptura dicit? Credidit autem Abraham deo, & imputatũ eſt ei ad iuſtitiam. Ei uero qui operatur, merces nõ imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitũ. Porrò ei qui non operatur, ſed credit in eum qui iuſtificat impium, imputatur fides ſua ad iuſtitiã. Quemadmodum & Dauid explicat beatificationẽ hominis, cui deus imputat iuſtitiam abſq; operibus: Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus uir, cui non imputabit dominus peccatum. Beatificatio igitur hæc in circumciſionem tantum, an & in præputium deuenit? Dicimus enim, quod imputata fuerit Abrahæ fides ad iuſtitiã. Quomodo ergo imputata eſt, cũ eſſet in circumciſione, an cum eſſet in præputio? Nõ in circunciſione, ſed in præputio. Et ſignũ accepit circũciſionis ſignaculũ iuſtitiæ fidei, quæ fuerat in præputio, ut eſſet pater omnium credentium per præputium, ut imputaretur & illis iuſtitia, & pater circũciſionis, ijs qui non ſolum genus ducerent à circumciſis, uerumetiam ingrederentur ueſtigijs fidei, quæ fuit in præputio patris noſtri Abrahæ. Non enim per

Gen. 15

Pſal. 31

legem

legem promißio contigit Abrahæ aut ſemini eius, illum hæredem fore mundi, ſed per iuſtitiam fidei. Etenim ſi ij, qui ad legem pertinent hæredes ſunt, inanis facta eſt fides, & irrita facta eſt promißio. Nam lex iram operatur. Siquidem ubi non eſt lex, ibi nec tranſgreßio eſt. Idcirco ex fide datur hæreditas, ut ſecundum gratiam, ut firma ſit promißio uniuerſo ſemini: non ei, quod eſt ex lege tantum, uerumetiam ei, quod eſt ex fide Abrahæ, qui eſt pa-
Gen.13 ter omnium noſtrum. Sicut ſcriptum eſt: Patrem
& 22 multarum gentium conſtitui te: nimirum ad exemplum dei cui crediderat, qui uitæ reſtituit mortuos, ac uocat ea quæ non ſunt, tanquam ſint, qui præter ſpem ſub ſpe credidit, ſe fore patrem multarũ gentium, iuxta id quod dictum eſt: Sic erit ſemen tuũ. Ac non infirmatus fide, haud conſideranit ſuũ ipſius corpus iam emortuũ, cũ centum feré natus eſſet annos, nec emortuam uuluam Saræ: uerum ad promißionem dei non hæſitabat ob incredulitatem, ſed robuſtus factus eſt fide, tribuens gloriam deo, certa perſuaſione concepta, quod is qui promiſerat, idem potens eſſet & præſtare. Quapropter etiam imputatum eſt illi ad iuſtitiam. Non ſcriptum eſt autem propter illum tantum, imputatum fuiſſe illi, ſed etiam propter nos, quibus imputabitur, credentibus in eum, qui excitauit Ieſum dominũ noſtrum

à mor-

à mortuis: qui traditus fuit propter peccata nostra, & excitatus est propter iustificationem nostri.

CAPVT V

IVstificati igitur ex fide, pacem habemus erga deũ, per dominũ nostrũ Iesum Christũ, per quẽ & contigit nobis, ut fide perduceremur in gratiam hanc, in qua stamus, & gloriamur sub spe gloriæ dei. Nec id solum, uerum etiam gloriamur super afflictionibus, scientes, quod afflictio patientiam pariat, patientia uero probationem, probatio autẽ spem. Porrò spes non pudefacit, quod dilectio dei effusa sit in cordibus nostris per spiritum sanctum, qui datus est nobis. Christus enim, cum adhuc essemus infirmi iuxta temporis rationẽ, pro impijs mortuus est. Nam uix pro iusto quisquã morietur. Siquidem pro bono forsitan aliquis etiam mori sustinet. Commendat autem suam charitatem erga nos deus, quod cũ adhuc essemus peccatores, Christus pro nobis mortuus fuit. Multo igitur magis iustificati nunc sanguine eius, seruabimur per eum ab ira. Nam si cum inimici essemus, reconciliati fuimus deo per mortẽ filij eius: multo magis reconciliati seruabimur per uitam ipsius. Non solum autem hoc, uerũ etiam gloriantes in deo per dominum nostrũ Iesum Christum, per quem nũc reconciliationem assequuti sumus. Propterea quemadmodum per unum hominem peccatũ in mundum

introijt, ac per peccatum mors, & ſic in omnes hó/mines mors peruaſit, quatenus omnes peccauimus. Vſq; ad legem enim peccatum erat in mundo. Porrò peccatum non imputatur, cum non eſt lex. Imò reg/nauit mors ab Adam uſq; ad Moſen, in eos quoq; qui non peccauerant, ad ſimilitudinem tranſgreſſionis Adam, qui typum gerit illius futuri. At non ut pecca/tum, ita & donum. Nam ſi unius delicto multi mor/tui ſunt, multo magis gratia dei, & donum per gra/tiam, quæ fuit unius hominis Ieſu Chriſti, in multos exuberauit. Et nõ ſicut per unum qui peccauerat, ue/nerat mors, ita donum. Nam condemnatio quidẽ ex uno delicto ad cõdemnationem, donum autẽ ex mul/tis delictis ad iuſtificationem. Etenim ſi per unius de/lictum mors regnauit per unum, multo magis hi, qui exuberantiam gratiæ & doni iuſticiæ accipiũt, per/uitam regnabunt autore uno Ieſu Chriſto. Itaq; ſicut per unius delictum propagatum eſt malum in omnes homines ad condemnationem, ita & per unius iuſti/ficationem propagatur bonũ in omnes homines ad iuſtificationem uitæ. Quemadmodũ enim per inobe/dientiam unius hominis, peccatores cõſtituti ſuimus multi, ita per obedientiam unius iuſti conſtituentur multi. Cæterũ lex obiter ſubijt, ut abundaret delictũ. Vbi uero exuberauit peccatũ, ibi magis exuberauit gratia: ut quemadmodũ regnauerat peccatũ in mor/te,

te, sic & gratia regnaret per iustitiam ad uitam æternam, per Iesum Christum.

CAPVT VI

QVid igitur dicemus? Manebimus in peccato, ut gratia abundet? Absit. Qui mortui sumus peccato, quomodo posthac uiuemus in eodẽ? An ignoratis, quod quicũq; baptizati sumus in Christum Iesum, in mortem eius baptizati sumus? Sepulti igitur sumus unà cum illo per baptismũ in mortem: ut quemadmodum excitatus est Christus ex mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate uitæ ambulemus. Nam si insitij facti sumus illi per similitudinem mortis eius, nimirum & resurrectionis participes erimus, illud scientes, quod uetus ille noster homo cum illo crucifixus est, ut aboleretur corpus peccati, ut posthac non seruiamus peccato. Etenim qui mortuus est, iustificatus est à peccato. Quod si mortui sumus cum Christo, credimus, quod & uiuemus cum illo: scientes quod Christus excitatus à mortuis, non amplius moritur: mors illi non amplius dominatur. Nam quod mortuus fuit, peccato mortuus fuit semel: quod autẽ uiuit, uiuit deo. Ita & uos reputate uosipsos, mortuos quidem esse peccato, uiuentes autem deo per Christum Iesum dominum nostrum. Ne regnet igitur peccatũ in mortali uestro corpore, ut obediatis illi per cupiditates eius. Neq;

accommodetis membra uestra, arma iniusticiæ pec cato, sed accommodetis uosmetipsos deo, uelut ex mortuis uiuentes, & membra uestra, arma iusticiæ deo. Peccatum enim uobis non dominabitur. Non enim estis sub lege, sed sub gratia. Quid igitur? Pec cabimus, quod nõ simus sub lege, sed sub gratia? Ab/ sit. An nescitis, quod cui accommodatis uosipsos ser/ uos ad obediendum, eius serui estis cui obeditis, siue peccati ad mortem, siue obedientiæ ad iusticiã? Gra/ tia autem deo, quod fuistis quidem serui peccati, sed obedistis ex animo in eam in quã traducti estis, for/ mam doctrinæ. Cæterũ liberati à peccato, serui facti estis iusticiæ. Humanum quiddam dico propter infir mitatem carnis uestræ. Quemadmodum enim præ/ buistis membra uestra serua immundiciæ & iniqui/ tati, ad aliam atque aliam iniquitatem, sic & nunc præbetæ membra uestra serua iusticiæ, ad sanctifica tionem. Cum enim serui essetis peccati, liberi eratis iusticiæ. Quem igitur fructum habebatis tunc in his, de quibus nunc erubescitis? Nam finis illorum mors. Nunc uero manumissi à peccato, serui autem facti deo, habetis fructum uestrum in sanctificationem, fi/ nem autẽ uitam æternam. Etenim autoramenta pec/ cati, mors: donum autem dei, uita æterna, per Chri/ stum Iesum dominum nostrum.

CAP.

CAPVT VII

AN *ignoratis fratres (scientibus enim legem loquor) quod lex tantisper dominetur homini, quoad ea uixerit? Nam uiro obnoxia mulier, uiuenti uiro alligata est per legem: quod si mortuus fuerit uir, liberata est à lege uiri. Proinde uiuente uiro, adultera uocabitur, si se iunxerit alteri uiro. Sin autem mortuus fuerit uir, libera est à iure uiri, ut non sit adultera, si iuncta fuerit alteri uiro. Itaq; fratres mei, uos quoq; mortificati estis legi per corpus Christi, ut iungeremini alteri: nimirũ ei, qui ex mortuis surrexit, ut fructificemus deo. Cum enim essemus in carne, affectus peccatorum, qui sunt per legem, uigebant in membris nostris ad fructificandum morti. Nunc autem liberati sumus à lege, mortui ei in qua detinebamur, ut seruiamus per nouitatem spiritus, & non per uetustatem literæ. Quid ergo dicemus? Lex peccatum est? Absit. Sed peccatum non cognoui, nisi per legem. Nam & concupiscentiam non nouissem, nisi lex dixisset: Non concupisces. Sed occasione accepta, peccatum per præceptum genuit in me omnem concupiscentiam. Siquidem absque lege peccatum erat mortuum. Ego autem uiuebam sine lege quondam. Porrò ueniente mandato, peccatum reuixit, ego uero mortuus sum. Et repertum est mandatum, quod institutum erat ad uitam, mihi cedere*

1. Cor. 7.

Exo. 20

ad mortem. Nam peccatum occasione accepta per præceptũ decepit me, & per illud occidit. Itaq; lex ipsa quidem sancta, & præceptũ sanctum ac iustum & bonum. Ergo quod bonum erat, mihi factum est mors? Absit. Imò peccatũ. Vt appareret peccatum, per id quod erat bonum, mihi gignere mortem, ut fieret maiorem in modum peccans peccatum per præceptum. Scimus enim quod lex spiritualis est, at ego carnalis sum, uenditus sub peccatũ. Quod enim ago, non probo. Non enim quod uolo, hoc facio: sed quod odi, hoc ago. Si uero quod non uolo, hoc facio, consentio legi, quod bona sit. Nunc autem non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Noui enim, quod non habitet in me, hoc est, in carne mea bonum. Nam uelle adest mihi, at ut faciam bonũ, non reperio. Non enim quod uolo, facio bonum, sed quod non uolo malum, hoc ago. Porrò si quod non uolo ego, hoc facio: non iam ego perpetro illud, sed inhabitans in me peccatum. Reperio igitur legem uolenti mihi facere bonum, quod mihi malum adiunctum sit. Delectat enim me lex dei secundum internum hominem. Sed uideo aliam legem in membris meis, rebellantem legi mentis meæ, & captiuum reddentem me legi peccati, quæ est in membris meis. Miser ego homo, quis me eripiet ex hoc corpore morti obnoxio? Gratias ago deo per Iesum Christum

dominũ

dominum nostrũ. Itaq; idem ego mente quidem ser-
uio legi dei, carne uero legi peccati.

CAPVT VIII

NVlla igitur nunc est condemnatio his, qui in-
siti sunt Christo Iesu: qui non iuxta carnem
uersantur, sed iuxta spiritum. Nam lex spiritus uitæ
per Christum Iesum, liberum me reddidit à iure pec-
cati & mortis. Etenim quod lex præstare non pote-
rat, ea parte qua imbecillis erat per carnem, hoc de-
us proprio filio, misso sub specie carnis peccato ob-
noxiæ, præstitit, ac de peccato condemnauit pecca-
tum per carnẽ, ut iustificatio legis impleretur in no-
bis: qui non secundum carnem uersamur, sed secundũ
spiritum. Nam qui carnales sunt, quæ carnis sunt cu-
rant: at qui spirituales, quæ spiritus sunt. Nam affe-
ctus carnis, mors est. Affectus uero spiritus, uita, &
pax. Propterea quod affectus carnis inimicitia est ad
uersus deum: nam legi dei non subditur, siquidem ne
potest quidem. Qui uero in carne sunt, deo placere
non possunt. Vos autem non estis in carne, sed in spi-
ritu: siquidem spiritus dei habitat in uobis. Quod si
quis spiritum Christi non habet, hic non est eius. Por-
rò si Christus in uobis est, corpus quidem mortuũ est
propter peccatũ, spiritus autẽ uita est propter iusti-
ficationẽ. Quod si spiritus eius qui excitauit Iesum
à mortuis, habitat in uobis, is qui excitauit Christũ

ex mortuis, uiuificabit & mortalia corpora uestra, propter ipsius spiritum inhabitantem in uobis. Proinde fratres, debitores sumus, non carni, ut secundum carnem uiuamus: nam si secundum carnem uixeritis, moriemini. Quod si spiritu facta corporis mortificetis, uiuetis. Etenim quicunque spiritu dei ducuntur, hi sunt filij dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum ad timorem, sed accepistis spiritū adoptionis, per quem clamamus, abba pater. Idem spiritus testatur unà cum spiritu nostro, quod simus filij dei. Quod si filij, igitur & hæredes. Hæredes quidem dei, cohæredes autem Christi. Siquidem simul cum eo patimur, ut & unà cum illo glorificemur. Nam reputo nõ esse pares afflictiones præsentis temporis ad gloriam, quæ reuelabitur erga nos. Etenim solicita creaturæ expectatio expectat, ut palàm fiant filij dei. Quippe uanitati creatura subiacet, non uolens, sed propter eum qui subiecit illam sub spe. Quoniam & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum dei. Scimus enim, quod omnis creatura congemiscit, simulq; nobiscum parturit usque ad hoc tempus. Non solum autẽ illa, sed & ipsi, qui primitias spiritus habemus: & nosipsi in nobisipsis gemimus, adoptionem expectantes, redemptionẽ corporis nostri. Siquidem spe seruati sumus. Porrò spes si uideatur, non est spes.

Quod

Quod enim quis cernit, cur idē ſperet? Si uero quod non uidemus, ſperamus, id per patientiam expectamus. Conſimiliter autem & ſpiritus auxiliatur infirmitatibus noſtris. Siquidem hoc ipſum, quid oraturi ſimus, ut oportet, non nouimus: uerum ipſe ſpiritus intercedit pro nobis gemitibus inenarrabilibus. At ille qui ſcrutatur corda, nouit quis ſit ſenſus ſpiritus: quoniam ſecundum deum intercedit pro ſanctis. Scimus autem, quod his qui diligunt deum, omnia ſimul adiumento ſunt in bonum: nimirū his, qui iuxta propoſitum uocati ſunt. Quoniam quos præſciuerat, eoſdem & præfiniuit, conformes imaginis filij ſui, ut ipſe ſit primogenitus inter multos fratres. Porrò quos prædefinierat, eoſdem & uocauit: & quos uocauit, eos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, hos & glorificauit. Quid igitur dicemus ad hæc? Si deus pro nobis, quis contra nos? Qui proprio filio nō pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum, quī fieri poteſt, ut non & cum eodem omnia nobis donet? Quis intentabit crimina aduerſus electos dei? Deus eſt qui iuſtificat. Quis ille, qui condemnet? Chriſtus eſt qui mortuus eſt, imò qui & ſuſcitatus eſt, qui etiam eſt ad dexteram dei, qui & intercedit pro nobis. Quis nos ſeparabit à dilectione dei? num afflictio? num anguſtia? num perſequutio? num fames? num nuditas? num periculum? num gladius?

Psal.43 Quemadmodum scriptum est: Propter te morti tradimur tota die: habiti sumus uelut oues destinatæ mactationi. Verum in his omnibus superamus per eum qui dilexit nos. Nam mihi persuasum habeo, q̃ neq; mors, neq; uita, neq; angeli, neq; principatus, neq; potestates, neq; instantia, neq; futura, neq; altitudo, neque profunditas, neq; ulla creatura alia poterit nos separare à dilectione dei, quæ est in Christo Iesu domino nostro.

CAP. IX

VEritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul cõscientia mea, per spiritũ sanctũ, quod dolor mihi sit magnus, & assiduus cruciatus cordi meo. Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secũdum carnem, qui sunt Israëlitæ, quorum est adoptio, & gloria, & testamenta, & legis constitutio, & cultus, & promissiones: quorũ sunt patres, & hi ex quibus est Christus, quantum attinet ad carnem, qui est in omnibus deus laudandus in secula. Amen.

Non autẽ hæc loquor, quod exciderit sermo dei. Non enim omnes qui sunt ex Israël, sunt Israël: neq;
Gala.4 quia sunt semen Abrahæ, statim omnes filij, sed per Isaac nominabitur tibi semen, hoc est, nõ qui filij carnis, hi filij dei: sed qui sunt filij promissionis, recensen
Gene.21 tur in semen. Promissionis enim sermo hic est. In tempore hoc ueniam, & erit Saræ filius: Non solum autem

tem hoc, ſed & Rebecca ex uno conceperat Iſaac patre noſtro. Nondum enim natis pueris, cum neque boni quippiam feciſſent, neq; mali, ut ſecundũ electionem propoſitum dei maneret, non ex operibus, ſed ex uocante, dictum eſt illi: Maior ſeruiet minori. Sicut ſcriptum eſt: Iacob dilexi, Eſau uero odio habui. Quid igitur dicemus? Num iniuſticia eſt apud deũ? Abſit. Nam Moſi dicit: Miſerebor, cuiuſcunque miſereor, & commiſerabor, quemcunque commiſeror. Itaque non uolentis eſt, neque currentis, ſed miſerentis dei. Dicit enim ſcriptura Pharaoni: In hoc ipſum te excitaui, ut oſtendam in te potentiam meam, et ut annuncietur nomen meũ in tota terra. Itaq; cui uult, miſeretur: quem autem uult, indurat. Dices ergo mihi: Quid adhuc conqueritur? Nam uoluntati illius quis reſtitit? Atqui ô homo, tu quis es, qui ex aduerſo reſpondes deo? Num dicet figmentũ ei qui finxit, cur me finxiſti ad hunc modum? An non habet poteſtatem figulus luti, ut ex eadem maſſa fingat aliud quidem uas in honorem, aliud uero in ignominiam? Quod ſi deus uolens oſtendere iram, & notam facere potentiam ſuam, tulit multa animi lenitate uaſa iræ, apparata in interitũ: & ut notas faceret diuitias gloriæ ſuæ erga uaſa miſericordiæ, quæ præparauerat in gloriam. Quos & uocauit, nimirum nos: non ſolum ex Iudæis, uerumetiam ex gentibus.

Gen.25

Malach.1

Exod.9

Eſa.45

Hiere.18

Quemadmodũ

Osee.2 Quemadmodũ & Osee dicit: Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam. Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis: Non populus meus uos: ibi uocabuntur filij dei ui
Esa.10 uentis. Esaias autem clamat super Israël: Si fuerit numerus filiorum Israël ut arena maris, reliquiæ saluæ erũt. Sermonem enim perficiens & abbreuians cum iusticia: quoniam sermonem abbreuiatum faciet do-
Esa.1 minus in terra. Et quemadmodũ prius dixit Esaias: Nisi dominus sabaoth reliquisset nobis semẽ, ut Sodoma facti fuissemus, & Gomorrhæ assimilati fuissemus. Quid igitur dicemus? quod gentes quæ non sectabantur iusticiam, apprehenderunt iusticiam: iusticiam autem eam, quæ est ex fide: contrà Israël, qui sectabatur legem iusticiæ, ad legem iusticiæ non per-
uenit. Propter quid? Quia nõ ex fide, sed tanquã ex operibus legis. Impegerunt enim in lapidẽ offendicu-
Esa.28 li. Quemadmodũ scriptum est: Ecce pono in Sion lapidem offendiculi, & petram offensionis: & omnis qui credit in eo, non pudefiet. CAP. X

FRatres, propensa quidem uoluntas cordis mei, & deprecatio quæ fit ad deum, pro Israël est ad salutem. Testimonium enim illis perhibeo, quod studium dei habent, sed non secundũ scientiam. Nam ignorantes dei iusticiam, & propriã iusticiam quærentes constituere, iusticiæ dei non fuerunt subditi.

Nam

Nam perfectio legis Christus, ad iustificationem omni credenti. Moses enim scribit de iusticia, quæ est ex lege, quod qui fecerit ea homo, uiuet per illa. Cæterũ quæ ex fide est iusticia, ea sic loquitur: Ne dixeris in corde tuo: Quis ascendet in cœlum? Hoc est Christum ex alto deducere. Aut, quis descendet in abyssum? Hoc est Christũ ex mortuis reducere. Sed quid dicit? Prope te uerbũ est in ore tuo, & in corde tuo. Hoc est uerbum fidei, quod prædicamus. Nempe si confessus fueris ore tuo dominum Iesum, & credideris in corde tuo, quod deus illum excitauit à mortuis, saluus eris. Corde enim creditur ad iusticiam, ore autem confessio fit ad salutem. Dicit enim scriptura: Omnis qui fidit illi, non pudefiet. Non enim est distinctio uel Iudæi, uel Græci. Nam idem dominus omnium, diues in omnes inuocantes se. Quisquis enim inuocauerit nomẽ domini, saluus erit. Quomodo igitur inuocabunt eum, in quem non crediderunt? Quo modo autem credent ei, de quo non audierunt? Quo modo autem audient absque prædicante? Quomodo autem prædicabũt, nisi missi fuerint? Sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes annunciantium pacem, annunciantium bona. At non omnes obedierunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit sermonibus nostris? Ergo fides ex auditu est: auditus autem per uerbum dei. Sed dico: An non audierunt?

Leui. 18
Deut. 30
Esa. 28
Ioel. 2
Esa. 52
Naum 1
Esa. 53

Psal.18 Atqui in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terrarum uerba illorũ. Sed dico: Nunquid
Deut.32 non cognouit Israël? Primus Moses dicit: Ego ad æmulationem prouocabo uos per gentem quæ nõ est gens, per gentem stultam ad iram commouebo uos.
Esa.65 Esaias autem post hunc audet, ac dicit: Inuentus fui his, qui me nõ quærebant: conspicuus factus sum his, qui de me nõ interrogabant. Aduersus Israël autem dicit: Toto die expandi manus meas ad populum nõ credentem, & contradicentem.

CAPVT XI

DIco igitur: Num repulit deus populũ suum? Absit. Nam & ego Israëlita sum, ex semine Abrahæ, tribus Beniamin. Non repulit deus populũ suũ, quem ante agnouerat. An nescitis, de Elia quid dicat scriptura? Quomodo interpellat apud deũ aduersus Israël, dicens:
3.Reg.19 Domine, prophetas tuos occiderunt, & altaria tua subruerũt: & ego relictus fui solus, & insidiantur uitæ meæ. Sed quid dicit ei diuinũ responsum? Reliqui mihi ipsi septem milia uirorum, qui nõ inflexerunt genu imagini Baal. Sic igitur & in hoc tempore, reliquiæ secundum electionem gratiæ fuerunt. Quod si per gratiam, non iam ex operibus. Quando quidem gratia, iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia. Quandoquidem:

opus,

opus,iam nõ eſt opus. Quid igitur? Quod quærit Iſraël,hoc non aſſequutus eſt,ſed electio conſecuta eſt: reliqui uero excæcati ſunt. Quemadmodũ ſcriptum eſt: Dedit eis deus ſpiritum compunctionis:oculos,ut non uideant:& aures,ut non audiant,uſq; ad hodiernum diem. Et Dauid dicit: Vertatur menſa illorũ in laqueum,et in captionem,& in offendiculũ,& in retaliationem ipſis. Obtenebrentur oculi eorum,ut nõ uideant,& tergum illorum ſemper incurua. Eſa.6 Pſal.68

Dico igitur: Num ideo impegerunt, ut concide rent? Abſit. Sed per lapſum illorum ſalus contigit gentibus,in hoc, ut eos ad æmulandum prouocaret. Quod ſi lapſus illorum diuitiæ ſunt mundi,& diminutio illorum diuitiæ gentium: quanto magis plenitudo illorum? Vobis enim dico gentibus, quatenus ego quidem ſum apoſtolus gentium, miniſterium meum illuſtro, ſi quo modo ad æmulandum prouocem carnem meam, & ſaluos reddam nonnullos ex illis. Nam ſi reiectio illorum eſt reconciliatio mundi,quæ erit aſſumptio,niſi uita ex mortuis? Quod ſi primitiæ ſanctæ, ſancta eſt & conſperſio. Et ſi radix ſancta,ſancti erunt & rami. Quod ſi nonnulli rami defracti ſunt, tu uero cum eſſes oleaſter, inſitus fuiſti illis, & conſors radicis & pinguetudinis oleæ factus es,ne glorieris aduerſus ramos:quod ſi gloriaris, non tu radicem portas, ſed radix te.

Dices

Dices igitur: defracti sunt rami, ut ego insererer. Bene dicis: per incredulitatem defracti sunt, tu uero fide constitisti. Ne efferaris animo, sed timeas. Nam si deus naturalibus ramis non pepercit, uide ne quâ fiat, ut nec tibi parcat. Ecce igitur bonitatem ac seueritatem dei: in eos quidẽ qui ceciderũt, seueritatem: in te uero bonitatẽ, si permanseris in bonitate. Quoniam & tu excidêris: & illi rursum, si non permanserint in incredulitate, inserentur. Potest enim deus denuo inserere illos. Etenim si tu ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insitus es in ueram oleam: quanto magis hi, qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ? Non enim uolo uos ignorare fratres mysterium hoc, ut ne sitis apud uosmetipsos elati animo, quod excæcatio ex parte Israëli accidit, donec plenitudo gentium aduenerit, & sic totus Israël saluus erit. Sicut scriptum est: Aduenict ex Sion ille qui liberat, & auertet impietates à Iacob. Et hoc illis à me testamentum, cum abstulero peccata ipsorum. Secundum Euangelium quidem inimici propter uos, secundum electionem autem dilecti propter patres. Nam dona quidem & uocatio dei eiusmodi sunt, ut eorum illum pœnitere nõ posit. Quemadmodum enim & uos quondã increduli fuistis deo, nunc autem misericordiam estis consequuti per illorum incredulitatem: sic & isti nunc increduli facti sunt,

Esa. 59

sunt, ex eo quod uos misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam cõsequantur. Concluſit enim deus omnes sub incredulitatem, ut omnium misereretur. O profunditatem diuitiarum & sapientiæ & cognitiõis dei, quàm inscrutabilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quis enim cognouit Sap. 17 Ibid. 9
mentẽ domini? Aut quis illi fuit à consilijs? Aut quis prior dedit illi, & reddetur ei? Quoniã ex illo, & per illum, & in illum omnia. Ipsi gloria in secula, Amen. Esa. 40 1. Cor. 2

CAP. XII

OBsecro igitur uos fratres per miserationes dei, ut præbeatis corpora uestra hostiam uiuentem, sanctam, acceptam deo, rationalem cultum uestrum. Et ne accommodetis uos ad figuram seculi huius, sed transformemini per renouationem mentis uestræ, ut probetis quæ sit uoluntas dei, quod bonum est, acceptũq; & perfectũ. Dico enim per gratiam, quæ data est mihi, cuilibet uersanti inter uos, ne quis arroganter de se sentiat, supra quàm oportet de se sentire: sed ita sentiat, ut modestus sit & sobrius, ut cuique deus partitus est mensuram fidei. Quemadmodũ enim in uno corpore membra multa habemus, membra uero non omnia eundem habent actum: sic multi unum corpus sumus in Christo, singulatim autem alij aliorum membra, sed tamen habentes dona iuxta gratiam datam nobis uaria 1. Cor. 12 Eph. 4

ria,siue prophetiam iuxta portionẽ fidei, siue mi-
nisterium in administratione, siue qui docet in do-
ctrina,siue qui exhortatur in exhortatione,qui im-
pertit in simplicitate, qui præest in diligentia, qui
miseretur in hilaritate. Dilectio sit non simulata.Si
tis odio prosequentes quod malum est, adhærentes
ei quod bonum est,per fraternam charitatẽ,ad mu-
tuo uos diligendos propensi, honore alius aliũ præ
uenientes,studio nõ pigri,spiritu feruentes,tempo-
ri seruientes,spe gaudentes,in afflictione patientes,
precationi instantes,necessitatibus sanctorum com-
municantes,hospitalitatem sectantes.Bene loquami
ni de ijs,qui uos insectantur,bene loquamini,inquã,
& ne male precemini.Gaudete cum gaudẽtibus,&
flete cũ flentibus: codẽ animo alij in alios affecti, nõ
arroganter de uobisipsis sentientes,sed humilib.uos
accõmodãtes.Ne sitis arrogãtes apud uosmetipsos,
neq; cuiquam malũ pro malo reddatis.Prouide pa-
rantes honesta in conspectu omnium hominũ:si fie-
ri potest,quantum in uobis est,cum omnibus homi-
nibus in pace uiuentes, non uosmetipsos ulciscentes
dilecti, quin potius date locũ iræ. Scriptũ est enim:
Deut.32 Mihi ultio, ego rependam, dicit dominus. Si igitur
Prou.25 esurit inimicus tuus, pasce illum:si sitit, da illi po-
tum.Hoc enim si feceris, carbones ignis coacerua-
bis in caput illius. Ne uincaris à malo,imò uince bo
no ma-

no malum. CAP. XIII

OMnis anima potestatibus supereminentibus subdita sit. Nõ enim est potestas, nisi à deo, quæ uero sunt potestates, à deo ordinatæ sunt. Itaq; quisquis resistit potestati, dei ordinationi resistit. Qui autem restiterint, sibijpsis iudicium accipient. Nam principes nõ terrori sunt bene agentibus, sed male. Vis autem non timere potestatem? Quod bonum est, facito, & feres laudem ab illa. Dei enim minister est tibi in bonum. Quod si feceris id quod malum est, time. Nõ enim frustra gladium gestat. Nam dei minister est, ultor ad iram, ei qui, quod malum est, fecerit. Quapropter oportet esse subditos, non solum propter iram, uerum etiam propter cõscientiam. Propter hoc enim & uectigalia soluitis. Siquidem ministri dei sunt, in hoc ipsum incumbentes. Reddite igitur omnibus, quod debetur: cui tributum, tributum: cui uectigal, uectigal: cui timorem, timorem: cui honorem, honorem. Nemini quicquam debeatis, nisi hoc, ut inuicem diligatis. Nam qui diligit alterum, legem expleuit. Siquidem illa: Non mœchaberis, non occides, non furaberis, non falsum testimonium dices, non concupisces: & si quod aliud præceptum, in hoc sermone summatim comprehenditur: Nempe, diliges proximum tuum sicut teipsum. Dilectio proximo malum non operatur. Matth. 22 Deut. 5

Cõsummatio itaq; legis est dilectio. Præsertim cum sciamus tempus, quod tempestiuum sit, nos iam à somno expergisci. Nunc enim propius adest nobis salus, quam tum, cũ credebamus. Nox progressa est, dies autem appropinquat. Abijciamus igitur opera tenebrarum, & induamur arma lucis: tanquam in die composite ambulemus, non comessationibus & ebrietatibus, non cubilibus ac lasciuijs, non contentione & æmulatione, sed induamini dominũ Iesum Christum. Et carnis curam ne agatis ad concupiscentias.

CAP. XIIII

PORRÒ eum qui infirmatur fide, assumite, non ad dijudicationes disceptationum. Alius quidem credit uescẽdum esse quibuslibet. Alius autem qui infirmus est, holeribus uescitur. Qui uescitur, non uescentem ne despiciat. Et qui non uescitur, uescentem ne iudicet. Deus enim illum assumpsit. Tu quis es, qui iudicas de alieno famulo? Proprio domino stat aut cadit, imò fulcietur, ut stet. Potens enim est deus efficere, ut stet. Hic quidem iudicat, diem ac diem conferens: ille autem idem iudicat de quouis die. Vnicuiq; sua mens satisfaciat. Qui curat diem, domino curat. Et qui non curat diem, domino non curat. Qui uescitur, domino uescitur, gratias enim agit deo: & qui non uescitur, domino non uescitur, & gratias agit deo. Nullus enim nostrum sibijpsi

Iaco. 4

bijpſi uiuit, & nullus ſibijpſi moritur. Nam ſiue uiuimus, domino uiuimus, ſiue morimur, domino morimur. Siue igitur uiuamus, ſiue moriamur, domini ſumus. In hoc enim Chriſtus & mortuus eſt, & reſurrexit, & reuixit, ut mortuis ac uiuentibus dominetur. Tu uero cur iudicas fratrem tuum? Aut etiam tu cur deſpicis fratrem tuum? Omnes enim ſtatuemur apud tribunal Chriſti. Scriptum eſt enim: Viuo ego dicit dominus: Mihi ſeſe flectet omne genu, & omnis lingua confitebitur deo. Igitur unuſquiſq; noſtrum de ſeipſo rationem reddet deo. Ne poſthac igitur alius alium iudicemus: uerum illud iudicate magis, ne offendiculum ponatur fratri, aut lapſus occaſio. Noui ſiquidem, & perſuaſum habeo per dominum Ieſum, nihil eſſe commune per ſe, niſi ei qui exiſtimat aliquid eſſe commune, illi cõmune eſt. Verum ſi propter cibum frater tuus contriſtatur, non iam ſecundum charitatem ambulas. Ne cibo tuo illum perdas, pro quo Chriſtus mortuus eſt. Ne uerſtrum igitur bonum, hominum maledicentiæ ſit obnoxium. Non enim eſt regnum dei cibus ac potus, ſed iuſtitia & pax, & gaudium, in ſpiritu ſancto. Etenim q per hæc ſeruit Chriſto, acceptus eſt deo, & probatus hominibus. Itaq; quæ pacis ſunt, ſectemur: & quæ ædificationis, alius erga alium. Ne cibi cauſa deſtruas opus dei. Omnia quidẽ pura, ſed ma-

Eſa. 45

M

1.Cor.8 lum est homini, qui per offendiculum uescitur. Bo/
num est non edere carnes, neq; bibere uinum, neq;
quicquam, per quod frater tuus impingit, aut offen/
ditur, aut infirmatur. Tu fidem habes? Apud temet/
ipsum habe coram deo. Beatus qui non iud cat se
ipsum in eo quod probat. At qui dijudicat, si ederit
condemnatus est: quoniam non edit ex fide. Porrò
quicquid ex fide non est, peccatum est.

CAP. XV

DEbemus autem nos qui potentes sumus, infir
mitates impotentium portare, ac non place
re nobisipsis. Nam unusquisq; nostrum proximo pla
ceat in bonum ad ædificationem. Etenim Christus
non placuit sibijpsi, sed quemadmodum scriptũ est:
Psal.68 Opprobria opprobrantium tibi, inciderunt in me.
Nam quæcunq; præscripta sunt, in nostram doctri/
nam præscripta sunt, ut per patientiam & consola
tionem scripturarum spem habeamus. Deus autem
patientiæ & cõsolationis det uobis idem mutuo in/
ter uos sentire secundum Iesum Christum, ut unani
miter uno ore glorificetis deum, ac patrem domini
nostri Iesu Christi. Quapropter assumite uos inui/
cem, quemadmodũ & Christus assumpsit nos in glo
riam dei. Illud autem dico. Iesum Christũ ministrum
fuisse circumcisionis pro ueritate dei, ad confirman
das promissiones patrum. Caterũ ut gentes promi
sericor/

ſericordia glorificent deum. Sicut ſcriptum eſt: Pro 2.Reg.22
pter hoc confitebor tibi in gentibus, & nomini tuo
canam. Et rurſum dicit: Gaudete gentes cum popu/ Pſal.17
lo eius. Et rurſum: Laudate dominũ omnes gentes, & 116
& collaudate eum omnes populi. Et rurſum Eſaias
dicit: Erit radix Ieſſe, & qui exurget ad imperan/ Eſa.11
dum gentibus, in eo gentes ſperabunt. Deus autem
ſpei impleat uos omni gaudio & pace, in credẽdo,
in hoc, ut exuberetis in ſpe per potentiam ſpiritus
ſancti. Perſuaſum enim habeo fratres mei & ipſe
ego de uobis, quod & ipſi pleni eſtis bonitate, im/
pleti omni ſcientia, ualentes etiam inuicem alius
alium admonere. Sed tamen audacius ſcripſi uobis
fratres, ex parte ueluti commoneſaciens uos, pro/
pter gratiam quæ data eſt mihi à deo, in hoc, ut ſim
miniſter Ieſu Chriſti in gentes, adminiſtrans Euan/
gelium dei, ut fiat oblatio gentium acceptabilis, ſan
ctificata per ſpiritũ ſanctũ. Habeo igitur quod glo/
rier per Chriſtũ Ieſum, in his quæ ad deũ pertinẽt.
Nõ enim auſim loqui quicquã eorũ, quæ non effecit
Chriſtus per me, in obedientiam gentium, uerbo &
facto per potentiam ſignorũ ac prodigiorũ, per po
tentiam ſpiritus dei, ut ab Hieruſalem & in circũ/
iacentibus regionibus, uſq; ad Illyricũ impleuerim
Euãgeliũ Chriſti, ita porrò annitẽs prædicare Euã
geliũ, nõ ubi nominatus erat Chriſtus, ut ne ſuper

alienum fundamentum ædificarem, sed quemadmo-
Esa.52 dum scriptum est: Quibus non est annunciatum de eo, uidebunt: & qui nõ audierant, intelligent. Quapropter & præpeditus sum sæpe, quo minus uenirem ad uos. Nunc uero cum nõ amplius habeam locum in regionibus his, desiderium autẽ habeam ueniendi ad uos multis iam annis, quandocunq; iter instituero in Hispaniam ueniam ad uos. Spero enim fore, ut istac iter faciens, uideam uos, & à uobis producar illuc, si tamen uestra consuetudine prius ex parte fuero expletus. Nunc autem proficiscor Hierosolymam ministrans sanctis. Visum est enim Macedoniæ & Achaiæ communicationem aliquam facere in pauperes sanctos, qui sunt Hierosolymis. Nam ita uisum est ipsis & debitores illorum sunt. Etenim si spiritualia sua communicauerunt gentibus, debẽt & hæ in carnalibus ministrare illis. Hoc igitur ubi perfecero, & obsignauero illis fructum hunc, reuertar per uos in Hispaniam. Scio nanque, quod ubi uenero ad uos, cũ plenitudine benedictionis Euangelij Christi uenturus sim. Obsecro autem uos fratres, per dominum nostrum Iesum Christum, & per dilectionem spiritus, ut me laborantem adiuuetis precationibus pro me ad deum, ut liberer ab incredulis in Iudæa, utq; ministeriũ hoc meũ, quod exhibebo Hierosolymis, acceptũ sit sanctis: ut cum gaudio

gaudio ueniam ad uos per uoluntatẽ dei, unaq; uobiscum refociller. Deus autẽ pacis sit cum omnibus uobis, Amen.

CAP. XVI

COmmendo autem uobis Phœben, sororẽ nostram, quæ est ministra ecclesiæ Cenchreen sis, ut illam suscipiatis in Christo: ita ut decet sanctos, & adsitis ei, in quocunq; uobis eguerit negocio. Nam hæc cum multis adfuit, tum mihi etiã ipsi. Salutate Priscam, & Aquilam, adiutores meos in Christo Iesu, qui pro anima mea suam ipsorum ceruicem supposuerunt. Quibus non ego solus gratias ago, sed & omnes ecclesiæ gentiũ. Item quæ in domo illorum est cõgregationem. Salutate Epænetum dilectum meũ, qui est primitiæ Achaiæ in Christo. Salutate Mariam, quæ multum laborauit erga nos. Salutate Andronicum, & Iuniam, cognatos meos, & conceptiuos meos, qui sunt insignes inter Apostolos, qui etiam ante me fuerunt in Christo. Salutate Ampliam dilectũ meum in domino. Salutate Vrbanum, adiutorem nostrum in Christo, & Stachyn dilectum meum. Salutate Apellam, probatum in Christo. Salutate eos qui sunt ex Aristobuli familiaribus. Salutate Herodionem cognatum meum. Salutate eos qui sunt ex Narcissi familiaribus, hos qui sunt in domino. Salutate Tryphænam & Tryphosam, quæ laborant in domino. Salutate Persidem dilectam

lectam,quæ multum laborauit in domino. Salutate Rufum electum in domino,& matrem illius ac meam.Salutate Asyncritũ,Phlegontem,Hermam,Patrobam,Mercurium,& qui cum his sunt fratres.Salutate Philologum & Iuliam, Nereum & sororem eius,& Olympam,& qui cum his sunt,omnes sanctos.Salutate uos inuicem cum osculo sancto. Salutant uos ecclesiæ Christi. Obsecro autẽ uos fratres, ut considueretis eos qui dissidia & offendicula cõtra doctrinã,quã uos didicistis,gignũt:et declinetis ab illis. Nã qui eiusmodi sunt,domino Iesu Christo non seruiunt,sed suo uentri, & per blandiloquentiã & assentationem decipiunt corda simplicium.Nam uestra obedientia ad omnes permanauit.Gaudeo igitur sanè de uobis. Sed uolo uos sapientes quidẽ esse ad bonum,synceros autem ad malum. Deus autem pacis conteret satanã sub pedes uestros breui. Gratia domini nostri Iesu Christi sit uobiscum. Salutãt uos Timotheus cooperarius meus, & Lucius,et Iason,& Sosipater,cognati mei.Saluto uos ego Tertius,qui scripsi epistolã in domino.Salutat uos Gaius hospes meus & ecclesiæ totius. Salutat uos Erastus,quæstor ærarius ciuitatis, & Quartus frater. Gratia domini nostri Iesu Christi sit cum omnibus uobis, Amen. Ei autem qui potens est uos confirmare secundum Euangelium meum,& præconium

Iesu

Iesu Christi, iuxta reuelationem mysterij, temporibus æternis taciti, manifestati uero nũc, & per scripturas propheticas iuxta delegationem æterni dei in obedientiam fidei, in omnes gentes patefacti, soli sapienti deo, per Iesum Christum, cui gloria in secula, Amen.

Ad Romanos missa fuit à Corintho per Phœben ministram Cenchreensis ecclesiæ.

IN EPISTOLAM AD CORINthios priorem argumentũ per Erasmũ Roterodamum.

CORINTHVS Achaiæ Metropolis olim erat, ob portuũ commoditatem (est enim Isthmos) emporiũ totius Achaiæ tũ celeberrimum, tum opulentißimum. Ferè fit autẽ, ut eiusmodi ciuitatũ mores multo sint corruptißimi, quod undique ex omni natione non tam mores quàm uitia soleant importari: & magnam uitæ licentiam, negociatorum genus sibi uindicat. Proinde Corinthij, tametsi prædicatione Pauli iampridem Euangelicam doctrinam accepissent, tamen adhuc ingenij uitæq; prioris uestigia nonnulla ac reliquiæ manebant, adeò ut periculum esset, ne per philo-

philoſophos,crucis prædicationem,ut humilem & indoctam faſtidientes,& pſeudapoſtolos ad Iudaiſmum inuitantes, à Chriſti ſynceritate alienarẽtur. Vſqueadeò arduares eſt, ab ijs in quibus natus ſis, & quibus diu aſſueueris, in alium hominem tranſformari. Quin diuus Hieronymus in præfatione ſecundi libri commentariorum,quos ſcripſit in epiſtolam ad Galatas, teſtatur ſua etiamnum ætate apud Achaicos,horum quæ Paulus Corinthijs obijcit extitiſſe reliquias. Cum hodie ſatis eſſe putemus aquula modo tingi,ut ſubito fiat Chriſtianus. Paulus igitur ſciẽs,nõ minoris eſſe uirtutis parta tueri, quàm paraße: filios ſuos,quos magno ſtudio Chriſto genuerat (nam ſeſquiannum apud illos egerat) pari ſtudio ad Chriſtum reuocat, & in Euangelica doctrina confirmat,nunc apoſtolica ſæuiens autoritate,corripiens,obiurgans,ac minitans deniq;,nũc paterno affectu blandiens atq; exhortans, & neceſſariæ reprehenſionis acrimoniam laudis admixtu leniens,& ſapientum medicorum exemplo,amarum abſinthij pharmacum prælito melle condulcans, ac ſingulis malis opportuna admouens remedia. Primum opulentiæ comes ſolet eße tumor ac ferocitas.Et inter feroces plerũq; factiones oriũtur, dum nullus alteri uult cedere, & ſe quiſq; potiorem ducit.Ad hæc opes comitatur luxus & gulæ ſtudium,

luxus

luxus libidinem comitem trahit. Porrò negociatorum peculiaris est auaritia. Neq; uero solum tumebant opibus, uerumetiam Græcanicæ philosophiæ supercilio, sine qua cæteros, ut Barbaros, despiciebant. Tumoris erat, quod ex dignitate apostolorũ, à quo quisq; fuerat baptizatus, efferrent sese. Hinc illæ dissidiorum uoces, ego Apollo, ego Cephæ, ego Pauli. Præterea quod ne in cõuenticulis quidem solennibus satis inter eos cõueniret, cum in donis spiritualibus sibi quisq; placeret, & dum in eodem do no sibi nollent inuicem cedere, tumultus & confusio nasceretur, adeo ut in publico conuentu mulieres etiam loquẽrentur ac docerent. Porrò luxus simul & tumoris erat, quod quoties ad sacrosanctã cœnam conuenirent, quam Paulus dominicã uocat, in qua maxime conueniebat præstare Christianam concordiam, diuites non expectatis tenuioribus, cibum caperent, & usq; ad temulentiam sese ingurgitarent, esurientibus cæteris, ut iam non solum dissidium illic esset & intemperantia, uerumetiam inde cora quædam inæqualitas, quam dominica cœna nesciebat. Iam partim tumoris, partim philosophiæ uitium erat, quod Paulum quidam illorum, ut tenuem atq; humilem, deinde ineloquentem, & imperitum fastidirent. Propriũ uero philosophiæ fuit, quod resurrectionem mortuorum, fidei nostræ basim, in

sim, in dubium uocarent. Luxus erat, quod promiscue uescerentur ijs, quæ tum simulacris dæmonum immolabantur, non uitato offendiculo infirmorum. Libidinis erat, quæ nusquam gentium regnabat impunitius quàm Corinthi, quod præter alia repertus sit inter eos, qui patris uxorem, hoc est, nouercam suam stupro contaminarit, nec huius autorem flagitij è suo contubernio profligarint, quodq; cum alijs flagitiosis Christianis commercium habuerint, nelut illorum uitijs fauentes. Huc pertinet, quod præter decorum & uiri essent comati, & mulieres non uererentur nudo capite conspici in cœtu ecclesiastico, uelut ipso corporis habitu mores effœminatos, ac delitias præ se ferentes. Auaritiæ erat, quod non de fama, neq; de capite, sed de re pecuniaria inter sese lites agitarent, eò glisscente pecuniæ studio, ut Christiani rerum eiusmodi contemptum professi, apud ethnicos & impios iudices litigarent, magno dedecore Christiani nominis. Et adeò non negligerent potius pecuniolæ iacturam, ut ipsi ultro alios in huiusmodi negocijs circũuenirent. Postremo de matrimonio inter sese dissentiebant, iam tum asseuerantibus quibusdam Christianis, in totum à cõiugio temperandum, cũ uiderent apostolos ab uxoribus suis abstinere. Morbos ostendi Corinthiorum, non omnium, sed quorundam, qui ne gregem uniuersum

contagio inficerent, Paulus his remedijs occurrit. Primo loco præfatus fiduciam ſuam de futura illorum cõſtantia in Euangelio Chriſti, ſeuerius obiurgat ac docet, ne per contentionem humanam in hominibus glorientur, ſed per concordiã ex æquo glorientur in Chriſto, cui uni accepta ferenda ſunt omnia, obiter indicans fontem eiuſmodi diſſidiorũ, animi tumorem eſſe. Proinde à ſupercilio mũdanæ philoſophiæ, ad crucis humilitatem reuocat, quæ licet oſtentationem non habeat, uim tamen & energiam habet. Indicat & autores huius mali pſeudapoſtolos, qui poſt Pauli abitum ſeſe ingerebant, declarãs ſe rectum iecisſe fundamentum, cauendum, ne illi ſuperſtruerent quod paulo poſt eſſet demoliendum, hoc eſt, ne quid diſcerent Corinthij, quod mox eſſet dediſcendum. Deinde ceu pater cum filijs expoſtulat, quod huc prouecti ſint magnitudinis, ut iam autorem ſuum uelut humilem contẽnant, nihil nõ per petiẽtẽ Euãgelij gratia, cui ob id ipſum magis etiã fauere cõueniebat. Hortatur autẽ filios, ne degenerent à patre, neu ultro ſe pædagogis in ſeruitutẽ dedant. Atq; hæc quidẽ potiſſimũ agit capite primo, ſecũdo, tertio, & quarto. Porrò quarti finis ad quinti initiũ mihi uidetur ptinere. De incesto præcipit, & publico cõſilio decernit, uitandã hominis cõſuetudinem: partim quo pudore correctus reſipiſcat,

partim

partim ne huius contactu cæteri inficiantur. Admonet autem, non hunc modo uitandum, uerumetiam omnes qui falso titulo Christiani manifestis flagitijs essent infames. Nam ethnicos flagitiosos non ita oportere uitari, uel quod nostra non referat, quales illi sint, uel quod passim essent flagitiosi, ut omnes uitandi fuerint ei, qui flagitiosos uellet effugere. Hæc agit capite quinto. Tertio de litibus admonet, si quid huiusmodi quæstionũ inter ipsos natum esset, quod ipsum tamen inter Christianos fœdum uideretur, ob pecuniam, quæ nobis debeat esse uilissima, contendere, ne res eò procedat, ut ethnici iudices adeantur, sed ipsi per arbitros quoscũq; rem inter se transigant. Idq; agit capite sexto, cuius magna pars ad septimum pertinet, mea quidem sententia: nimirum ab eo loco, quo de matrimonio tractaturus, inter cætera uitia scortationem, adulterium, & masculã Venerem damnat, idq; prosequitur sub initium proximi capitis: Nescitis quod membra uestra templa sunt Christi? Quarto loco præcipit de matrimonio, de uiduitate, de impari cõnubio, de diuortijs, de uirginitate: obiter admonẽs, ob susceptũ Christianismum non esse mutandum uitæ statum. Totoq; hoc sermone ita hortatur ad cœlibatum, & continentiam, ut tamen coniugij remedium nõ adimat ijs, quibus opus est. Hoc agitur capite septimo.

Quinto

Quinto, docet, carnes immolatas ſimulacris re nihil differre à cæteris carnibus, & tamen ab his abſtinendum, ſi periculum ſit, ne quis ethnicus, aut Chriſtianus infirmior, ex eo quod ueſceris, exiſtimet te ſimulacrorum aſſentiri culturæ. Ab his & huiuſmodi uitijs ueterum exemplo deterret. Idq; agit capite octauo, ac rurſus capite nono. Nam in medio expatiatur in commẽdationem ſui, tacite ſe præferens cæteris apoſtolis etiam ſummis, qui ſolus omnium Corinthijs gratis impartierit doctrinam Euangelicam. Sexto docet, quid oporteat obſeruari in cõuentu publico Chriſtianorũ, ne uiri ſint comati, ne mulieres nudo capillitio, tum in dominico conuiuio ſeruetur communitas & æqualitas, neq; enim illic agi negocium uentris, quod domi rectius agatur, ſed myſticis epulis repræſentari cœnam dominicã. Præterea monet, ne quis ob dotem ſpiritualem ſibi placeat, ſed ſuam quiſq; dotem in cõmune cõferat commodum, exemplo membrorum corporis, exhortãs, ut reliquis quidẽ donis, quæ contigerunt, recte utantur, præcipue tamen enitantur ad charitatem, ſine qua reliqua adeo nihil cõducant, ut officiant etiam. Porrò cum charitati primas tribuerit, proximas tribuit prophetiæ, ſic enim uocat enarrationem arcanæ ſcripturæ. In hac admonet uitandum eſſe tumultum & confuſionem. Id fore, ſi uiciſſim & pauci di-

eant, mulieribus interim ſilere iußis, adeò ut nec di
ſcendi gratia rogare liceat in cœtu. Hæc agit capi
te undecimo, duodecimo, decimotertio, & decimo
quarto. Septimo loco uarijs argumentis aſtruit re
ſurrectionem mortuorum, declarans, qualis & qui
bus modis ea ſit futura. Atq; id quidē capite decimo
quinto. Poſtremo capite familiaria quædā ſubijcit,
de collatione pecuniæ in ſubſidia pauperum, de ſuo
ad Corinthios reditu. Poſtremo Timotheū & alios
aliquot illis cōmendat. Diuus Ambroſius putat hāc
nō eße primā epiſtolā quā Paulus ſcripſerit Corin
thijs, hāc, opinor, cōiecturā ſecutus, q, capite quin
to, Scripſi, inquit, uobis in epiſtola, quaſi prius alte
ris literis ſup hac re ad illos ſcripſerit. Etiā ſi Græ
ci interpretes diſſentiūt. Hāc miſſam putāt p Timo
theū, cuius ſemel atq; iterū facit mentionē, ſimulq;
per Stephanā, Fortunatū, & Achaicū, quos illis cō
mēdat. Rurſus alij putāt ab Epheſo mißam, quod in
calce ſcribat: Permanebo aūt Epheſi uſq; ad Pente
coſten. Alij è Philippis, nā hāc inſcriptionē habent
Græcorū codices. Nec mihi coniectare licet, quid ſe
cuti ſint, qui ita ſenſerūt, niſi colligūt ex itinere ſcri
ptā, ob ea quæ ſcribit Paulus: ueniā aūt cū Macedo
niam pertranſiero, nam Macedoniam pertranſibo.
Ac mox: Nolo enim uos modo in tranſitu uidere.

ARGVMENTI FINIS

EPISTOLA PAVLI
APOSTOLI AD CORIN
THIOS PRIMA

AVLVS *uocatus apostolus Iesu Christi, per uoluntatem dei, & Sosthenes frater, ecclesiæ dei, quæ est Corinthi, sanctificatis per Christum Iesum, uocatis sanctis, unà cũ omnibus qui inuocant nomen domini nostri Iesu Christi in quouis loco, uel suo, uel nostro. Gratia uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratias ago deo meo semper pro uobis de gratia dei, quæ data est uobis per Christum Iesum, quod in omnibus ditati estis per ipsum, in omni sermone, et omni cognitione, quibus rebus testimoniũ Iesu Christi cõfirmatum fuit in uobis, adeò ut nõ destituamini in ullo dono, expectãtes reuelationẽ domini nostri Iesu Christi, qui et cõfirmabit uos usq; ad finẽ, inculpatos in die domini nostri Iesu Christi. Fidelis deus, per quẽ uocati estis in cõsortiũ filij ipsius Iesu Christi domini nostri. Obsecro aũt uos fratres, per nomẽ domini*

nostri Iesu Christi,ut idem loquamini omnes,& nõ sint inter uos dißidia,sed sitis integrum corpus eadem mente, & eadẽ sentẽtia.Significatum est enim mihi de uobis fratres mei,à familiarib. Chloæ,quod contentiones sint inter uos. Dico autem illud,quod unusquisq; uestrum dicit:Ego quidẽ sum Pauli, ego uero Apollo, ego uero Cephæ, ego uero Christi. Num diuisus est Christus? Num Paulus crucifixus est pro uobis?aut in nomine Pauli baptizati fuistis? Gratias ago deo,quod neminem uestrum baptizauerim,nisi Crispum & Gaium, ne quis dicat, quod in meo nomine baptizauerim. Baptizaui autem & Stephanæ familiam. Præterea haud scio,num quem alium baptizarim.Nõ enim misit me Christus,ut baptizarem,sed ut euangelizarem,non erudito sermone,ne inanis reddatur crux Christi.Nam sermo crucis,ijs quidem qui pereunt,stultitia est,at nobis qui salutem consequimur,potentia dei est.Scriptum est

Esa.29 *enim:Perdam sapientiam sapientium,& intelligen*

Abdiæ 1 *tiam intelligentium reijciam. Vbi sapiens?ubi scri-*

Esa.33 *ba?ubi disputator seculi huius?Nónne infatuauit deus sapientiam mundi huius? Nam postquàm in sapiẽtia dei, nõ cognouit mũdus per sapientiã deum, uisum est deo,per stultitiam prædicationis saluos facere credentes. Quandoquidem & Iudæi signũ postulant,& Græci sapientiam quærũt.Nos autẽ prædicamus*

dicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis uero stultitiam: sed ijsdem uocatis Iudæis, pariter & Græcis, Christũ dei potentiã, ac dei sapientiam. Quoniam stultitia dei sapiẽtior est quàm homines, et imbecillitas dei robustior est q̃ homines. Videtis enim uocationẽ uestrã fratres, quod non multi sapientes secundum carnem, nõ multi potentes, non multi claro genere nati, uerum quæ stulta erant secundum mundum, delegit deus, ut pudefaceret sapientes: & quæ erant imbecillia in mundo, delegit deus, ut pudefaceret ea quæ sunt robusta: & quæ ignobilia erant in mundo contemptaq́;, delegit deus: & ea quæ non erant, ut ea quæ sunt, obliteraret, ut ne gloriaretur ulla caro corã ipso. Ex eodẽ autem uos estis in Christo Iesu, qui factus fuit nobis sapiẽtia à deo, iustitiaq́;, & sanctificatio, & redemptiõ. Vt quemadmodum scriptũ est: Qui gloriatur, in domino glorietur.

CAP. II

ET ego cum uenirem ad uos fratres, nõ uenie/bam cum eminentia sermonis, aut sapientiæ, annuncians uobis testimonium dei. Non enim me iudicaui quicquam scire inter uos, nisi Iesum Christũ, & hunc crucifixum. Et ego per infirmitatem, & cum timore, ac in tremore multo apud uos uersatus sum, & sermo meus, & prædicatio mea, non erat in persuasorijs humanæ sapientiæ uerbis, sed in ostensione

ſione ſpiritus ac potentiæ,ut fides uestra non ſit in ſapientia hominum,ſed in potẽtia dei.Porrò ſapientiam loquimur inter perfectos: ſapientiam autem, non ſeculi huius,neq; principũ ſeculi huius, qui abolentur: ſed loquimur ſapiẽtiam dei in myſterio,quæ eſt recondita, quam præfinierat deus ante ſecula,in gloriam noſtram,quam nemo principum ſeculi huius cognouit. Nam ſi cognouiſſent, haudquaquã dominum gloriæ crucifixiſſent.Sed quemadmodũ ſcri
Eſa.64 ptum eſt:Quæ oculus non uidit,& auris non audiuit,& in cor hominis non aſcenderunt,quæ præparauit deus diligentibus ſe. Nobis autem deus reuelauit per ſpiritum ſuum.Spiritus enim omnia ſcrutatur, etiam profunditates dei. Quis enim hominum nouit ea quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis,qui eſt in eo? Sic & ea quæ ſunt dei, nemo nouit,niſi ſpiritus dei.Nos uero non ſpiritum mũdi accepimus,ſed ſpiritum qui eſt ex deo,ut ſciamus quæ à Chriſto donata ſint nobis, quæ & loquimur:non ſermonibus quos docet humana ſapientia, ſed quos docet ſpiritus ſanctus, ſpiritualibus ſpiritualia comparantes. Animalis autem homo nõ accipit ea, quæ ſunt ſpiritus dei:ſtultitia ſiquidem illi ſunt, nec poteſt cognoſcere, quod ſpiritualiter dijudicatur. At ſpiritualis dijudicat quidem omnia, ipſe uero à nemine dijudicatur. Quis enim cognouit mentem domini

mini, qui consilium daturus sit illi? Nos autem men-
tem Christi tenemus.

CAP. III

ET ego fratres, non potui loqui uobis, ut spi-
ritualibus, sed loquendum fuit ut carnalibus,
ut infantibus in Christo. Lactis potū uos alui, &
non cibo. Nondum enim poteratis, imò ne nunc qui-
dem adhuc potestis, nam adhuc carnales estis. Si-
quidem cum in uobis sit æmulatio & contentio, &
factiones, nónne carnales estis, & secundum homi-
nem ambulatis? Etenim cum dicat aliquis, ego qui-
dem sum Pauli, alter uero, ego Apollo, nónne car-
nales estis? Quis igitur est Paulus, quis autem
Apollo? nisi ministri, p quos credidistis, & ut cuiq;
dominus dedit. Ego plantaui, Apollo rigauit, sed
deus dedit incrementum. Itaq; neq; qui plantat est
aliquid, neque qui rigat, sed qui dat incrementum,
deus. Cæterum is qui plantat, & is qui rigat, unum
sunt. Vnusquisq; tamen suam mercedem accipiet, iu-
xta suum laborem. Etenim dei sumus cooperarij,
dei agricolatio, dei ædificatio estis iuxta gratiam
dei, quæ data est mihi. Vt sapiens architectus funda-
mentum posui, alius autem super illud ædificat. Por-
rò quisq; uideat quomodo superstruat. Nam funda-
mentū aliud nemo potest ponere, præter hoc quod
positū est, quod est Iesus Christus. Quod si quis su-

perſtruit ſuper fundamentum hoc, aurum, argentũ, lapides precioſos, ligna, fœnum, ſtipulam, cuiuſq; opus manifeſtum fiet. Dies enim declarabit, quod in igne reuelatur, & cuiuſq; opus quale ſit, ignis probabit. Si cuius opus mãſerit, quod ſuperſtruxit, mercedem accipiet: ſi cuius opus exuſtũ fuerit, damnũ patietur, ipſe uero ſaluus fiet, ſed ſic, tanquam per ignem. An neſcitis quod templum dei eſtis, & ſpiritus dei habitat in uobis? Si quis templum dei profanat, hunc perdet deus. Nam templum dei ſanctũ eſt, quod eſtis uos. Ne quis ſeipſum fallat. Si quis ſibi uidetur ſapiẽs eſſe inter uos, in ſeculo hoc ſtultus fiat, ut reddatur ſapiens. Etenim ſapientia mundi huius, ſtultitia eſt apud deum. Scriptũ eſt enim: Qui comprehendit ſapientes in aſtutia ipſorum. Et rurſum: Dominus nouit cogitationes ſapientium, quod ſint uanæ. Itaq; ne quis glorietur in hominibus. Omnia nanq; ueſtra ſunt, ſiue Paulus, ſiue Apollos, ſiue Cephas, ſiue mundus, ſiue uita, ſiue mors, ſiue præſentia, ſiue futura, omnia, inquam, ueſtra ſunt, uos autem Chriſti, Chriſtus uero dei.

Rom. 1
Iob 5
Pſal. 93

CAP. IIII

2. Cor. 6

Sic nos æſtimet homo, ut miniſtros Chriſti & diſpenſatores myſteriorũ dei. Quod ſupereſt autem illud requiritur in diſpenſatoribus, ut fidus aliquis reperiatur. Mihi uero pro minimo eſt, ut à uobis

bis dijudicer, aut ab humano iudicio, imò nec me/ ipsum dijudico. Nullius enim rei mihi conscius sum, sed non per hoc iustificatus sum. Cæterum qui me iudicat, dominus est. Proinde ne ante tempus quic/quam iudicetis, donec uenerit dominus, qui & illu/straturus est occulta tenebrarum, & patefaciet con silia cordium, ac tunc laus erit unicuiq; à deo. Hæc autem fratres per figuram transtuli in meipsum, & in Apollo, propter uos, ut in nobis discerctis, ne qs supra id quod scriptum est, de se sentiat, ut ne hic il/lius, ille huius nomine inflemini, alius aduersus aliũ. Quis enim te dijudicat? Quid autẽ habes, quod non accepisti? Quod si etiam accepisti, quid gloriaris, quasi non acceperis? Iam saturati estis, iam ditati estis, absq; nobis regnũ adepti estis, atq; utinã sanè adepti sitis, ut et nos simul uobiscũ regnemus. Arbi tror enim quod deus nos, qui sumus apostoli postre mi, ostenderit tanquam morti addictos. Quoniã spe ctaculum facti sumus mundo, & angelis, & homini bus. Nos stulti propter Christũ, uos autem pruden/tes per Christũ, nos imbecilles, uos autẽ ualidi, uos clari, nos cõtempti. Ad hoc usq; tẽpus & esurimus, & sitimus, et nudi sumus, & colaphis cædimur, & incertis uagamur sedibus, & laboramus operantes proprijs manibus: male audientes, benedicimus: per secutionem patientes, sustinemus: conuicijs affecti,

obſecramus: ueluti excrementa mundi facti ſumus, omnium reiectamentum ad hunc uſque diem. Non quo uos pudore ſuffundam hæc ſcribo, ſed ut filios meos dilectos admoneo. Nam etiam ſi innumeros pædagogos habeatis in Chriſto, non multos tamen habetis patres. Siquidem in Chriſto Ieſu, per Euangelium ego uos genui. Adhortor itaq; uos, ut imitatores mei ſitis. Hac de cauſa miſi uobis Timotheũ, qui eſt filius meus dilectus, & fidelis in domino, qui uobis in memoriam reducet uias meas, quæ ſunt in Chriſto, quemadmodum ubiq; in omni eccleſia doceo. Perinde quaſi non ſim uenturus ad uos, inflati ſunt quidã. Sed ueniam brcui ad uos, ſi dominus uoluerit, & cognoſcam non ſermonem iſtorũ qui inflati ſunt, ſed uirtutem. Non enim in ſermone regnũ eſt dei, ſed in uirtute. Quid uultis? Cum uirga uenio ad uos, an cum charitate, & ſpiritu lenitatis.

CAP. V

OMnino auditur inter uos ſtuprũ, et huiuſmodi ſtuprũ, quod nec inter gẽtes nominatur, ut aliquis uxorẽ patris habeat. Et uos inflati eſtis, ac nõ potius luxiſtis, ut tolleretur de medio ueſtrũ, Col. 2 q̃ facinus hoc perpetraſſet. Nã ego quidẽ, ut abſens corpore, præſens autẽ ſpiritu, iã decreui tãquã præſens, ut is qui ſic hoc patrauit, in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, cõgregatis uobis & meo ſpiritu, unà

unà cũ potestate domini nostri Iesu Christi, tradatur satanæ ad interitum carnis, quo spiritus saluus sit in die domini Iesu. Nõ est bona gloriatio uestra. An nescitis, quod paululũ fermenti totam cõsperſionem fermentat? Expurgate itaq; uetus fermentum, ut sitis noua cõsperſio, sicut estis infermentati. Nam et pascha nostrũ pro nobis immolatus est Christus. Itaq; festũ celebremus, nõ in fermento ueteri, nec in fermẽto maliciæ et uersutiæ, sed in panibus fermẽto carentibus, hoc est, synceritate & ueritate. Scripsi uobis per epistolã: Ne cõmisceremini cũ scortatoribus, ac nõ omnino cũ scortatoribus mũdi huius, aut cũ auaris, aut cũ rapacibus, aut simulachrorũ cultoribus: Alioqui utinã uidelicet è mũdo exißetis. Nũc autẽ scripsi uobis, ne cõmisceamini. Si quis, cum frater appellctur, fuerit scortator, aut auarus, aut simulachrorũ cultor, aut cõuiciator, aut ebriosus, aut rapax, cũ eiusmodi ne cibum quidẽ capiatis. Quid enim ad me attinet, etiã de his qui foris sunt iudicare? Nónne de his qui intus sunt, iudicatis? Eos uero qui foris sunt, deus iudicat. Etiam profligate istum qui malus est, ex uobisipsis.

CAP. VI

AVstinet aliquis uestrum, negociũ habens cum altero, iudicari sub iniustis, & non magis sub sanctis? An nescitis, quod sancti mundum iudicabunt? Et si per uos iudicatur mundus, indigni estis mini-

minimis iudicijs? An neſcitis, quod angelos ĩudicabimus,nõ tantum iſta quæ ad uictũ pertinent? Proinde iudicia ſi quidem habueritis de ijs,quæ ad uitæ uſum attinent,qui cõtempti ſunt in eccleſia,eos conſtituite. Ad erubeſcentiam ueſtrã dico. Adeo nõ eſt inter uos ſapiens? Ne unus quidem,qui poßit dijudicare inter fratrem ſuũ & fratrem? Sed frater cum fratre litigat,idq; ſub infidelibus? Itaq; iam quidem omnino delictum in uobis eſt, quod lites habetis inter uos inuicem. Cur nõ potius iniũriam patimini? cur non potius damnum accipitis? imò uos iniuriã facitis,& damno afficitis,idq; fratres? An neſcitis, quod iniuſti regni dei hæreditatem non conſequentur? Ne erretis. Neq; ſcortatores, neq; cultores ſimulachrorũ,neq; adulteri,neq; molles, neq; qui concumbunt cum maſculis,neq; fures,neq; auari,neque ebrioſi,neq; maledici,neq; rapaces,regni dei hæreditatem accipient. Atq; hæc eratis quidam,ſed abluti eſtis,ſed ſanctificati eſtis,ſed iuſtificati eſtis per nomen domini Ieſu,& per ſpiritum dei noſtri. Omnia mihi licent,at non omnia conducunt. Omnium mihi poteſtas eſt,at ego non redigar ſub ullius poteſtatem. Eſcæ uentri deſtinatæ ſunt, & uenter eſcis, deus autem & hunc & illas abolebit. Corpus uero non ſtupro,ſed domino, & dominus corpori. Deus autem & dominum ſuſcitauit,& nos ſuſcitabit per

potentiam ſuam. An neſcitis, quod corpora uestra membra ſunt Chriſti? Num igitur tollens membra Chriſti, faciam ſcorti membra? Abſit. An neſcitis, quod qui adglutinatur ſcorto, unum corpus eſt? Redigentur enim, inquit, duo in carnem unam. At qui adglutinatur domino, unus ſpiritus eſt. Fugite ſcortationem. Omne peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt. Sed qui ſcortatur, in proprium corpus peccat. An neſcitis, quod corpus uestrum templum eſt habitantis in uobis ſpiritus ſancti, quem habetis à deo, & nõ eſtis ipſi uestri iuris? Nam empti eſtis precio. Glorificate iam deum in corpore uestro, & in ſpiritu uestro, quæ ſunt dei.

CAP. VII

CAeterum de quibus ſcripſiſtis mihi: Bonum eſt homini uxorem non attingere. Attamen propter ſtupra uitanda, ſuam quiſque uxorem habeat, & ſuum quæq; uirum habeat. Vxori uir debitam beneuolentiã reddat: Similiter autem & uxor uiro. Vxor proprij corporis ius non habet, ſed maritus. Similiter & maritus proprij corporis ius nõ habet, ſed uxor. Ne fraudetis uos inuicẽ, niſi ſi quid ex conſenſu, pro tempore, ut uacetis ieiunio & precationi, & rurſum in unum conueniatis, ne tentet uos ſatanas propter intemperantiam ueſtram. Hoc autem dico iuxta indulgentiam, nõ iuxta præceptum

ceptum Nam uelim omnes homines esse, ut & ipse sum. Sed unusquisq; proprium donũ habet ex deo, alius quidem sic, alius autem sic. Dico autem inconiugatis & uiduis, bonum eis est, si manserint, ut & ego. Quod si se non continent, contrahant matrimonium. Nam satius est matrimoniũ cõtrahere, quàm uri. At coniugatis præcipio, nõ ego, imò dominus: Vxor à uiro ne separetur, quod si separata fuerit, maneat innupta, aut marito reconcilietur, & maritus uxorem ne dimittat. Reliquis autẽ ego dico, nõ dominus: Si quis frater uxorem habet infidelem, & hæc assentitur ut habitet cum illo, ne dimittat eam: & mulier quæ habet maritũ infidelem, & is assentitur, ut habitet cum ea, ne dimittat illum. Sanctificatus est enim maritus incredulus per uxorem, & sanctificata est uxor incredula per maritum. Alioqui filij uestri immundi essent, nunc autem sancti sunt. Quod si incredulus discedit, discedat. Non est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi, sed in pace uocauit nos deus. Qui nanq; scis mulier, an maritum sis seruatura? Aut qui scis uir, an uxorem sis seruaturus? Vtcunq; fuerit, unusquisq; ut ipsi partitus est deus, unusquisq; ut illum uocauit dominus, ita ambulet: & sic in ecclesijs omnibus ordino. Circuncisus aliquis uocatus est? ne accersat præputiũ. In præputio aliquis uocatus est? ne circuncidatur.

Eph.4

Circum-

Circunciſio nihil eſt,& præputium nihil eſt,ſed obſeruatio mandatorum dei. Vnuſquiſq; in ea uocatione,in qua uocatus fuit, maneat. Seruus uocatus es? ne ſit tibi curæ: quin etiam ſi potes liber fieri, potius utere. Etenim q in domino uocatus eſt ſeruus, libertus domini eſt. Similiter & qui liber uocatus fuit,ſeruus eſt Chriſti. Precio empti fuiſtis,nolite fieri ſerui hominum. Vnuſquiſque in eo, in quo uocatus fuit,fratres, maneat apud deum. De uirginibus autem præceptum domini non habeo,conſilium tamen do,tanquam miſericordiam conſequutus à domino, in hoc ut ſim fidelis. Arbitror igitur hoc bonum eſſe propter præſentem neceßitatem. Nam bonum eſt homini ſic eſſe. Alligatus es uxori? ne quære diuortium. Solutus es ab uxore? ne quæras uxorem. Quod ſi duxeris uxorem,nõ peccaſti. Et ſi nupſerit uirgo,non peccauit. Attamen afflictionem in carne habituri ſunt huiuſmodi. Ego uero uobis parco. Cæterum illud dico fratres, tempus contractum eſt: ſupereſt, ut qui habent uxores, ſint tanquam non habeant: & qui plorant,tanquam non plorent: & qui gaudent, tanquam non gaudeant: & qui emunt,tanquam non poßideant: & qui utũtur mundo hoc,tanquã non utantur. Præterit enim habitus huius mundi. Velim autẽ uos abſq; ſollicitudine eſſe. Qui cœlebs eſt,curat ea quæ ſunt domini: quomodo pla-

do placiturus ſit domino. At qui duxit uxorem, ſollicitus eſt de his quæ ſunt mundi, quomodo placiturus ſit uxori. Diuiſa ſunt hæc duo, mulier & uirgo. Innupta curat ea, quæ ſunt domini, ut ſit ſancta, cũ corpore, tum ſpiritu. Contrà, quæ nupta eſt, curat ea quæ ſunt mũdi, quomodo placitura ſit uiro. Hoc autem ad id, quod uobis conducibile eſt, dico: non uti laqueum uobis iniiciam, ſed ut quod honeſtum ac decorum eſt, ſequamini, & adhæreatis domino, abſq; ulla diſtractione. Quod ſi quis indecorum uirgini ſuæ putat, ſi prætereat nubendi tempus, & ſic oportet fieri: quod uult faciat, non peccat, iungantur matrimonio. Cæterũ, qui ſtat firmus in corde, non habens neceſsitatem, ſed poteſtatem habet propriæ uoluntatis, & hoc decreuit in corde ſuo, ut ſeruet ſuam uirginem, bene facit. Itaq; qui elocat nuptum, bene facit. Attamen, qui non elocat nuptum, melius facit. Vxor alligata eſt matrimonio, quamdiu uiuit maritus eius. Quod ſi dormierit maritus illius, libera eſt ad cui uelit nubendum, modo in domino. Attamen beatior eſt, ſi ſic maneat, iuxta meã ſententiam. Opinor autem quod & ipſe ſpiritum dei habeam.

Rom. 7

CAP. VIII

CAeterũ de his quæ ſimulachris immolãtur, ſcimus, quod omnes ſcientiã habemus. Scientia inflat, charitas uero ædificat. Quod ſi quis ſibi uidetur

uidetur aliquid ſcire, nondũ quicquam nouit, quem/admodum oporteat ſcire. At ſi quis diligit deum, hic cognitus eſt ab illo. De eſu igitur eorum quæ ſimulachris immolantur, ſcimus, quod nullũ eſt ſimulachrũ in mundo: & quod nullus ſit deus alius, niſi unus. Nã etiamſi ſunt qui dicantur dij, ſiue in cœlo, ſiue in terra, quemadmodũ ſunt dij multi, & domini multi: nobis tamen unus eſt deus, qui eſt pater ille, ex quo omnia, & nos in illum: & unus dominus Ieſus Chriſtus, per quem omnia, & nos per illum: ſed non in omnibus eſt ſcientia. Nonnulli uero cum conſcientia ſimulachri uſq; ad hoc tempus, tanquam ſimulachris immolatum edunt: & conſcientia illorum infirma cum ſit, polluitur. Atqui eſca nos non cõmendat deo, neq; ſi comedamus, aliquid nobis ſupereſt: neq; ſi non comedamus, quicquam nobis deeſt. Sed uidete, ne quo modo facultas iſta ueſtra offendiculo ſit his, qui infirmi ſunt. Etenim ſi quis conſpexerit te, qui habes ſcientiam, in epulo ſimulachrorum accumbentem, nónne conſcientia eius, qui infirmus eſt, ædificabitur ad edendum ea, quæ ſunt ſimulachris immolata? Et peribit frater, qui infirmus eſt, in tua ſcientia, propter quem Chriſtus fuit mortuus. Sic autem peccantes in fratres, & uulnerantes illorum conſcientiam infirmam, in Chriſtum peccatis. Quapropter ſi eſca offendit fratrem meũ, haudquaquam, ueſcar carnibus

in æternum, ne fratri meo sim offendiculo.

CAPVT IX

AN non sum apostolus? an nõ sum liber? an nõ Iesum Christum dominum nostrum uidi? an non opus meum uos estis in domino? Si cæteris non sum apostolus, at sanè uobis sum. Siquidem sigillum apostolatus mei, uos estis in domino. Mea responsio apud eos qui me interrogant, hæc est: An non habemus potestatem edendi ac bibendi? An non habemus potestatẽ, sororem mulierem circunducendi, quemadmodũ & cæteri apostoli, & fratres domini, & Cephas? aut solus ego et Barnabas nõ habemus potestatem hoc faciẽdi? Quis militat suis stipendijs unquã? quis plantat uineam, & de fructu eius non edit? Aut quis pascit gregem, & de lacte gregis nõ edit? Num secundum hominem hæc dico? An non & lex eadem
Deut.25 dicit? Etenim in Mosi lege scriptum est: Non obliga bis os boui trituranti. Num boues curæ sunt deo? An hoc propter nos omnino dicit? propter nos enim hoc scriptum est, quod sub spe debeat is, qui arat, arare: & qui triturat sub spe, spei suæ particeps esse debeat: si nos uobis spiritualia seminauimus, magnum est, si nos uestra carnalia messuerimus? Si cæteri potestatis erga uos participes sunt, cur non potius nos? Atqui nõ usi fuimus potestate ista, sed omnia sufferimus, ne quod offendiculum demus euangelio Christi.

An

An neſcitis quod ij qui in ſacris operantur, ex ſacrificio uiuunt? Qui ſacrario aſsiſtũt, unà cum ſacrario partem accipiunt? Sic & dominus ordinauit, ut qui euangelium annunciant, ex euangelo uiuant. Ego tamen nullo horũ uſus fui. Quanquam nõ ſcripſi hæc, ut ita fiat in me. Nam bonum eſt mihi mori potius, quàm ut gloriationẽ meam aliquis inanẽ reddat. Etenim ſi euangelizem, non eſt quod glorier. Neceſsitas enim mihi incumbit. Væ autẽ mihi eſt, niſi euangelizem. Nam ſi uolens hoc faciam, præmium habeo: ſin inuitus, diſpenſatio cõmiſſa eſt mihi. Quod igitur mihi eſt præmium? Vt cum euangelizem, gratuitũ efficiam euangelium Chriſti, in hoc, ne abutar poteſtate mea in euangelio. Etenim cum liber ſim ab omnibus, omnibus meipſum ſeruum feci, quo plureis lucrifaciam: & factus ſum Iudæis, quaſi Iudæus, ut Iudæos lucrifaciam: his qui ſub lege ſunt, quaſi ſim ſub lege, ut eos qui ſub lege ſunt, lucrifaciam: his qui ſine lege ſunt, tanquam ſim ſine lege, cũ nõ ſim ſine lege deo, ſed obnoxius legi Chriſti, ut lucrifaciam eos qui ſunt ſine lege. Factus ſum infirmis quaſi infirmus, ut infirmos lucrifaciam. Omnibus factus ſum omnia, ut omnino aliquos ſeruem. Hoc autem facio propter euangelium, ut particeps illius fiam. An neſcitis, quod qui in ſtadio currũt, omnes quidem currũt, ſed unus accipit præmium? Sic currite, ut comprehendatis.

Omnis autẽ qui certat, per omnia temperans est: ill
quidem igitur, ut perituram coronam accipiant, no
autem ut æternam. Ego itaq; sic curro, ut non in in
certum: sic pugilem ago, non uelut aërem feriens, u
rum subijcio corpus meum, & in seruitutem redigo
ne quo modo fiat, ut cum alijs prædicarim, ipse re
probus efficiar. CAP. X

Exod.13 NOlim autem uos ignorare fratres, quod pa
Exod.14 tres nostri omnes sub nube erant, & omne
per mare transierunt, & omnes in Mosen baptizat
Exod.16 sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam sp
Exod.17 ritualem comedebant, & omnes eundem potum spi
ritualem bibebant. Bibebant enim de spirituali, qu
illos comitabatur, petra: petra uero fuit Christus.
Nume.20 Sed plures illorum non approbauit deus, Prostrat
enim sunt in deserto. Hæc autẽ figuræ nostri fuerũt
ne nos simus concupiscentes rerum malarum, quem
admodum & illi concupierũt. Neq; simulachrorum
sitis cultores, sicuti quidam illorum, quemadmodum
Exod.32 scriptum est: Sedit populus ut ederet ac biberet, &
surrexerunt ad ludendum. Neq; stupris inquinemur
Nume.25 sicuti quidam illorum stupris polluti sunt, & conci
derunt uno die uiginti tria milia. Neque tentemu
Nume.21 Christum, sicut & quidam illorum tentauerunt, &
à serpentibus extincti sunt. Neque murmuretis sicut
& quidam illorum murmurauerunt, & interempt
sunt

ſunt ab extinctore. Hæc autem omnia figuræ conti/
gerunt illis . Scripta uero ſunt propter admonitio/
nem noſtri,in quos termini ætatum inciderunt.Pro/
inde qui ſibi uidetur ſtare,uideat ne cadat.Tentatio
uos nõ cepit,niſi humana.Sed fidelis eſt deus, qui nõ
ſinet uos tentari , ſupra id quod poteſtis, imò faciet
unà cum tentatione euentum, quo poßitis ſufferre.
Quapropter dilecti mei,fugite ab ſimulacrorum cul
tu,ut prudentibus loquor , iudicate uos quod dico.
Poculum benedictionis,cui benedicimus, nónne com
municatio ſanguinis Chriſti eſt?Panis quem frangi/
mus,nónne communicatio corporis Chriſti eſt?Quo
niam unus panis,unũ corpus multi ſumus.Nam om/
nes ex eodem pane participamus . Videte Iſraëlem
iùxta carnem.Nónne qui edunt uictimas, participes
ſacrarij ſunt?Quid ergo dico,quod ſimulacrum ali/
quid ſit?aut quod ſimulacris immolatum aliquid ſit?
Non, uerum illud dico , quod quæ immolant gentes,
dæmonijs immolant,& nõ deo. Nolim autem uos cõ
ſortes dæmoniorum eſſe.Non poteſtis poculum domi
ni bibere,& poculum dæmoniorũ.Non poteſtis men
ſæ domini participes eſſe,& menſæ dæmoniorũ. An
prouocamus dominum ? num fortiores illo ſumus ?
Omnia mihi licent at non omnia conducunt. Omnia
mihi licent , ſed non omnia ædificant . Nemo quod
ſuum eſt,quærat,ſed quiſq; quod alterius eſt.Omne

quod in macello uenditur edite, nihil interrogàn-
tes propter conſcientiam. Domini ſiquidem eſt ter-
ra, & plenitudo eius. Quod ſi quis uocat uos infide-
lium, & uultis ire, quicquid apponitur uobis, edite,
nihil interrogantes propter conſcientiam. Quod ſi
quis uobis dixerit, hoc ſimulacris immolatum eſt, ne
edatis propter illum qui indicauit, & propter con-
ſcientiam. Domini ſiquidem eſt terra, & plenitudo
eius. Porrò conſcientiam dico, non tuam, ſed illius al
terius. Cur enim libertas mea iudicatur ab alia con-
ſcientia? Quod ſi ego cum gratia participo, cur ob
Coloſſ.3 id mihi male dicitur, pro quo ego gratias ago? Siue
igitur editis, ſiue bibitis, ſiue quid facitis, omnia in
gloriam dei facite. Tales eſtote, ut nullum præbea-
tis offendiculum, neq; Iudæis, neq; Græcis, neq; eccle-
ſiæ dei: quemadmodum ego per omnia omnibus pla-
ceo, non quærens meam ipſius utilitatem, ſed multo-
rum, ut ſalui fiant. CAP. XI

IMitatores mei eſtote, ſicut & ego Chriſti. Collau
do autem uos fratres, quod omnia mea memoria
tenetis: & quemadmodum tradidi uobis, inſtituta te
netis, Sed uolo uos ſcire, quod omnis uiri caput Chri
Ephe.5 ſtus eſt. Caput autem mulieris uir, caput uero Chri-
ſti deus. Omnis uir orans, aut prophetans, quicquàm
habens in capite, probro afficit caput ſuum. Omnis
uero mulier orans aut prophetans non uelato capi-
te,

te, dehonestat caput suum. Nam id perinde est prorsus, ac si rasa esset. Etenim si non uelatur mulier, etiam tondeatur. Quod si fœdũ est mulieri tonderi aut radi, ueletur. Vir quidem non debet uelare caput, cum is imago sit & gloria dei. At mulier gloria uiri est. Non enim est uir ex muliere, sed mulier ex uiro. Neq; enim cõditus est uir propter mulierem, sed mulier propter uirum. Propter hoc debet mulier potestatem habere in capite, propter angelos, alioqui neque uir absq; muliere, neq; mulier absq; uiro in domino. Nam quemadmodũ mulier ex uiro est, ita & uir per mulierem: omnia uero ex deo. Inter uosipsos iudicate: num decorũ est, mulierem non uelatam, deum orare? An ne natura quidẽ ipsa hoc docet uos, quod uiro quidem, si comatus fuerit, probro sit? cõtra, mulieri si comata fuerit, gloriæ sit? eo quod coma pro uelamine data sit. Cæterum, si quis uidetur cõtentiosus esse, nos huiusmodi consuetudinem non habemus, neq; ecclesiæ dei. Illud tamen præcipiens non laudo, quod non in melius, sed in deterius conuenitis. Nam primũ quidem, cum cõuenitis in ecclesia, audio dissidia in uobis esse, & aliqua ex parte credo. Oportet enim & sectas in uobis esse, quo qui probati sunt, manifesti fiant inter uos. Igitur cum conuenitis in eundem locum, nõ licet dominicam cœnam edere, quod unusquisq; propriã cœnã occupat in edendo. Et hic

quidem esurit, ille uero ebrius est. Num sanè domos nõ habetis ad edendum & bibendum? An ecclesiam dei contemnitis, & pudefacitis eos qui non habent? Quid uobis dicam? Laudabo uos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à domino, quod & tradidi uobis, quod dominus Iesus, in ea nocte qua traditus est, accepit panem: & postquam gratias egisset, fregit, ac
Matth.26 dixit: Accipite, edite: Hoc meũ est corpus, quod pro uobis frangitur, hoc facite in mei cõmemorationem. Ad eundem modum & poculum, peracta cœna, dicens: Hoc poculum nouum testamentum est in meo sanguine, hoc facite, quotiescunq; biberitis, in mei cõmemorationem. Quotiescunq; enim comederitis panem hunc, & de poculo hoc biberitis, mortẽ domini annũciatis, donec uenerit. Itaq; quisquis ederit panẽ hunc, aut biberit de poculo domini indigne, reus erit corporis & sanguinis domini. Probet autem homo seipsum, & sic de pane illo edat, & de poculo illo bibat. Nam qui edit aut bibit indigne, iudicium sibijpsi edit & bibit, non dijudicans corpus domini. Propter hoc inter uos multi imbecilles & inualidi, & dormiunt multi. Etenim si nosipsos dijudicassemus, hauquaquàm iudicati fuissemus. At cum iudicamur, à domino corripimur, ne cum mundo condemnemur. Itaq; fratres mei, cum conuenitis ad comedendũ, alius aliũ expectate. Quod si quis esurit, domi edat, ne ad condemnationem

demnationem conueniatis. Cætera uero, cum uene/ro, diſponam.

CAP. XII

PORRÒ de ſpiritualibus fratres, nolo uos ignora/re. Scitis quod gentes fuiſtis, & ad ſimulacra muta utcunque ducebamini equentes. Quapropter notum uobis facio, quod nullus per ſpiritum dei lo/quens, dicit anathema Ieſum, & nemo poteſt dicere dominum Ieſum niſi per ſpiritum ſanctum. Diuiſio/nes autem donorum ſunt, ſed idem ſpiritus, & diui/ſiones miniſteriorum ſunt, & idem dominus, & diui ſiones operationum ſunt, ſed idem eſt deus, efficiens omnia in omnibus. Vnicuiq; uero datur manifeſtatio ſpiritus ad id quod expedit. Nam huic quidem per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ, alij uero ſermo ſcien tiæ ſecundum eundem ſpiritū, alij uero fides per eun dem ſpiritum, alij uero dona ſanationū per eundem ſpiritum, alij uero efficaciæ potentiarū, alij uero pro phetia, alij uero diſcretiones ſpiritum, alij uero gene ra linguarum, alij uero interpretatio linguarum, ſed omnia hæc efficit unus ille & idem ſpiritus, diuidens peculiariter unicuique ſicuti uult. Quemadmodum enim corpus unum eſt, & membra habet multa, om/nia uero membra corporis unius, multa cum ſint, unum ſunt corpus, ſic & Chriſtus. Etenim per unum ſpiritū nos omnes in unum corpus baptizati ſumus, ſiue Iudæi, ſiue Græci, ſiue ſerui, ſiue liberi, & omnes

unum ſpiritũ hauſimus. Etenim corpus nõ eſt unum membrum,ſed multa.Si dicat pes,non ſum manus;nõ ſum de corpore:num idcirco non eſt de corpore? Et ſi dicat auris,non ſum oculus, non ſum de corpore: num ideo non eſt de corpore? Si totum corpus oculus,ubi auditus?Si totum auditus,ubi olfactus?Nunc autem deus poſuit membra,unumquodq; ſingulatim in corpore,quemadmodũ uoluit. Quod ſi eſſent omnia unum membrum,ubi corpus?Nunc autem multa quidem membra, unum uero corpus. At non poteſt oculus dicere manui, nõ eſt mihi opus te:aut rurſum caput pedibus,nõ eſt mihi opus uobis:imò multo potius,quæ uidentur membra corporis imbecilliora eſſe,neceſſaria ſunt:& quæ putamus minus honeſta eſſe corporis,his honorem uberiorem apponimus: & indecora noſtri copioſiorem decorem habent.Cæterum quæ decora ſunt noſtri,non indigent:ſed deus ſimul temperauit corpus,ei cui deerat,copioſiorẽ addens honorem,ne ſit diſſidiũ in corpore,ſed inuicem alia pro alijs eandem ſolicitudinem gerant membra. Et ſiue patitur unum membrum,ſimul patiuntur omnia membra, ſiue glorificatur unum membrum, ſimul gaudent omnia membra. Vos autem eſtis corpus Chriſti, & membra ex parte. Et alios quidem poſuit deus in eccleſia,primum apoſtolos,deinde prophetas,tertio doctores,deinde poteſtates,deinde do

na

na ſanationum, ſubſidia, gubernationes, genera lin/ guarum. Num omnes apoſtoli? num omnes prophe/ tæ? num omnes doctores? num omnes poteſtates? num omnes dona habent ſanationum? num omnes linguis loquuntur? num omnes interpretantur? Se/ ctemini uero dona potiora. Et adhuc his excellentio rem uiam uobis oſtendo.

CAPVT XIII

SI linguis hominum loquar & angelorum, chari tatem autẽ non habeam, factus ſum æs reſonans, aut cymbalum tinniens. Et ſi habeam prophetiã, & nouerim myſteria omnia, omnemq; ſcientiam, & ſi habeam omnem fidem, adeo, ut montes loco dimoue/ am, charitatem autem nõ habeam, nihil ſum. Et ſi in/ ſumam in alimoniã omnes facultates meas, & ſi tra/ dam corpus meum, ut comburar, charitatem autem non habeam, nihil utilitatis capio. Charitas patiens eſt, benigna eſt, charitas non inuidet, charitas nõ eſt procax, non inflatur, non eſt faſtidioſa, non quærit quæ ſua ſunt, non iritatur, non cogitat malum, non gaudet de iniuſticia, ſed congaudet ueritati, omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. Charitas nunquam excidit, ſiue prophetiæ abolebun tur, ſiue linguæ ceſſabunt, ſiue ſcientia abolebitur. Ex parte enim cognoſcimus, & ex parte prophetа/ mus. Aſt ubi uenerit quod perfectũ eſt, tunc quod ex

parte

parte est, abolebitur. Cum essem puer, ut puer loquebar, ut puer sentiebam, ut puer cogitabam. At ubi factus sum uir, aboleui puerilia. Cernimus enim nunc per speculum in ænigmate, tunc autem facie ad faciem: nunc cognosco ex parte, tunc uero cognoscam quemadmodum & cognitus sum. Nunc autem manet fides, spes, charitas, tria hæc, sed maxima in his charitas.

CAP. XIIII

SEctemini charitatem, æmulemini spiritualia, magis tamen ut prophetetis. Nam qui loquitur lingua, non hominibus loquitur, sed deo, nullus enim audit, spiritu uero loquitur mysteria. Cæterum qui prophetat, hominibus loquitur ædificationem, & exhortationem, & cõsolationem. Qui loquitur lingua, seipsum ædificat, at qui prophetat, congregationẽ ædificat. Volo autem omnes uos loqui linguis, magis tamẽ ut prophetetis. Maior enim qui prophetat, quàm qui loquitur linguis, nisi interpretur, ut ecclesia ædificationem accipiat. Nunc autẽ fratres, si ueniam ad uos linguis loquens, quid uobis prodero? nisi uobis loquar, aut per reuelationem, aut per scientiam, aut per prophetiam, aut per doctrinam? Quin & inanima, uocem reddentia, siue tibia, siue cithara, nisi distinctionem sonis dederint, quomodo cognoscetur, quod tibia canitur aut cithara? Etenim si incertam uocem tuba dederit, quis apparabitur ad bellũ? Sic

&

& uos per linguam nisi significantem sermonem de deritis, quomodo intelligetur, quod dicitur? eritis enim in aërem loquentes. Tam multa, uerbi gratia, genera uocum sunt in mundo, & nihil horũ mutum. Itaq; si nesciero uim uocis, ero ei qui loquitur barbarus, & qui loquitur, apud me barbarus. Itaq; & uos, quandoquidem sectatores estis spirituum, ad ædificationem ecclesiæ quærite, ut excellatis. Quapropter qui loquitur lingua, oret, ut interpretetur. Nam si orem ligua, spiritus meus orat, at mens mea fructu uacat. Quid igitur est? Orabo spiritu, sed orabo & mente. Canam spiritu, sed canam & mente. Alioqui si benedixeris spiritu, is qui implet locũ indocti, quomodo dicturus est, Amen, ad tuam gratiarum actionem? Quandoquidem, quid dicas, nescit. Nam tu quidem bene gratias agis, uerũ alius nõ ædificatur. Gratias ago deo meo, quod magis quàm omnes uos linguis loquor. Sed in ecclesia uolo quinq; uerba mente mea loqui, ut & alios instituam, potius quàm decem milia uerborum lingua. Fratres, ne sitis pueri sensibus, sed malicia pueri sitis: sensibus uero perfecti sitis. In lege scriptum est: Varijs linguis & labijs uarijs loquar populo huic, & ne sic quidem audient me, dicit dominus. Itaq; linguæ signi uice sunt, non his qui credunt, sed incredulis: contrà, prophetia nõ incredulis, sed credentibus. Ergo si conuenerit eccle- Esaiæ. 28

sia tota

ſia tota ſimul, & omnes linguis loquantur: ingrediã
tur autem indocti aut increduli, nónne dicent uos in
ſanire? Quod ſi omnes prophetetis, ingrediatur au
tem incredulus aut indoctus, coarguitur ab omni
bus, dijudicatur ab omnibus: & ſic occulta cordis e
ius manifeſta fiunt, atq; ita procidens in faciem, ado
rabit deũ, renuncians, quod deus reuera in uobis ſit.
Quid igitur eſt fratres? Quoties cõuenitis, unuſquiſ
que ueſtrum canticum habet, doctrinam habet, lin
guam habet, reuelationem habet, interpretationem
habet: omnia ad ædificationẽ fiant. Siue lingua quis
loquitur, fiat per binos, aut ad ſummum ternos, idq;
uiciſſim, & unus interpretetur. Quod ſi non ſit in
terpres, taceat in eccleſia, cæterum ſibijpſi loquatur
& deo. Prophetæ uero duo aut tres loquantur, &
cæteri dijudicent. Porrò ſi alij fuerit reuelatum aſſi
denti, prior taceat. Poteſtis enim ſingulatim omnes
prophetare, ut omnes diſcant, & omnes conſolatio
nem accipiant: & ſpiritus prophetarum prophetis
ſubijciuntur. Non enim eſt confuſionis autor deus,
ſed pacis, ut in omnibus congregationibus ſanctorũ.
1. Timo. 2 *Mulieres ueſtræ in eccleſijs ſileant. Nec enim per*
miſſum eſt illis ut loquantur, ſed ut ſubditæ ſint: quẽ
admodum & lex dicit. Quod ſi quid diſcere uolunt,
domi ſuos uiros interrogent. Nam turpe eſt mulieri
bus, in cœtu loqui. An à uobis ſermo dei profectus
eſt?

est? An in uos solos incidit? Si quis uidetur propheta esse, aut spiritualis, agnoscat quæ scribo uobis, quod domini sint præcepta: cæterum si quis ignorat, ignoret. Proinde fratres, ad id enitamini, ut prophetetis, & loqui linguis ne uetueritis. Omnia decenter, & secundum ordinem fiant.

CAPVT XV

NOtum autẽ uobis facio fratres euangelium, quod euangelizaui uobis, quod et accepistis, in quo & statis, per quod & salutem consequimini, quo pacto annunciarim uobis, si tenetis, nisi frustra credidistis. Tradidi enim uobis in primis, quod & acceperam: quod Christus mortuus fuerit pro peccatis nostris secundũ scripturas, & quod sepultus sit, & quod resurrexerit tertio die, secundũ scripturas, & quod uisus sit Cephæ, deinde duodecim illis: postea uisus est plusquàm quingẽtis fratribus simul: ex quibus plures manent ad hunc usq; diem: quidam autem & obdormierunt. Deinde uisus est Iacobo, post apostolis omnibus. Postremo uero omnium, uelut abortiuo uisus est & mihi. Ego enim sum minimus apostolorũ: qui nõ sum idoneus, ut dicar apostolus, propterea quod persecutus sum ecclesiã dei. Sed gratia dei sum, id quod sum. Et gratia eius, quæ profecta est in me, non fuit inanis, sed copiosius quàm illi omnes laboraui: non ego tamẽ, sed gratia dei quæ mihi adest.

adest. Siue igitur ego, siue illi, sic prædicamus, & sic credidistis. Quod si Christus prædicatur à mortuis resurrexisse, quomodo dicunt quidam inter uos, non esse resurrectionem mortuorum? Porrò si resurrectio mortuorum non est, ne Christus quidem resurrexit. Quod si Christus nõ resurrexit, inanis uidelicet est prædicatio nostra, inanis autẽ est & fides uestra. Reperimur autem & falsi testes dei, quoniam testificati sumus de deo, quod excitauerit Christum, quem nõ excitauit, si uidelicet mortui nõ resurgunt. Etenim si mortui non resurgunt, ne Christus quidem resurrexit. Quod si Christus non resurrexit, superuacanea est fides uestra: adhuc estis in peccatis uestris. Igitur & qui obdormierunt in Christo, perierunt. Si in uita hac spem in Christo tantum fixam habemus, maxime miserabiles omnium hominũ sumus.

Colos. 1 Nunc autem Christus surrexit ex mortuis, primitiæ eorum qui dormierant, fuit. Postquam enim per hominem mors, etiam per hominem resurrectio mortuorum. Quemadmodũ enim per Adam omnes moriuntur, ita & per Christum omnes uiuificabuntur, unusquisq; autem in proprio ordine: primitiæ Christus, deinde ij qui sunt Christi in aduentu ipsius, mox finis, cum tradiderit regnum deo, & patri, cum aboleuerit omnem principatum, & omnem potestatem, ac uirtutem. Nam oportet eum regnare, donec posuerit

ſuerit omnes inimicos ſub pedes ſuos. Nouiſſimus hoſtis aboletur mors. Nam omnia ſubiecit ſub pedes illius. Atqui cũ dicat, quod omnia ſubiecta ſint, palàm eſt, excipiendũ eum, qui ſubiecit illi omnia. Cum aũt ſubiecta fuerint illi omnia, tunc & ipſe filius ſubijcietur ei, qui illi ſubiecit omnia, ut ſit deus omnia in omnibus. Alioqui quid faciẽt ij, qui baptizãtur pro mortuis? ſi omnino mortui nõ reſurgũt, cur & baptizantur pro mortuis? Quid & nos periclitamur omni tẽpore? Indies morior p noſtrã gloriationẽ, quã habeo in Chriſto Ieſu domino noſtro. Si ſecundũ hominem cũ beſtijs depugnaui Epheſi, quæ mihi utilitas, ſi mortui nõ reſurgunt? Edamus & bibamus, cras enim morimur. Ne decipiamini. Mores bonos colloquia corrumpunt mala. Expergiſcimini iuſte, & ne peccetis. Nam ignorationẽ dei nonnulli habent. Ad pudorem uobis loquor. At dicet aliquis: Quomodo reſurgunt mortui? quali autẽ corpore uenient? Stulte, tu quod ſeminas, nõ uiuificatur, niſi mortuũ fuerit. Et hoc qd' ſeminas, nõ corpus, quod naſcetur, ſeminas, ſed nudũ granũ: exempli cauſa, tritici, aut alicuius ex cæteris. Sed deus illi dat corpus ut uoluit, & unicuiq; ſeminũ ſuũ corpus. Non omnis caro eadem caro: ſed alia quidem caro hominũ, alia uero caro pecorũ, alia uero piſcium, alia uero uolucrũ. Et ſunt corpora cœleſtia, & ſunt corpora terreſtria. Verum alia quidem cœleſtium gloria, alia uero terreſtriũ, alia gloria ſolis,

Heb. 2

Eſa. 22

& alia gloria lunæ, & alia gloria ſtellarum. Stella ſiquidem à ſtella differt in gloria: ſic & reſurrectio mortuorũ. Seminatur in corruptione, reſurgit in incorruptibilitate: ſeminatur in ignominia, reſurgit in gloria: ſeminatur in infirmitate, reſurgit in potentia. Seminatur corpus animale, reſurgit corpus ſpirituale: eſt corpus animale, & eſt corpus ſpirituale,
Gen. 2 quemadmodũ & ſcriptum eſt: Factus eſt primus homo Adam in animam uiuentem, extremus Adam in ſpiritum uiuificantem. At non primũ, quod ſpirituale, ſed quod animale, deinde quod ſpirituale. Primus homo de terra terrenus, ſecũdus homo ipſe dominus de cœlo. Qualis terrenus ille, tales & hi qui terreni ſunt: & qualis ille cœleſtis, tales & hi qui cœleſtes ſunt. Et quemadmodum geſtauimus imaginem terreni, geſtabimus & imaginem cœleſtis. Hoc autem dico fratres, quod caro & ſanguis regni dei hæreditatem conſequi nõ poſſunt. Neq; corruptio incorruptibilitatis hæreditatem accipit. Ecce myſterium uobis dico. Non omnes quidem dormiemus, omnes tamen immutabimur in puncto temporis, in momento oculi, per extremam tubam. Canet enim, & mortui reſurgent incorruptibiles, & nos immutabimur. Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptibilitatem, & mortale hoc induere immortalitatem. Cum autem corruptibile hoc inducrit incorruptibilitatẽ, & mortale hoc inducrit immortalitatem, tunc fiet

ſermo

ſermo qui ſcriptus eſt: Abſorpta eſt mors in uictoriã.
Vbi tuus mors aculeus? ubi tua inferne uictoria? A/ Oſee.13
culeus autem mortis, peccatum: potentia uero pecca
ti, lex. Sed deo gratia, qui dedit nobis uictoriam, per
dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Itaq; fratres mei
dilecti, ſtabiles ſitis, immobiles, abundantes in opere
domini ſemper, cum ſciatis, quod labor ueſter nõ eſt
inanis in domino.

CAP. XVI

CAeterum de collatione in ſanctos, quemadmo
dum ordinaui eccleſijs Galatiæ, ita & uos fa/
cite. In una ſabbatorum unuſquiſq; ueſtrum apud ſe
ſeponat, recondens quicquid cõmodum fuerit: ne cũ
uenero tunc collationes fiant. Vbi uenero autẽ, quoſ/
cunq; probaueritis per epiſtolas, hos mittam ut per/
ferant munificentiam ueſtram Hieroſolymã: quod ſi
fuerit operæprecium, ut & ipſe proficiſcar, mecum
proficiſcentur. Veniam autem ad uos, cum Macedo/
niam trãſiero. Macedoniã enim pertranſiturus ſum.
Apud uos autem fortè permanebo, aut etiam hyber/
nabo, ut uos me deducatis quocunq; proficiſcar. No/
lo enim uos nunc in tranſcurſu uidere, ſed ſpero tem
pus aliquantum manſurum me apud uos, ſi dominus
permiſerit. Cõmorabor autem Epheſi, uſq; ad diem
quinquageſimum. Nam oſtium mihi apertum eſt ma
gnum & efficax, & aduerſarij multi. Quod ſi uene/
rit Timotheus, uidete ut abſque metu ſit apud uos.

Opus enim domini operatur, quemadmodũ & ego. Ne quis igitur eum ſpernat, ſed proſequamini eum cũ pace, ut ueniat ad me. Expecto enim illum cũ fratribus. Porrò de Apollo fratre, multũ hortatus ſum illum, ut iret ad uos cũ fratribus, & omnino nõ erat uoluntas nunc eundi: ueniet autem, cum opportunitatem erit nactus. Vigilate, ſtate in fide, uiriliter agite, eſtote fortes: omnia uobis cum charitate fiant. Obſecro autẽ uos fratres, noſtis familiam Stephanæ eſſe primitias Achaiæ: & quod in miniſteriũ ſanctis ordinarunt ſeipſos, ut & uos ſubditi ſitis talibus, & omni adiuuanti & laboranti. Gaudeo uero de aduentu Stephanæ & Fortunati & Achaici: quoniam id quod mihi deerat ueſtri, hi ſuppleuerunt. Refocillauerunt enim ſpiritum meum ac ueſtrũ. Agnoſcite itaq; huiuſmodi. Salutant uos eccleſiæ Aſiæ: ſalutant uos in domino multũ Aquila & Priſcilla, cũ ea quæ in domo eſt ipſorũ eccleſia. Salutant uos fratres omnes: ſalutate inuicem oſculo ſancto. Salutatio mea manu Pauli. Si quis nõ diligit dominũ Ieſum Chriſtum, ſit anathema, maranatha. Gratia domini Ieſu Chriſti ſit uobiſcum. Dilectio mea cum omnibus uobis in Chriſto Ieſu. Amen.

AD CORINTHIOS PRIOR

Miſſa fuit è Philippis per Stephanam & Fortunatum, & Achaicum & Timotheum.

IN SECVNDAM AD CORINthios epiſtolam argumentum per Eraſmum Roterodamum.

PRIMVM *reddit cauſas Corinthijs quare nõ reuiſerit illos, quemadmodum pollicitus eſt epiſtola ſuperiore: prius quædam præfatus de ſuis afflictionibus, quas ob euangeliũ Chriſti perpetiebatur, oſtendens in tantis malis deum ſibi fuiſſe ſolatio. Mox reconciliat Corinthijs eum, quem ſuperiore epiſtola iuſſerat tradi ſatanæ, ut amanter reciperent caſtigatum, quem peccantem ejecerant. Hæc fermè cap. primo ac ſecundo. Deinde prædicat ſtudiũ ſuum in euangelio prædicando, obiter taxans ac notans cæteros pſeudapoſtolos, qui ſuo ſeruientes quæſtui, ſuæ ſtudentes gloriæ, nuſquam non pelliciebant ad legem Moſaicam: quam Chriſto ſic conabantur admiſcere, quaſi ſine huius acceſſione non eſſet ſpes ſalutis. Itaque umbris legis Moſaicæ præfert euangelij lucem: ſubinde adhortans illos non ad ceremonias legis, ſed ad conſcientiam uitamq; Chriſto dignam: teſtans interim qua ſynceritate prædicauerit euangelium Chriſti, quantumq; malorum eius gratia perpeſſus*

ſit ſpe præmij cœleſtis. Ad hæc indicat, quibus in re/bus ſita ſit potißimum Chriſtiana pietas. Hæc tra/ctantur in calce cap. II. cap. III. IIII. V. & principio ſexti. Nam reliqua huius capitis parte, ſimulq; ini/tio proximi hortatur illos, ut agnoſcentes dignita/tem & ſanctitatem ſuæ profeßionis modis omnibus abſtineant ab inquinamentis ethnicorum, cum qui/bus nihil eſſet illis commune. Quarto loco lenit ſupe/rioris reprehenſionis acerbitatem, collaudans illo/rum obedientiam, quod epiſtolæ ſuæ, licet obiurga/trici, per omnia paruiſſent: gratulaturq;, quod is mœ/ror temporarius ſummum gaudium utriſq; pepere/rit: uelut cum ex amaro pharmaco conſequitur gra/tißima ſanitas. Quinto loco cum exemplo Macedo/num, tum uarijs argumentis, ac ſcripturarum teſti/monijs prouocat, ut pro ſua quiſque facultate, proq; animi propenſione conferat aliquid in ſubſidium ſan/ctorum, qui Hieroſolymis agebant, memor hoc ſibi mandatum à Petro, ad hoc negocij miſſo Tito cum altero collega, ut pleriq; putant, Luca, quos cõmen/dat Corinthijs. Hæc agit cap. octauo & nono. Sex/to, quos ante taxauit oblique, palàm inſectatur pſeu/dapoſtolos, qui faſtu ac ſupercilio dignitatem ac ma/ieſtatem apoſtolicam præ ſe ferebant, Paulum in con/temptum uocantes uelut humilẽ, ut qui cerdonicam exercuerit, uelut imperitum, & infantem, ad hæc to/

ties

ties cæſum ac uexatum iniurijs. Aduerſus hos auto/ ritatem ſuam aſſerit apud Corinthios, teſtans nuſ/ quam ſibi deeſſe autoritatem ac poteſtatem apoſto/ licam, ſed qua nolit uti, grauandis alijs, quemadmo/ dum cæteri: ſed tantum ad commodum ſuorum & Chriſti gloriam. Deinde præfatus ueniam ſtulticiæ, quod de ſe glorioſius quædam dicere cogeretur: pri mum æquat ſe ſummis apoſtolis: deinde præfert eti/ am, idq; multis nominibus: uel quod latius ſparſerit Euangelij doctrinam, uel quod unus gratuito eam tradiderit: neq; per ſe, neq; per ſuos grauans Achai/ cos: uel quod plura perpeſſus ſit Euangelij cauſa, quàm illorum quiſquam, ea ſibi gloriæ uertens, ob quæ quibuſdam uidebatur contemptior. Porrò ſer/ monis imperitiam agnoſcens modeſtiæ cauſa, rerum ſcientiam ſibi uindicat, ne quid uel hic deſiderēt. Po/ ſtremo, quoniam pſeudapoſtoli fictis angelorum ui/ ſionibus ſeſe uenditabant apud ſimplices, Paulus ue/ ram & inſignem adducit uiſionem, ſe raptum in ter tium uſq; cœlum: atq; illic edoctum, quæ captum ho/ minum excedant. Hæc ferè cap. X. XI. & XII. Sep/ timo, ne per pſeudapoſtolos relaberentur in priſtina uitia, teſtatur ſibi in animo eſſe, inuiſere illos, cum au/ toritate interminans, ne tales eos offendat, ut ſui diſ/ ſimilis eſſe cogatur: aut ne, ſicut epiſtola ſæuire coa/ ctus eſt, ita præſens quoq; ſæuire cogatur: quod an/

tebac non fecerit, cum ſuo iure potuiſſet. Hæc agit in calce capitis duodecimi, et capite decimotertio. Græcorum inſcriptiones teſtantur hanc epiſtolam miſſam è Philippis per Titum & Lucam. Cæterum argumenta quæ nullo autore, ſed commoda breuitate habentur in Latinis codicibus, teſtantur per eoſdem miſſam è Troade. Nam huius loci meminit cap. II.

FINIS.

AD CORINTHIOS SECVNDA CAP. I.

PAVLVS apoſtolus Ieſu Chriſti per uoluntatẽ dei, ac Timotheus frater congregationi dei, quæ eſt Corinthi unà cũ ſanctis omnibus, qui ſunt in tota Achaia. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Benedictus deus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui eſt pater miſericordiarum, & deus omnis conſolationis, conſolans nos in omni afflictione noſtra, in hoc, ut poſſimus cõſolari eos, qui ſunt in quauis afflictione, per conſolationem, qua noſipſos conſolatur deus. Quoniã ſicut

abundant

abundant afflictiones Christi in nobis, ita per Chri/ ſtũ abundat & cõſolatio noſtra. Siue aũt affligimur, id fit pro ueſtri cõſolatione ac ſalute, quæ operatur in tolerantia earundem afflictionũ, quas & nos pati mur: ſiue conſolationem accipimus pro ueſtri conſo latione ac ſalute, ſpes etiam noſtra firma eſt pro uo/ bis, cum ſciamus, quod quemadmodũ participes eſtis afflictionum, ſic futuri ſitis & conſolationis. Non enim uolumus uos ignorare fratres de afflictione no ſtra, quæ nobis accidit in Aſia: quoniam ſupra modũ grauati fuimus ſupra uires, adeo ut deſperauerimus etiam de uita. Quin ipſi in nobiſipſis ſententiã mor/ tis acceperamus, ne cõfideremus in nobiſipſis, ſed in deo, qui ad uitam ſuſcitat mortuos: qui ex tanta mor te eripuit nos, & eripit: in quo ſpem fixã habemus, quod etiam poſthac erepturus ſit, ſimul adiuuanti/ bus & uobis per deprecationẽ pro nobis, ut ex mul tis perſonis, pro dono in nos collato, per multos gra tiæ agantur pro nobis. Nam gloriatio noſtra hæc eſt, teſtimoniũ conſcientiæ noſtræ, quod cum ſimpli/ citate & ſynceritate dei, non ſapientia carnali, ſed per gratiam dei cõuerſati fuerimus in mundo: abun/ dantius aũt erga uos. Nõ enim alia ſcribimus uobis, quàm quæ legitis, aut etiam agnoſcitis. Spero autẽ, quod uſq; ad finem quoq; agnoſcetis, quemadmodũ & agnouiſtis nos ex parte: quoniam gloria ueſtra

ſumus quemadmodum & uos noſtra, in die domini Ieſu. Et hac fiducia uolebam ad uos uenire prius, ut geminam apud uos inirem gratiam, & per uos pertranſire in Macedoniam: & rurſum à Macedonia uenire ad uos, ac à uobis deduci in Iudæam. Hoc igitur cũ in animo uerſarẽ, nuncubi leuitate ſum uſus? aut num quæ cogito, ſecundum carnem cogito? ut ſit apud me, quod eſt etiam, etiam: & quod eſt non, nõ. Imò fidelis deus, quod ſermo noſter erga uos, nõ fuit etiam, & non. Nam dei filius Ieſus Chriſtus, qui inter uos per nos prædicatus eſt, per me & Syluanum ac Timotheum, nõ fuit etiam, & non: ſed etiam per ipſum fuit. Quotquot enim ſunt promiſſiones dei, per ipſum ſunt etiam, & per ipſum amen, deo ad gloriam per nos. Porrò qui confirmat nos unà uobiſcũ in Chriſtum: & qui unxit nos, deus eſt: qui etiam obſignauit nos, deditq; arram ſpiritus in cordibus noſtris. Ego uero teſtem deũ inuoco in animam meam, quod parcens uobis, nondum uenerim Corinthum: non quod dominemur uobis nomine fidei, ſed adiutores ſumus gaudij ueſtri: nam fide ſtatis.

CAPVT II

SEd decreui apud memetipſum hoc, nõ iterũ cum dolore ad uos uenire. Nam ſi ego mœrore uos afficiam, & quis eſt qui exhilaret me, niſi is qui mœrore afficitur ex me? Et ſcripſi uobis hoc ipſum, ne ſi

ueniſſem ad uos, dolorem caperem ex his, ex quibus oportebat me capere uoluptatem: fiduciam hanc habens erga uos omnes, quod meum gaudium omnium uestrum ſit. Nam ex multa afflictione & anxietate cordis ſcripſi uobis, per multas lachrymas: non ut mœrore afficeremini, ſed cognoſceretis charitatem, quam habeo abundantius erga uos. Quod ſi quis dolore affecit, non me dolore affecit, ſed ex parte, ne aggrauem omneis uos. Sufficit iſtiuſmodi homini increpatio hæc, quæ facta eſt à pluribus, adeo ut è diuerſo magis condonare debeatis & conſolari: ne quomodo fiat, ut immodico dolore abſorbeatur huiuſmodi. Quapropter obſecro uos, efficite, ut ualeat in illum charitas. Nam & in hoc ſcripſeram, ut cognoſcerem probationem uestri, an ad omnia obedientes ſitis. Cui uero condonatis aliquid, & ego condono. Nam & ego ſi quid condonaui, cui condonaui, propter uos condonaui in conſpectu Chriſti, ne occuparemur à ſatana. Non enim illius cogitationes ignoramus. Cæterum cum ueniſſem Troadem in Euangelium Chriſti, & oſtium mihi eſſet apertum per dominum, non habui relaxationem ſpiritu meo, eo quod non inueniſſem Titum fratrem meum: ſed dimiſſis illis, abij in Macedoniam. Deo autem gratia, qui ſemper triumphat per nos in Chriſto, & odorem noticiæ ſuæ manifeſtat per nos in omni loco. Quoniam

Chriſti

Christi bona fragrantia sumus deo, in his qui salui fiunt, & in his qui pereunt: his quidem odor mortis ad mortem, illis uero odor uitæ ad uitam. Et ad hæc quis idoneus? Non enim sumus ut pleriq; cauponantes sermonem dei, sed uelut ex synceritate, sed uelut ex deo in conspectu dei per Christum loquimur.

CAPVT III

INcipimus rursus nosipsos cõmendare. Num egemus, ut nõnulli, cõmendatitijs epistolis apud uos, aut à uobis cõmendatitijs? Epistola nostra uos estis, inscripta in cordibus nostris, quæ intelligitur & legitur ab omnibus hominibus, dum declaratis quod estis epistola Christi, subministrata, à nobis inscripta, non atramento, sed spiritu dei uiuentis: nõ in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis carneis. fiduciam autem huiusmodi habemus per Christum erga deum: non quod idonei simus ex nobisipsis cogitare quicquam, tanquam ex nobisipsis, sed si ad aliquid idonei sumus, id ex deo est: qui & idoneos fecit nos ministros noui testamenti, non literæ, sed spiritus. Nam littera occidit, spiritus autem uiuificat. Quod si administratio mortis in literis, deformata in saxis, fuit in

Exod.34 *gloria: adeo ut non possent oculos intendere filij Israël in faciem Moysi, propter gloriam uultus eius, quæ aboletur: cur non potius administratio spiritus erit in gloria? Nam si administratio condemnationis*

tionis gloria, multo magis excellit administratio iu-
sticiæ in gloria. Quandoquidem ne glorificatũ qui-
dem fuit, quod glorificatũ est in hac parte, propter
eminentem gloriam. Etenim si quod aboletur fuit in
gloria, multo magis id quod manet, est in gloria. Ita-
que cum habeamus huiusmodi spem, multa libertate
utamur: & non quemadmodum Moyses ponebat ue Ibidem
lamen in facie sua, ne intenderent filij Israël in finem
eius quod abolebatur. Sed obcæcati sunt sensus illo-
rum. Nam usq; ad diem hodiernum idem uelamen in
lectione ueteris testamenti manet: nec tollitur uelũ,
quod per Christum aboletur: Sed ad hunc usq; diem,
cum legitur Moses, uelamen cordibus illorum impo
situm est. At ubi conuersi fuerint ad dominum, tolle-
tur uelamen. Dominus autem spiritus est. Porrò ubi
spiritus domini, ibi libertas. Nos autem omnes rete-
cta facie gloriam domini in speculo repræsentantes,
ad eandem imaginẽ transformamur à gloria in glo-
riam, tanquam à domini spiritu.

CAPVT IIII

PRopterea cum ministeriũ hoc habeamus, ut no
stri misertus est deus, haud degeneramus: sed
reiecimus occultamenta dedecoris: nõ uersantes per
astuciam, neq; dolo tractantes uerbum dei, sed mani-
festatione ueritatis, cõmendantes nosipsos apud om
nem conscientiam hominum in conspectu dei. Quod

si adhuc

si adhuc uelatum est Euangelium nostrum, in his qui pereunt uelatum est. In quibus deus huius seculi excæcauit sensus incredulorum, ne illucesceret illis lumen Euangelij gloriæ Christi, qui est imago dei. Nõ enim nosipsos prædicamus, sed Christum Iesum dominum: nos autem seruos uestros propter Iesum. Quoniam deus est, qui iussit è tenebris lucem illucescere, qui luxit in cordibus nostris, ad illumìnationẽ cognitionis gloriæ dei, in facie Iesu Christi. Habemus autem thesaurum hunc in testaceis uasculis, ut uirtutis eminentia sit dei, & non ex nobis, dum in omnibus premimur, at non anxij reddimur: laboramus, at non destituimur: persequutionem patimur, at non in ea deserimur: deijcimur, at nõ perimus, semper mortificationem domini Iesu in corpore circunferentes, ut & uita Iesu in corpore nostro manifestetur. Semper enim nos qui uiuimus, in mortem tradimur propter Iesum, ut & uita Iesu manifestetur in mortali carne nostra. Itaq; mors quidem in nobis agit, uita uero in uobis. Cæterum cum habeamus eundem spi-

Psal.115 *ritum fidei, iuxta illud quod scriptum est: Credidi, & ideo loquutus sum: & nos credimus, quapropter & loquimur, scientes quod qui suscitauit dominum Iesum, nos quoque per Iesum suscitabit & constituet uobiscũ. Nam omnia propter uos, ut beneficiũ quod exundauit, pluribus gratias agentibus, exuberet in*

gloriam

gloriam dei. Propterea non defatigamur, sed quamuis externus homo noster corrumpitur, internus tamen renouatur in dies singulos. Nam momentanea leuitas afflictionis nostræ, mire, supra modũ æternũ pondus gloriæ parit nobis, dũ nõ spectamus ea quæ uidentur, sed ea quæ non uidentur. Nam quæ uidentur, temporaria sunt: at quæ non uidentur, æterna.

CAPVT V

SCimus enim, quod si terrenum nostrum domicilium huius tabernaculi destructum fuerit, ædificationem ex deo habemus, domicilium non manufactum, æternum in cœlis. Nam in hoc gemimus, domicilio nostro, quod è cœlo est, superindui desiderantes: si tamen induti, nõ nudi reperiemur. Etenim qui sumus in hoc tabernaculo, gemimus onerati, propterea quod nolimus exui, sed superindui, ut absorbeatur mortalitas à uita. Porrò qui parauit nos in hoc ipsum, deus est: qui idẽ dedit nobis arrabonẽ spiritus. Itaq; bono animo sumus semper, & scimus quod cũ domi sumus in corpore, peregrinamur à deo. Per fidem enim ambulamus, nõ per speciem. Cõfidimus autem & probamus magis peregre abesse à corpore, & præsentes adesse apud deũ. Quapropter cõtendimus, siue domi præsentes, siue foris peregre agentes, ut illi placeamus. Oẽs enim nos manifestari oportet corã tribunali Christi, ut reportet unusquisq; ea quæ

fiunt

fiunt per corpus, iuxta id quod fecit, siue bonum siue malũ. Scientes igitur terrorem illum domini, suademus hominibus, deo uero manifesti sumus. Spero aũt nos & in conscientijs uestris manifestos esse. Nõ enim iterum nosipsos commendamus uobis, sed occasionem damus uobis gloriandi de nobis, ut aliquid habeatis aduersus eos qui in facie gloriantur, & nõ in corde. Nã, siue insanimus, deo insanimus: siue sani sumus, uobis sani sumus. Charitas enim Christi constringit nos, iudicantes illud, quod si unus pro omnibus mortuus fuit, ergo omnes mortui fuerunt: & pro omnibus mortuus est, ut qui uiuunt, posthac non sibi uiuant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, & resurrexit. Itaq; nos posthac neminem nouimus secundum carnem. Porrò etiam si cognouimus Christum secundum carnem, nunc tamen nõ amplius nouimus. Proinde si quis est in Christo, noua creatura est. Vetera
Esa. 43 præterierunt, ecce noua facta sunt omnia. Omnia autem ex deo, qui recõciliauit nos sibi per Iesum Christum, deditq; nobis ministeriũ reconciliationis: quandoquidem deus erat in Christo, mundum reconcilians sibi, non imputans eis peccata sua: & posuit in nobis sermonem reconciliationis. Itaq; nomine Christi legatione fungimur, tanquam deo uos obsecrante per nos, rogamus pro Christo, recõciliemini deo. eum enim qui non nouit peccatũ, pro nobis peccatũ

fecit

fecit, ut nos efficeremur iustitia dei per illum.

CAP. VI

QVim & adiuuãtes obsecramus, ne in uacuũ gratiam dei receperitis. Dicit enim: In tem Esa. 49
pore accepto exaudiui te, & in die salutis succurri tibi. Ecce nunc tempus acceptum, ecce nunc dies salutis. Ne quam usquã demus offensionem, ne reprehendatur ministerium: sed in omnibus commendemus nosipsos, ut dei ministri, in tolerantia multa, in afflictionibus, in necessitatibus, in anxietatibus, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in uigilijs, in ieiunijs, in puritate, in scientia, in animi lenitate, in benignitate, in spiritu sancto, in charitate non simulata, in sermone ueritatis, in potẽtia dei, per arma iustitiæ dextra ac sinistra, per gloriã & ignominiam, per conuicia & laudes: quasi impostores, & tamen ueraces: quasi ignoti, & tamen noti: quasi morientes, & ecce uiuimus: quasi correpti, & nõ occisi: quasi dolentes, semper tamen gaudentes: quasi pauperes, multos tamen ditantes: ut nihil habentes, & tamen omnia possidentes. Os nostrum apertum est erga uos Corinthij: cor nostrum dilatatum est. Nõ estis angusti in nobis, sed angusti estis in uisceribus uestris. Eandem autem remunerationem ut à filijs exigo. Dilatemini & uos, ne ducatis iugum cum incredulis. Quod enim consortium

iustitiæ cum iniustitia? aut quæ communio luci cum tenebris? aut quæ cõcordia Christo cum Belial? a t quæ pars fideli cum infideli? aut quid conuenit templo dei cum simulacris? Nam uos templum estis dei uiuentis, quemadmodum dixit deus: Inhabitabo in illis, & inambulabo: & ero illorum deus, & ipsi erũt mihi populus. Quapropter exite de medio illorum, & separemini ab illis, dicit dominus: & immũdum ne tetigeritis, & ego suscipiam uos, & ero uobis loco patris, & uos eritis mihi uice filiorum ac filiarum, dicit dominus omnipotens.

Leuit. 26
Esa. 52

CAP. VII

HAs igitur promißiones cum habeamus charißimi, mundemus nosipsos ab omni inquinamento carnis ac spiritus, perficientes sanctimoniam cũ timore dei. Capaces estote nostri, neminem læsimus, neminem corrupimus, neminem fraudauimus. Non hoc ad cõdemnationem uestri dico. Siquidem iam ante dixi uobis, quod in cordibus nostris estis ad cõmoriendum & conuiuendũ. Multa mihi fiducia erga uos, multa mihi gloriatio de uobis. Impletus sum cõsolatione: uehementer exundo gaudio in omni afflictione nostra. Etenim cũ uenissemus in Macedoniam, nullam habuit relaxationem caro nostra, sed in omnibus affligebamur, foris pugnæ, intus terrores. Verum qui consolatur humiles, cõsolatus est nos

est nos deus per aduentum Titi: non solum autem per aduentū illius, uerumetiam per consolationem, quam ille accepit de uobis, cum annunciaret nobis uestrum desiderium, uestrum fletum, uestrum pro me studiū, adeò ut magis gauisus fuerim. Nam etiā si contristaui uos per epistolam, nō me pœnitet, etiā si pœnituisset. Video nāq; quod epistola illa, tāetsi ad tēpus, contristauit uos: nūc gaudeo, nō quod cō tristati fueritis, sed quod cōtristati sitis ad pœnitentiam. Nam cōtristati estis secundū deū, sic ut nulla in re detrimento sitis affecti per nos. Nam qui secundum deū est dolor, is pœnitentiam ad salutem haud pœnitendam parit: contrà mundi dolor mortem affert. Ecce enim istuc ipsum quod secundum deū contristati fuistis, quantam in uobis genuit solicitudinem, imò satisfactionem, imò indignationem, imò timorem, imò desideriū, imò æmulationem, imò uindictā? Siquidem ubiq; commendastis uosipsos, quod puri sitis in eo negocio. Proinde tametsi scripsi uobis, non id feci eius causa, qui læserat, nec eius causa qui læsus fuerat, sed ob id, ut palàm fieret studium uestrum pro nobis apud uos in conspectu dei. Idcirco consolationem accepimus ex cōsolatione uestri: quin uberius insuper gauisi fuimus ob gaudium Titi, quod refocillatus sit spiritus illius ab omnibus uobis: quod si quid apud illum de uobis glo-

riatus ſum, nõ fuerim pudefactus: ſed ut omnia cum ueritate locuti ſumus uobis, ita & gloriatio noſtra, qua uſus eram apud Titum, ueritas facta eſt. Et uiſcera illius maiorem in modũ erga uos affecta ſunt, dum recolit omnium ueſtrum obedientiam, quemadmodũ cum timore ac tremore exceperitis ipſum. Gaudeo quod in omnibus confidam uobis.

CAP. VIII

CErtiores autem uos facio fratres de gratia dei, quæ data fuit in eccleſijs Macedoniæ: quoniam per multam probationem afflictionis exuberauit gaudium illorum, & profunda paupertas illorum exundauit in diuitias ſimplicitatis ipſorum. Nam pro uiribus (teſtor) etiã ſupra uires prompti fuerunt, multa cum obteſtatione rogantes nos, ut beneficium & ſocietatem miniſterij ſuſciperemus in ſanctos, ac non quatenus ſperabamus: quinetiam ſemetipſos dediderunt primum domino, deinde & nobis per uoluntatem dei, in hoc ut adhortaremur Titum: ut quemadmodum ante cœpiſſet, ita & cõſummaret hanc quoq; erga uos beneficentiã. Imò quemadmodum ubiq; abũdatis fide, & ſermone, & ſcientia, & omni diligentia, & in ea quæ ex uobis erga nos eſt charitate, facite ut in hac quoq; beneficẽtia abundetis. Non ſecundum imperium loquor, ſed per ſolicitudinem, erga alios etiã ueſtræ dilectionis ſyn-

cerita

ceritatem approbans. Noſtis enim beneficentiã do/
mini noſtri Ieſu Chriſti, quod propter uos pauper
factus ſit, cum eſſet diues, ut uos illius paupertate di
teſceretis. Et cõſilium in hoc do, nam hoc uobis con
ducit: qui quidem nõ ſolum facere, uerumetiam uel/
le iam cœpiſtis anno ſuperiore. Nunc autem & il/
lud, quod facere cœpiſtis, perficite: ut quemadmo/
dum uoluntas prompta fuit, ita & perficiatis ex eo
quod poteſtis. Etenim ſi prius adſit animi prompti/
tudo, ea iuxta quicquid illud eſt, quod poſſidet ali/
quis, accepta eſt: nõ iuxta id, quod nõ poſſidet. Non
enim, ut alijs relaxatio ſit, uobis autẽ angustia: ſed
ut ex æquabilitate in præſenti tempore ueſtra co/
pia illorum ſuccurrat inopiæ, & illorum copia ue/
ſtræ ſuccurrat inopiæ, ut fiat æquabilitas, quemad/
modum ſcriptum eſt: Qui multum habebat, huic ni/ Exod. 16
hil ſuperfuit: et qui paulum habebat, is nihilominus
habuit. Gratia autem deo, qui dedit eandem ſolicitu
dinem pro uobis in corde Titi, qui exhortationem
acceperit: quin potius cum eßet diligentior, ſuapte
ſponte ad uos uenerit. Miſimus autem unà cum illo
fratrem eum, cuius laus eſt in Euangelio per omnes
eccleſias: nec id ſolum, uerumetiam dẽlectus eſt ab
eccleſijs comes peregrinationis noſtræ, cum hac be/
neficentia, quæ adminiſtratur à nobis ad eiuſdẽ do/
mini gloriam, & animi ueſtri promptitudinem: de/

clinantes hoc, ne quis nos carpat in hac exuberantia, quæ administratur à nobis, procurãtes honesta: non tantum coram domino, sed etiam coram hominibus. Misimus autem unà cum illis fratrem nostrũ, quem probaueramus in multis sæpenumero diligẽtem, nunc autem multo diligentiorem, ob multam fiduciam, quam habeo erga uos: siue Titi nomine, qui socius meus est, & erga uos adiutor: siue aliorum, qui fratres nostri sunt & legati ecclesiarum, gloria Christi. Proinde documentum charitatis uestræ, & nostræ de uobis gloriationis, in eos demonstretis, etiã in cõspectu ecclesiarũ. CAP. IX

NAm de subministratione quidem, quæ fiat in sanctos, superuacuũ est mihi scribere uobis. Noui enim promptitudinem animi uestri, quam de uobis iacto apud Macedones. Quod Achaia parata est ab anno superiore: & uestrum exemplum prouocauit complures. Misi tamen hos fratres, ne gloria nostra, qua glorior de uobis, inanis fiat in hac parte: ut quemadmodum dicebam, parati sitis: ne quo pacto fiat, ut si mecũ uenerint Macedones, & offenderint uos imparatos, nos pudore suffundamur: ut ne dicam uos, in hoc argumento gloriationis. Proinde necessarium arbitratus sum, adhortari fratres, ut prius accederẽt ad uos, & præpararent iam ante promissam bonam collationem uestram,

ut ea

ut ea sit in promptu, sic, tanquam bona collatio, & non tanquam fraudatio. Illud autem dico: Qui seminem facit parce, is parce messurus est. Et qui seminem facit libenter, ac benigne largiendo, copiose messurus est: unusquisq; secundum propositũ cordis, non ex molestia, aut ex necessitate. Nam hilarem datorem diligit deus. Potens est autem deus efficere, ut totum beneficium in uos exuberet, ut in omnibus omnem sufficientiam habentes exuberetis in omne opus bonum, quemadmodum scriptum est: Dispersit dedit pauperibus, iustitia eius manet in seculum. Pſal.111 Porrò qui suppeditat semen seminanti, is & panem in cibum suppeditet, & multiplicet semen tem uestram, & augeat prouentus iustitiæ uestræ, ut in omnibus locupletemini, in omnem simplicitatem, quæ per nos efficit, ut gratiæ agãtur deo. Nam functio huius ministerij non solũ supplet ea quæ desunt sanctis, uerumetiam exuberat in hoc, quod per multos agantur gratiæ deo, qui per probationem ministerij huius glorificant deum super obedientia consensus uestri in Euangelium Christi, & de simplicitate cõmunicationis in ipsos, & in omneis, & in illorum oratione pro uobis, qui desiderant uos propter eminentem gratiam dei in uobis. Gratia autem deo super inenarrabili suo munere.

CAP. X

CActerum ipſe ego Paulus obſecro uos per lenitatem & manſuetudinem Chriſti, qui iuxta faciem quidem humilis ſum inter uos, abſens tamen audax ſum erga uos. Rogo autem uos, ne præſens audeam ea fiducia, qua exiſtimor audax fuiſſe in quoſdam, qui putant nos ueluti ſecũdum carnem ambulare: nam in carne ambulantes, non ſecundum carnem militamus. Siquidem arma militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potẽtia deo ad demolitionem munitionũ, qbus armis cõſilia demolimur, & omnẽ celſitudinem, quæ extollitur aduerſus cognitionem dei, & captiuam ducimus omnem cogitationem ad obediendum Chriſto: & in promptu habemus uindictam aduerſus omnem inobedientiam, cum impleta fuerit ueſtra obedientia. Quæ in conſpectu ſunt uidetis? Si quis de ſeipſo confidit, quod Chriſti ſit, illud rurſum perpendat ex ſeipſo, quod quemadmodum ipſe Chriſti eſt, ita & nos Chriſti ſumus. Nam ſi & amplius quippiã glorier de poteſtate noſtra, quam dedit dominus nobis in ædificationem, & nõ in deſtructionem ueſtri, nõ pudefiam, ne uidear ceu perterrefacere uos per epiſtolas. Nam epiſtolæ quidem, inquit, graues ſunt & robuſtæ, at præſentia corporis infirma, & ſermo contemptus. Hoc reputet qui iſtiuſmodi eſt, quod quales ſumus ſermone

per

per epistolas cum absumus, tales sumus & cum adsumus facto. Non enim sustinemus inserere, aut conferre nosipsos cum quibusdam, qui seipsos commendant. Sed isti non intelligunt, quod ipsi inter sese seipsos metiuntur, & comparant semet sibi. At nos non in immensum gloriabimur, uerum iuxta mensuram regulæ, qua partitus est nobis deus, mensuram pertingendi etiam usq; uos. Non enim quasi nõ pertingamus usq; ad uos, extendimus nosipsos supra modũ. Nam usq; ad uos quoq; peruenimus in Euangelio Christi, non in immensum gloriãtes super alienis laboribus, sperantes futurum, ut suboleſcente fide uestra in uobis, magnificemur iuxta regulam nostram in exuberantiam: ut ijs quoq; regionibus, quæ ultra uos sunt euangelizem: non per alienam regulam, ut de his quæ parata sunt, gloriemur: sed qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est, sed is quem dominus commendat.

CAP. XI

VTinam toleraſſetis me paulisper in insipientia mea. Imò & ſuffertis me. Nam zelotypus sum erga uos, dei zelo. Adiunxi enim uos uni uiro, ut uirginem castam exhiberetis Christo, sed metuo, ne quâ fiat, ut quemadmodũ serpens Euam decepit uersutia sua, ita corrumpantur sensus uestri à simplicitate, quæ erat erga Christum. Nam si

is,qui uenit,alium Iesum prædicat,quem non prædi
cauimus:aut si spiritum alium accipitis , quem non
accepistis,aut Euangelium aliud,quod non accepi/
stis,recte sustinuissetis.Arbitror enim me nihilo in/
feriorem fuisse eximijs apostolis. Cæterũ licet impe
ritus sim sermone, non tamen scientia.Verum ubiq;
manifesti fuimus in omnibus erga uos.Nũ illud pec/
caui,quod meipsum humiliarim, ut uos exaltaremi
ni?quod gratuito Euangeliũ dei prædicauerim uo/
bis? Cæteras ecclesias deprædatus sum , accepto ab
illis stipendio,quo uobis inseruirem.Et cũ apud uos
essem,& egerem,nõ oneros⁹ fui cuiquã. Nã quod
mihi deerat,suppleuerũt fratres, qui uenerãt à Ma
cedonia:& in omnibus sic me seruabã,ne cui esßem
oneros⁹,atq; ita seruabo.Est ueritas Christi in me,
quod hæc gloriatio non interrumpetur contra me
in regionibus Achaiæ.Quapropter?an quod nõ di/
ligam uos?Deus nouit. Verum quod facio,idem &
faciam,ut amputem occasionem ijs,qui cupiunt oc/
casionem:ut in eo de quo gloriantur , reperiantur,
quemadmodum & nos.Siquidem istiusmodi pseuda
postoli operarij dolosi sunt,sumpta persona aposto
lorum Christi, atq; haud mirũ, quandoquidem ipse
satanas transfiguratur in angelum lucis . Non ma/
gnum est igitur,si & ministri illius, personam in se
transferunt,quasi sint ministri iustitiæ, quorũ finis

erit

erit iuxta opera eorum. Iterum dico, ne quis me putet insipientem esse, alioquin & iam ut insipientem accipite me, ut paululum quiddam & ego glorier. Quod dico, non dico secundum dominum, sed uelut per insipientiam, in hoc argumento gloriationis. Quandoquidem multi gloriantur secundum carnem, & ego gloriabor. Libenter enim sufferti insipientes, cum sitis sapientes. Sufferti enim, si quis uos in seruitutem adigit, si quis exedit, si quis accipit, si quis attollit sese, si quis uos in faciem cædit: iuxta contameliam loquor. Perinde quasi nos infirmi fuerimus, imò in quocunq; audet aliquis (per insipientiam loquor) audeo & ego. Hebræi sunt, sum & ego. Israëlitæ sunt, sum & ego. Semen Abrahæ sunt, sum & ego. Ministri Christi sunt (desipiens loquor) excellentius sum ego, in laboribus copiosius, in uerberib. supramodũ, in carcerib. abundantius, in mortibus frequẽter. A Iudæis quinquies quadragenas plagas una minus accepi. Ter uirgis cæsus fui: semel fui lapidatus: ter naufragiũ feci: noctem ac diẽ in profundo egi: in itinerib. sæpe, in periculis fluminũ, periculis latronũ, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in deserto, periculis in mari, periculis inter falsos fratres, in labore & molestia, in uigilijs sæpe, in fame & siti, in ieiunijs sæpe, in frigore & nuditate,

præter

præter ea quæ extrinſecus accidunt, incumbens mi
hi quotidiana cura omnium eccleſiarum. Quis in/
firmatur, & ego non infirmor? Quis offenditur, &
ego non uror? Si gloriari oporteat, de his quæ in/
firmitatis meæ ſunt gloriabor. CAP. XII

Act.9 DEus & pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui
eſt laudandus in ſecula, nouit quod nõ men/
tiar. In Damaſci ciuitate gentis præfectus nomine
Aretæ regis excubias poſuerat in Damaſcenorum
urbe, cupiens me comprehendere, ac per feneſtram
in ſporta demißus fui per mœnia, effugiq; manus
eius. Gloriari ſanè non expedit mihi, ueniam enim
ad uiſiones & reuelationes domini. Noui hominem
in Chriſto ante annos quatuordecim: an in corpo/
re, neſcio: an extra corpus, neſcio: deus nouit: raptũ
huiuſmodi in tertium uſq; cœlum. Et ſcio huiuſmodi
hominẽ: an in corpore, an extra corpus, neſcio: deus
nouit: raptum fuiſſe in paradiſum, & audiſſe arca/
na uerba, quæ fas non ſit homini loqui. Super huiuſ/
modi homine gloriabor: de meipſo uero non gloria
bor, niſi ſuper infirmitatibus meis. Nam ſi uoluero
gloriari, non ero inſipiens, ueritatem enim dicam,
ſed parco uobis, ne qs de me cogitet, ſuper id quod
uidet eße me, aut quod audit ex me. Et ne excellen
tia reuelationum ſupra modum efferrer, datus fuit
mihi ſtimulus per carnem, nuncius ſatanæ, ut me cõ
laphis

laphis cæderet,ne ſupra modum efferrer.Super hoc ter dominũ rogaui,ut diſcederet à me,& dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea, nam uirtus mea per infirmitatem perficitur. Libentiſſime igitur gloriabor potius ſuper infirmitatibus meis, ut inhabitet in me uirtus Chriſti. Quamobrem placeo mihi in infirmitatibus, in contumelijs, in neceſſitatibus, in perſecutionibus,in anxietatibus pro Chriſto. Cum enim infirmus ſum,tunc robuſtus ſum. Factus ſum inſipiens gloriando.Vos me coëgiſtis,nam ego debueram à uobis commendari. Nulla enim in re inferior fui ſummis apoſtolis, tametſi nihil ſum. Signa quidem apoſtoli peracta fuerunt inter uos cũ omni patientia,& ſignis,& prodigijs,& potentibus factis. Nam quid eſt in quo fuiſtis inferiores cæteris eccleſijs, niſi quod ipſe ego non fuerim uobis oneroſus?Cõdonate mihi hanc iniuriam.Ecce tertio propenſus animo ſum, ut ueniam ad uos, nec ero uobis oneroſus.Non enim quæro quæ ueſtra ſunt,ſed uos. Non enim debent filij parentibus recondere, ſed filijs parentes. Ego uero libentiſſime impendam,& expendar pro animabus ueſtris: licet uberius uos diligens,minus diligar. Sed eſto, ipſe non grauaui uos:uerum cum eſſem aſtutus, dolo uos cepi. Num per quenquam eorum, quos miſi ad uos, expilaui uos? Rogaui Titum, & unà cum illo miſi fratrem.

Num

Num quid à uobis extorsit Titus? An nõ eodem spi
ritu ambulauimus? an non ijsdem uestigijs? Rursum
arbitramini quod nos uobis excusemus? In conspe-
ctu dei, in Christo loquimur, sed omnia charissimi
pro uestra ædificatione. Nam metuo, ne quâ fiat, ut
si uenero, non quales uelim, reperiam uos, & ego
reperiar uobis, qualẽ nolitis. Ne quo modo sint con
tentiones, æmulationes, iræ, cõcertationes, obtrecta
tiones, susurri, tumores, seditiones, ne iterum ubi ue
nero, humilem faciat me deus meus apud uos, & lu
geam multos eorum qui ante peccauerunt, nec eos
pœnituit immundiciæ, libidinisq;, & impudicitiæ,
quam patrarunt. CAP. XIII

Deut.17 HIc tertius erit aduentus meus ad uos: In ore
duorum testium aut trium constituetur om
ne uerbũ. Prædixi, & prædico, ut præsens cũ essem
iterum, ita & absens nunc scribo ijs, qui ante pecca
uerunt, & reliquis omnibus, quod si uenero denuo,
non parcam. Quandoquidem experimentum quæ-
ritis in me loquentis Christi, qui erga uos non est
infirmus, sed potens est in uobis: nam quamuis cru-
cifixus fuit ex infirmitate, uiuit tamen ex uirtute
dei. Siquidem & nos infirmi sumus in illo, sed uiue-
mus cum illo ex uirtute dei erga uos. Vosipsos ten-
tate, num sitis in fide. Vosipsos probate. An non co-
gnoscitis uosmetipsos, quod Iesus Christus in uobis

est

est? Nisi sicubi reprobi estis. At spero uos cognitu-
ros, quod nos non simus reprobi. Opto autem apud
deum, ne quid mali faciatis, non quo nos probati ap-
pareamus, sed ut uos, quod honestū est, faciatis: nos
uero ueluti reprobi simus. Non enim possumus quic-
quam aduersus ueritatem, sed pro ueritate. Gaude-
mus enim, cum nos infirmi fuerimus: uos autem ua-
lidi fueritis. Hoc autem insuper optamus, uestram
integritatem. Propterea hæc absens scribo, ne cum
præsens fuero, rigidus sim iuxta potestatem, quam
dedit mihi dominus in extructionem, & non in de-
structionem. Quod superest fratres, ualete, integri
estote, consolationem habete, unanimes sitis, in pa-
ce agite, & deus charitatis ac pacis erit uobiscum.
Salutate uos mutuo sancto osculo. Salutant uos san-
cti omnes. Gratia domini Iesu Christi, & charitas
dei, & cōmunicatio spiritus sancti sit
cū omnibus uobis, Amen.

Ad Corinthios secunda missa fuit à Phi-
lippis Macedoniæ per Ti-
tum & Lucam.

IN EPISTOLAM AD GALA
tas argumentum per Des. Eraſmum Roterodamum

GALATAE Græci ſunt, ſed ex Gallis oriundi. Vnde iuxta diuum Hieronymum originis ingenium, ingenij tarditate referebant. Quã/doquidem & Hilarius Gallus ipſe, in hymnorum carmine Gallos indociles uocat. Et Paulus illos obiurgãs ἀνοήτους, appellat. Ad quo rum ingenium ſuum attemperans ſermonem, acer/bius illos caſtigat, quàm ullos in cæteris epiſtolis: & reprehendit magis quàm docet: ut quibus ratio ſuadere non poterat, reuocaret autoritas. Agit in hac epiſtola, quod nuſquam non agit, ut à legis Mo ſaicæ ſeruitute inuitet ad Euangelij gratiã. Quod idem agit in epiſtola ad Romanos: nam utriſq; idẽ error acciderat, ſed diuerſa ratione. Nam Romani primum in Iudaiſmum inducti, poſtea reſipuerunt: Galatæ recte ab Apoſtolo inſtituti, pſeudapoſtolo/rum opera in Iudaiſmum retracti fuerunt. Quod Romani perperam inſtituti ſunt, ſimplicitatis erat: quod mox admoniti reſipuerunt, prudentiæ. Con/tra, quod Galatæ Chriſtum amplexi ſunt, facilita-tis erat: quod protinus in Iudaiſmum relapſi, leuitæ tis atq; ſtultitiæ. Ad hos igitur ſubierant pſeudapo/

ſtoli

ſtoli,uelut à Petro & Iacobo ſummatibus apoſtolis miſsi:& Pauli autoritatem calumnijs eleuabant,negantes illi fidem habendam,qui ſibi non conſtaret, nunc legis utens ceremonijs ,ſuſceptis uotis, raſoq; capite,& circunciſo Timotheo: nunc cum ethnicis legem negligens ac damnans:potius audiẽdos, qui apud Petrum & Iacobum uerſati fuiſſent, quiq; dominum Ieſum uidiſſent, cũ Paulus nec uidiſſet Chriſtum,& diſcipulorũ duntaxat diſcipulus eſſet,non Chriſti. Proinde Paulus uehementi & acri oratione,neq; enim eſt ulla epiſtola concitatior,ſalubriq; auſteritate,& clementi ſæuitia, ſimul & Galatarũ errori medetur,& ſuã aſſerit autoritatẽ,& pſeudapoſtolorum fraudulentiam aperit.In ipſo ſtatim epiſtolæ limine teſtatur ,ſeſe uel ſummis apoſtolis parem,aut etiam ſuperiorem , in hoc quod Euangelij prædicandi autoritatem à Chriſto iam immortali cœlitus accepiſſet : atq; hoc autore fretum in Arabia & Damaſci aliquandiu prædicaſſe Chriſtum, priuſquàm cum quoquam apoſtolorum contuliſſet: deinde Hieroſolymis uidiſſe quidem Petrum ac Iacobum diebus perpaucis , neq; quicquam tamen ab illis adiutum eſſe : ſub hæc in Syria & Cilicia quatuordecim annis Chriſti præconem egiſſe:donec admonitus diuinitus , Hieroſolymã reuerſus unà cum Barnaba ac Tito,cum primarijs apoſtolis contulit

Euangelium ſuum:non quod de tot annorum prædi
catione iam ueniſset in dubium, ſed ut eorum com-
probatione, quorum ſumma erat apud omnes auto-
ritas, magis confirmarentur cæteri: ſed ita contuliſ-
ſe cũ Petro, ut ab illo nihil acceſſerit quod ad Euan
gelij rem attineret: & adeo nõ fuiſſe ſe compulſum
à Petro, ut gentibus legis onus imponeret, ut An-
tiochiæ Petrum cibis communibus ueſcentem, ubi
ſe metu ſuperuenientium Iudæorum è conuiuio ſub-
duceret, palàm in os reprehenderit, docens, ex fide
contingere ſalutem Euangelicam, non ex obſerua-
tione legis iam antiquatæ. Id ueluti Petro dici cœ-
ptum, latius proſequitur, uerſus ad Galatas: demon-
ſtrans, legem Moſaicam ad tempus modo fuiſſe da-
tam, & ad unum Chriſtum illa ſpectaſſe omnia: in il
la fuiſſe carnem, in Euangelio ſpiritum: in illa um-
bras, in Euangelio lucem: in illa imagines, in Euan-
gelio ueritatem: in illa ſeruitutem, in Euangelio li-
bertatem. Dementiæ uero eſſe, guſtatis potioribus,
ultro recidere ad deteriora. Hæc agit capite pri-
mo, ſecũdo, tertio, quarto. Deinde grauiter intermi
natus eis, ne circunciſione recepta, turpiter ſe de-
dant in ſeruitutem legis, oſtendit, Chriſtianam li-
bertatem non eſſe peccandi licentiã, ſed ultroneam
functionem officiorum pietatis, quæ charitate di-
ctante, non lege iubente præſtantur. Poſtremo hor-
tatur

tatur ad Christianam concordiam, ad subleuandos infirmiores aut lapsos, ad benemerendum de ijs, qui nos fidem edocuerunt. Huiusmodi factis, quoniam spiritus sunt, æterna deberi præmia: cum ceremonijs temporarijs, temporaria sit gloria: obiter in odium uocans pseudapostolos: qui non ob aliud studebant circuncidi Galatas, nisi ut super hoc gloriarentur, uelut autores huius facinoris. Cui morbo affines sunt, qui hodie nouos cultus, & prodigiose insignes reperiunt, ut dicatur: hoc hominum genus ille instituit. Hanc epistolam, ut apparet, Paulus, quo singularem erga Galatas affectũ testaretur, totam sua manu scripsit, cum in alijs soleat duntaxat subscribere. Nostra argumenta scriptam testantur ab Epheso ciuitate: Græcorum inscriptiones ab urbe Roma.

ARGVMENTI FINIS

EPISTOLA PAVLI APOSTOLI AD GALATAS

CAP. I

PAVLVS apostolus, non ab hominibus, neq; per hominem, sed per Iesum Christũ, ac deũ patrem, qui suscitauit illũ ex mortuis, quiq; mecũ sunt omnes fratres, ecclesijs Galatiæ. Gratia uobis & pax à deo patre & domino nostro Iesu Christo, q dedit seipsum pro peccatis nostris, ut eriperet nos ex præsenti seculo malo, iuxta uoluntatẽ dei & patris nostri: cui gloria in secula seculorum, Amen. Miror, quod à Christo, qui uocauit uos per gratiã, adeò cito transferamini in aliud Euangeliũ: quod non est aliud, nisi quod quidam sunt, qui turbant uos, & uolũt inuertere Euangeliũ Christi. Cæterũ etiãsi nos, aut angelus é cœlo prædicauerit uo
1. Cor. 15 bis Euãgeliũ, præter id quod prædicauimus uobis, anathema sit. Quemadmodũ ante diximus, & nunc iterũ dico: si quis uobis prædicauerit Euãgeliũ, præter id quod accepistis, anathema sit. Nũc enim utriũ hominibus suadeo, an deo? aut quæro hominib. placere

cere? Nam si hactenus hominibus placuissem, Christi seruus haud quaquam essem. Notum autem uobis facio fratres, Euangelium quod prædicatũ est à me, non esse secundum hominem. Neq; enim ego ab homine accepi illud, neq; didici, sed per reuelationẽ Iesu Christi. Audistis enim meam conuersationem quondam in Iudaismo, quod supra modũ persequebar ecclesiam dei, ac depopulabar illam, & proficiebam in Iudaismo supra multos æquales in genere meo, cum uehementer esem studiosus à maioribus meis traditorum institutorum. Ast ubi deo, qui segregauerat me ab utero matris meæ, & uocauit per gratiam suam in hoc, ut reuelaret filium suum per me, uisum est, ut prædicarem ipsum inter gentes, continuo nõ contuli cũ carne & sanguine, neq; redij Hierosolymam, ad eos qui ante me fuerãt apostoli: sed abij in Arabiã, ac denuo reuersus sum Damascum. Deinde post annos treis redij Hierosolymam, ut uiderem Petrum, & mansi apud illum dies quindecim. Alium autẽ ex apostolis non uidi quẽquam, nisi Iacobum fratrem domini. Porrò quæ scribo uobis, ecce coram deo, non mentior. Deinde ueni in regiones Syriæ, Ciliciæq; . Eram autem ignotus iuxta faciem ecclesijs Iudææ, quæ erant in Christo. Sed tantum hic rumor apud illos erat: qui persequebatur nos aliquando, nunc prædicat fidem, quam

quondam expugnabat,& glorificabant in me deũ.

CAP. II

DEinde post annos quatuordecim rursum ascendi Hierosolymam unà cum Barnaba,assumpto simul & Tito. Ascendi autem iuxta reuelationem, & contuli cum illis Euangelium,quod prædico inter gentes,sed priuatim cum ijs,qui erant in precio,ne quomodo in uanum currerem,aut cucurrissem. Sed neq; Titus,qui mecũ erat,cum esset Græcus, compulsus fuit circuncidi, propter obiter ingressos falsos fratres, qui subintroierant ad explorandum libertatem nostrã,quam habemus in Christo Iesu, quo nos in seruitutem adigerent. Quibus ne ad tempus quidem cessimus per subiectionem,ut ueritas Euangelij permaneret apud uos. Ab his autem qui uidebantur aliquid esse, quales aliquando fuerint,nihil mea refert. Personam hominis deus nõ accipit. Nam mihi qui uidebantur esse in precio,nihil contulerunt. Imò contra,cum uidissent mihi concreditum fuisse Euangelium præputij, quemadmodum Petro circuncisionis (Nam qui efficax fuit in Petro ad apostolatum circuncisionis,efficax fuit & in me erga gentes) cumq; cognouissent gratiã mihi datam Iacobus & Cephas & Ioannes, qui uidebantur esse columnæ, dextras dederunt mihi ac Barnabæ societatis:ut nos in gentes, ipsi uero in circumcisionem

ſionem apoſtolatu ſungeremur, tantũ ut pauperum memores eſſemus, in quo & diligens fui, ut hoc ipsũ facerem. Cum autem uenisset Petrus Antiochiam, palàm illi restiti, eo quod reprehẽsus esset. Nam antequàm uenissent quidam à Iacobo, unà cum gentibus sumebat cibum: cum autem uenissent, subduxit ac separauit se ab illis, metuens eos, qui erant ex circuncisionè, ac simulabãt unà cum illo cæteri quoq; Iudæi, adeò ut Barnabas simul abduceretur in illorum simulationem. Verum ubi uidissem, quod nõ recto pede incederent ad ueritatem Euãgelij, dixi Petro coram omnibus: Si tu, cum sis Iudæus, gentiliter uiuis, ac non Iudaice, cur gentes cogis Iudaissare? Nos natura Iudæi, & non ex gentibus peccatores, quoniam scimus non iustificari hominem ex operibus legis, nisi per fidem Iesu Christi, & nos in Christum Iesum credidimus, ut iustificaremur ex fide Christi, & non ex operibus legis: propterea quod nõ iustificabitur ex operib. legis omnis caro. Quod si, dum quærimus iustificari per Christũ, reperimur & ipsi peccatores, num ergo Christus peccati minister est? Absit. Nam si quæ destruxi, ea rursum ædifico, transgressorem meipsum constituo. Ego enim per legem legi mortuus fui, ut deo uiuerem, unà cum Christo crucifixus sum. Viuo tamen, non iam ego, sed uiuit in me Christus. Vitam autem

quam nunc uiuo in carne, per fidem uiuo filij dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me. Nõ aspernor gratiã dei. Nam si per legem est iustitia, igitur Christus frustra mortuus est.

CAP. III

O Stulti Galatæ, quis uos fascinauit, ut nõ crederetis ueritati? Quibus præ oculis Iesus Christus ante fuit depictus, inter uos crucifixus. Hoc solum cupio discere à uobis, ex operibus legis spiritum accepistis, an ex prædicatione fidei? Adeo stulti estis, cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini. Tam multa passi estis frustra, si tamen & frustra. Qui igitur subministrat uobis spiritum, & operatur uirtutes in uobis, utrum ex operibus legis, an ex prædicatione fidei id facit? Quemadmodum Abraham credidit deo, & imputatũ est illi ad iustitiam. Scitis igitur, quod qui ex fide sunt, hi sint filij Abrahæ. Præuidens autem scriptura, quod ex fide iustificet gentes deus, prius rem lætã nunciauit Abrahæ: Benedicentur, inquiens, in te omnes gentes. Itaque qui ex fide sunt, benedicuntur cum fideli Abraham. Nam quotquot ex operibus legis sunt, execrationi sunt obnoxij. Scriptũ est enim: Execrabilis omnis, qui nõ mãserit in omnibus, quæ scripta sunt in libro legis, ut faciat ea. Quod autem in lege nullus iustificetur apud deum, palàm est.

Gen.15
Rom.4
Gen.22
Deut.25

Siquidem

siquidem iustus ex fide uiuet, lex autem non est ex fide: sed qui fecerit ea homo, uiuet in ipsis. Christus nos redemit ab execratione legis, dum pro nobis factus est execratio. Scriptum est enim: Execrabilis omnis qui pendet in ligno, ut in gentes benedictio Abrahæ ueniret per Christum Iesum, ut promissionem spiritus acciperemus per fidem. Fratres, secundum hominem dico. Hominis licet testamentum, tamẽ si sit comprobatum, nemo reijcit, aut addit aliquid. Porrò Abrahæ dictæ sunt promissiones & semini eius. Nõ dicit, & seminibus, tanquam de multis, sed tãquam de uno: & in semine tuo, qui est Christus. Hoc autem dico, testamentũ ante comprobatum à deo erga Christum, lex quæ post annos quadringentos & triginta cœpit, non facit irritum, ut abroget promissionem. Nam si ex lege est hæreditas, non iam ex promissione. Atqui Abrahæ per promissionem donauit deus. Quid igitur lex? Propter transgressiones addita fuit, donec ueniret semen, cui promissum fuerat, ordinata per angelos in manu interces∫oris. Interces∫or autẽ unius non est, at deus unus est. Lex igitur num est aduersus promissiones dei? absit. Etenim si data fuisset lex, quæ posit uiuificare, uere ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccatum, ut promissio ex fide Iesu Christi daretur credentibus. Abac. 2 Deut. 21

Cæterum antequàm uenisset fides, sub lege custodiebamur, conclusi in eam fidem, quæ erat reuelanda. Itaq; lex pædagogus noster fuit ad Christũ, ut ex fide iustificaremur. At postq̃ uenit fides, nõ amplius sub pædagogo sumus. Omnes enim filij dei estis, eo quod credidistis Christo Iesu. Nam quicunq; baptizati estis, Christum induistis. Non est Iudæus, neq; Græcus: non est seruus, neq; liber: non est masculus ac fœmina. Omnes enim uos unus estis in Christo Iesu. Quod si uos estis Christi, igitur Abrahæ semen estis, & iuxta promissionẽ hæredes. CAP. IIII

Dico autem, quamdiu hæres puer est, nihil differt à seruo, cum sit dominus omniũ, sed sub tutoribus & actoribus est usq; ad tempus quod pater præscripserit. Sic & nos, cũ essemus pueri, sub elementis mundi eramus, in seruitutem adacti. At ubi uenit plenitudo temporis, emisit deus filium suum, factum ex muliere, factum legi obnoxiũ, ut eos qui legi erant obnoxij, redimeret, ut adoptione ius filiorum acciperemus. Quoniam autẽ estis filij, emisit deus spiritũ filij sui in corda nostra clamantem, Abba, pater. Itaq; iam non es seruus, sed filius: quod si filius, & hæres dei per Christũ. Sed tum quidem cũ ignoraretis deum, seruiebatis ijs, qui natura non sunt dij. At nunc posteaquàm cognouistis deũ, quin potius cogniti estis à deo, quomodo conuertimini denuo

denuo ad infirma & egena elemẽta, quibus iterum ab integro ſeruire uultis? Dies obſeruatis, & menſes, & tempora, & annos. Metuo de uobis, ne frustra laborauerim erga uos. Eſtote, ut ego ſum: quandoquidem & ego ſum, ut uos, fratres rogo uos. Nihil me læſiſtis. Noſtis, quod per infirmitatem carnis euangelizauerim uobis prius, et experimentũ mei, quod erat in carne, non eſtis aſpernati, neq; reſpuiſtis, ſed me uelut angelum dei ſuſcepiſtis, uelut Chriſtum Ieſum. Quæ eſt igitur beatitudo ueſtra? Teſtimonium enim reddo uobis, quod ſi fieri potuiſſet, oculos ueſtros effoſſos dediſſetis mihi. Igitur inimicus factus ſum uobis, uera loquendo uobis? Ambiũt uos nõ bene, imò excludere uos uolũt, ut ipſos æmulemini. Bonum autẽ eſt æmulari in re bona ſemper, & nõ ſolum cum præſens ſum apud uos. Filioli mei, quos iterum parturio, donec formetur Chriſtus in uobis. Vellem autem adeſſe apud uos nunc, & mutare uocem meam, quoniam conſilij inops ſum in uobis. Dicite mihi, qui ſub lege uultis eſſe, legem ipſam non auditis? Scriptum eſt enim, quod Abraham duos filios habebat, unum ex ancilla, & unum ex libera. Verum is qui ex ancilla natus eſt, ſecundum carnẽ natus eſt: qui uero ex libera, per repromiſſionẽ, quæ per allegoriã dicuntur. Nam hæc ſunt duo teſtamenta, unũ quidem à monte Sina, in ſeruitutem Gen. 21

tutem generãs, quæ est Agar: nam Agar Sina mons est in Arabia, confinis est autem ei, quæ nunc uocatur Hierusalem, seruit autem cum filijs suis. At quæ sursum est Hierusalem, libera est: quæ est mater o-
Esa.54 mnium nostrum. Scriptum est enim: Lætare sterilis, quæ non paris: erumpe & clama, quæ non parturis: quoniam multi liberi desertæ, magis quàm eius quæ habet uirum. Nos autem fratres secundum Isaac promißionis filij sumus: sed quemadmodum tunc is qui secundum carnem natus erat, persequebatur eum, qui natus erat secũdum spiritum, ita &
Gen.21 nunc. At quid dicit scriptura? Eijce ancillam & filium illius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaq; fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ.

CAP. V

IN libertate igitur qua Christus nos liberauit, state, & ne rursus iugo seruitutis implicemini. Ecce ego Paulus dico uobis, quod si circuncidamini, Christus nihil uobis proderit. Contestor autem omnem hominem qui circunciditur, quod debitor est totius legis seruandæ. Christus uobis factus est ociosus. quicunq; per legem iustificamini, à gratia excidistis. Nos enim spiritu ex fide, spem iustitiæ expectamus: nam in Christo Iesu, neq; circuncisio quicquam ualet, neq; præputium, sed fides per dilectionem operans. Currebatis bene, quis uos impediuit,

ut non

ut nõ crederetis ueritati? Nẽpe persuasio non ex eo profecta, qui uocat uos. Paulũ fermenti totã cõsper sionem fermentat. Ego confido de uobis in domino, quod nihil aliud sensuri sitis. Cæterũ qui conturbat uos, portabit iudiciũ, quisquis fuerit. Ego autem fratres, si circũcisionẽ adhuc prædico, quid adhuc persecutionem patior? Abolitũ est igitur offendiculum crucis. Vtinã & abscindantur qui uos labefactant. Vos enim in libertatẽ uocati fuistis fratres: tantum ne libertatẽ in occasionẽ detis carni, sed per charitatẽ seruite uobis inuicem. Nã tota lex in uno uerbo cõpletur, nempe hoc: Diliges proximũ tuum ut teipsum. Quod si alius aliũ uicissim mordetis & deuoratis, uidete ne uicissim alius ab alio cũsummami ni. Dico autem, spiritu ambulate, & concupiscentiã carnis nõ perficietis. Nã caro concupiscit aduersus spiritũ, spiritus autẽ aduersus carnẽ. Hæc autẽ inter se mutuo aduersantur, ut non quæcunq; uolueritis, eadẽ faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. Porrò manifesta sunt opera carnis, quæ sunt hæc: adulterium, scortatio, immundicia, lasciuia, simulachrorum cultus, ueneficiũ, inimicitiæ, lis, æmulationes, iræ, concertationes, seditiones, sectæ, inuidiæ, cædes, ebrietates, comessationes, & his similia: de quibus prædico uobis, quemadmodum & prædixi: quod qui talia agunt, regni dei hæredes nõ erũt.

Contra

Contra,fructus ſpiritus eſt,charitas,gaudium,pax, lenitas,benignitas,bonitas,fides,manſuetudo,temperantia. Aduerſus huiuſmodi non eſt lex. Qui uero ſunt Chriſti, carnem crucifixerunt cum affectibus & concupiſcentijs. Si uiuimus ſpiritu,ſpiritu & incedamus. Ne efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem nos prouocantes,inuicem inuidentes.

CAP. VI

FRatres,etiam ſi occupatus fuerit homo in aliquo delicto,uos qui ſpirituales eſtis,inſtaurate huiuſmodi ſpiritu manſuetudinis,conſiderans temetipſum,ne & tu tenteris. Inuicem alij aliorũ onera portate,& ſic cõplete legem Chriſti. Nã ſi quis ſibi uidetur aliquid eſſe, cũ nihil ſit, ſuum ipſe fallit animum. Opus autem ſuum probet unuſquiſq; , & tunc in ſemetipſo tantum gloriationem habebit, & non in alio. Vnuſquiſq; enim propriam ſarcinã baiulabit. Communicet autem qui catechizatur ſermone,ei qui ſe catechizat in omnibus bonis. Ne erretis,deus non irridetur. Quicquid enim ſeminauerit homo,hoc & metet. Nam qui ſeminat per carnem ſuã,de carne metet corruptionem:ſed qui ſeminat per ſpiritum,de ſpiritu metet uitam æternã. Bonum autem faciẽdo ne defatigemur. Tempore enim ſuo metemus non defatigati. Itaq; dum tempus habemus,operemur bonum:cum erga omnes,tum uero ma-

ro maxime erga domesticos fidei. Videtis quãta uobis epistola scripserim mea manu. Quicunq; uolunt iuxta faciem placere in carne, hi cogunt uos circuncidi, tantum, ne ob crucem Christi persecutionẽ patiantur. Nam qui circumciduntur, ne ipsi quidem legem seruãt: sed uolũt uos circũcidi, ut in uestra carne gloriẽtur. Ego uero, absit ut glorier, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. Nam in Christo Iesu neq; circuncisio quicquam ualet, neq; præputium, sed noua creatura. Et quicunq; iuxta regulam hanc incedũt, pax super eos, & misericordia, & super Israẽlem dei. De cætero ne quis mihi molestias exhibeat. Ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi cũ spiritu uestro fratres, Amen.

Ad Galatas missa fuit è Roma.

IN EPISTOLAM AD EPHESIOS ARGUMENTUM PER DES. ERASMUM ROTERODAMUM.

EPHESVS metropolis quondam erat Asiæ minoris, ciuitas superstitiose dedita cultui dæmonũ, & præcipue Dianæ, unde & in actis Dianæ νεωκόρος dicitur: non

tur:non illius uenatricis, cui Poëtæ ſagittas & arma tribuunt, ſed multimammiæ, quam Græci πολύμαστον appellant, quam uolebant omnium animantium eſſe nutricem, ut indicauit Hieronymus. Nam de templo Epheſiæ Dianæ, toto orbe celebratiſſimo, paſſim etiam ethnici meminere ſcriptores. Hos curioſarum artium tenebat ſtudium. Vnde legimus, ad prædicationem apoſtolorum magicos libros ab eis comportatos, igni traditos fuiſſe: & ſupputato precio, compertum fuiſſe quinquagies mille nummûm argenti, ſicut refertur in Actis Cap. xix. Vt igitur à tantis erroribus illos abduceret, triennium apud illos egit: nihil interim non faciens, quod ad illorũ ſalutem faciebat, magno ſtudio reclamantibus & obſtrepentibus multis, ſicut ipſe teſtatur alicubi: ubi & beſtijs obiectus eſt, quemadmodum ipſe teſtatur in ſecunda ad Corinthios epiſtola. At diſcedens, Timotheum apud eos remanere iuſſit. Abundabat autem ea ciuitas, ut curioſis & magiæ deditis, ita doctiſſimis uiris: unde Paũlus, ut ad omnium mores & ingenia ſeſe attemperat, de dæmonibus ac ſpiritibus crebro meminit, bonorum ac malorum differentiam indicans. Ad hæc retruſa quædam aperit. Nec enim eſt ulla epiſtola, quæ tam abditos habeat ſenſus, ut ob hanc potiſſimum Petrus ſcripſiſſe uideatur: Sicut & chariſſimus frater noſter Pau-

ſter Paulus, ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit uobis, ſicut in omnibus epiſtolis, loquens in eis de his, in quibus ſunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti & inſtabiles deprauant, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorũ perditionem. Difficultas autẽ nõ tam in uerbis ſita eſt, quanq̃ haud alibi ſermonis phraſis perplexior, quàm in ſenſibus, quod agnoſcit & diuus Hieronymus in præfatione cõmentariorũ. Hæc idcirco uniuerſa replicauimus, ut oſtẽderemus, quare apoſtolus in hac uel potißimũ epiſtola obſcuros ſenſus & ignota ſeculis ſacramenta congeſſerit. Hos igitur quoniam in fide perſtiterant, hortatur ut pergant, & ad perfectionẽ proficiant, cõmoneſaciẽs cuiuſmodi fuerint, cũ uitijs addicti ſeruirẽt impijs ſpiritibus, & quales nũc facti ſint, inſiti Chriſto: docens interim euangelij gratiã cõſilio diuino, licet Iudæis promiſſam, in gentes quoq; recte propagatam, & huius muneris ſe miniſtrum à deo conſtitutũ. Quoniam autem ſcripſit è carcere, hortatur ne deijciantur animo ob ipſius afflictiones, uerum eas potius ſibi gloriæ ducant. Hæc agit capite primo, & ſecundo. In cæteris tribus uitæ formam illis præſcribit, demonſtrans quid ſequendum, quid fugiendum: quæ officia maritorum in uxores, uxorum in maritos: quæ parentum in liberos, liberorum in parentes: quæ dominorum in ſeruos, ſeruorũ in dominos. Scripta eſt

epiſtola ab urbe Roma per Tychicũ diaconũ, cuius meminit in calce, fidelem miniſtrũ eum uocans. Ambroſius addit ſcriptam è carcere, cum Hieroſolymis Romam deductus ſub fideiuſſore degeret extra caſtra in ſuo conducto.

AD EPHESIOS

EPISTOLA CAP. I

PAVLVS apoſtolus Ieſu Chriſti per uoluntatẽ dei, ſanctis qui agũt Epheſi, & fidelibus in Chriſto Ieſu. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto. Benedictus deus, et pater domini noſtri Ieſu Chriſti, qui benedixit nos omni benedictione ſpirituali in cœleſtibus Chriſto. Quemadmodum elegit nos in ipſo, antequàm iacerentur fundamenta mundi: ut eſſemus ſancti & irreprehenſibiles coram illo per charitatem, qui prædeſtinauit nos, ut adoptaret in filios per Ieſum Chriſtum, in ſeſe, iuxta beneplacitum uoluntatis ſuæ, ut laudetur gloria gratiæ ſuæ, qua charos reddidit nos per illum dilectum: per quẽ habemus redemptionẽ per ſanguinẽ ipſius, remiſſionem

remißionem peccatorũ,iuxta diuitias gratiæ ſuæ,de qua ubertim nobis impartiuit in omni ſapientia & prudentia, patefacto nobis arcano uoluntatis ſuæ, iuxta beneplacitũ ſuũ,q̃d'propoſuerat in ſeipſo,uſq; ad diſpenſationẽ plenitudinis tẽporũ: ut ſummatim inſtauraret omnia per Chriſtũ, & quæ in cœlis ſunt & quæ in terra per eundẽ,per quẽ & in ſortẽ aſciti ſumus,prædeſtinati ſecundũ propoſitũ ipſius, cuius ui fiunt uniuerſa,iuxta decretũ uoluntatis ipſius: ut ſimus nos in laudẽ gloriæ illius,qui priores ſperauimus in Chriſto, in quo ſperatis & uos, audito uerbo ueritatis,euangelio ſalutis ueſtræ,in quo etiã poſteaq̃ credidiſtis, obſignati eſtis ſpiritu promißionis ſancto, qui eſt arrabo hæreditatis noſtræ,in redemptionẽ acquiſitæ poſſeßionis, in laudẽ gloriæ ipſius. Quapropter & ego, cũ audiſſem eam quæ in uobis eſt fidem,in domino Ieſu, & charitatẽ in omnes ſanctos,nõ deſino gratias agere pro uobis,mentionẽ ueſtri faciens in precibus meis:ut deus domini noſtri Ieſu Chriſti,pater gloriæ det uobis ſpiritũ ſapientiæ et reuelationis, per agnitionem ſui, illuminatos oculos mentis ueſtræ,ut ſciatis, quæ ſit ſpes ad quã ille uocauit, & quã opulenta gloria hæreditatis illius in ſanctis,& quæ ſit excellẽs magnitudo potentiæ illius in nos,qui credimus ſecundũ efficaciã roboris fortitudinis eius, quã exercuit in Chriſto,cum ſuſcitaret eum

ex mortuis,& ſedere fecit ad dexteram ſuam in cœleſtibus,ſupra omnem principatũ ac poteſtatem,& uirtutem,& dominium,& omne nomen quod nominatur,non ſolũ in ſeculo hoc,uerumetiam in futuro: & omnia ſubiecit ſub pedes illius, & eum dedit caput ſuper omnia ipſi eccleſiæ , quæ eſt corpus illius, complementũ eius, qui omnia in omnibus adimplet.

CAPVT II

Coloſs.2 *ET uos cum eſſetis mortui delictis ac peccatis, in quibus aliquando ambulaſtis, iuxta ſeculũ mundi huius,iuxta principem, cui poteſtas eſt aëris, qui eſt ſpiritus,nunc agens in filijs contumacibus,inter quos & nos omnes conuerſabamur aliquando in concupiſcentijs carnis noſtræ,facientes quæ carni ac menti libebant:& eramus natura filij iræ, quemadmodum & cæteri. Sed deus qui diues eſt in miſericordia,propter multam charitatem ſuam, qua dilexit nos,etiam cum eſſemus mortui per delicta,conuiuificauit nos unà cum Chriſto(per gratiam eſtis ſeruati)ſimulq; cum eo reſuſcitauit, & ſimul cum eo ſedere fecit inter cœleſtes,in Chriſto Ieſu : ut oſtenderet in ſeculis ſuperuenientibus eminentem opulentiã gratiæ ſuæ,benignitate erga nos per Chriſtũ Ieſum. Gratia enim eſtis ſeruati per fidem,idq; non ex uobis. Dei donum eſt,non ex operibus, ne quis glorietur : nam ipſius ſumus opus, conditi in Chriſto Ieſu*

ad opera bona, quæ præparauit deus, ut in eis ambu-
laremus. Quapropter mementote, quod uos quondã
gentes in carne, uocabamini præputium, ab ea quæ
uocatur circunciſio in carne, quæ circunciſio mani-
bus fit: quod inquam, eratis in tempore illo ſine Chri-
ſto, abalienati à republica Iſraëlis, & extranei à te-
ſtamentis promiſſionis: ſpem non habentes, deoq; ca-
rentes in mundo. Nũc aũt per Chriſtũ Ieſum uos, qui
quondã eratis lõginqui, propinqui facti eſtis per ſan-
guinem Chriſti. Ipſe enim eſt pax noſtra, qui fecit ex
utriſq; unum, & interſtitium maceriæ diruit: ſimul-
tatem per carnem ſuam, legem mandatorum in de-
cretis ſitam abrogans, ut duos conderet in ſemetip-
ſo in unum nouum hominem, faciens pacem: & ut re-
conciliaret ambos in uno corpore deo per crucem,
percmpta inimicitia per eam: & ueniens euangeli-
zauit pacem uobis, qui procul aberatis, & his qui
propè. Quoniam autem per illum habemus aditum
utriq; in uno ſpiritu ad patrem. Iam igitur non eſtis
hoſpites & incolæ, ſed conciues ſanctorum, ac dome-
ſtici dei ſuperſtructi ſup fundamentũ apoſtolorũ ac
prophetarũ, ſummo angulari lapide ipſo Ieſu Chri-
ſto: in quo quæcunq; ſtructura coagmentatur, ea cre-
ſcit in templum ſanctũ in domino: in quo & uos co-
ædificamini in habitaculum dei per ſpiritum.

EPISTOLA PAVLI

CAP. III

HVius rei gratia ego Paulus uinctus ſum Chriſti Ieſu pro uobis gentibus. Siquidē audiſtis diſpenſationem gratiæ dei, quæ data eſt mihi in uos, quod ſecundum reuelationem notum mihi fecit myſterium, quemadmodum ante ſcripſi paucis, ex quibus poteſtis legentes intelligere cognitionem meam in myſterio Chriſti, quod in alijs ætatibus non innotuit filijs hominum, quemadmodum nunc reuelatum eſt ſanctis apoſtolis eius & prophetis per ſpiritum, ut ſint gentes cohæredes, & eiuſdem corporis, conſorteſq; promiſſionis eius in Chriſto, per euangeliū, cuius factus ſum miniſter ſecundum donum gratiæ dei, quod datum eſt mihi ſecundum efficaciam potentiæ illius. Mihi minimo omnium ſanctorum data eſt gratia hæc, ut inter gentes euangelizem imperueſtigabiles diuitias Chriſti: & in lucem proferam omnibus quæ ſit communio myſterij, quod erat abſconditum à ſeculis in deo, qui uniuerſa condidit per Ieſum Chriſtum: ut nota fiat nunc principatibus ac poteſtatibus in cœleſtibus per eccleſiam, uehementer uaria ſapientia dei, ſecundum præfinitionem ſeculorū quam fecit in Chriſto Ieſu domino noſtro, per quem habemus audaciam & aditum cum fiducia, quæ eſt per fidem illius. Quapropter peto, ne deficiatis ob afflictiones meas, quas pro uobis tolero, quæ eſt gloria

ria uestra. Huius rei gratia flecto genua mea ad pa/
trem domini nostri Iesu Christi, ex quo omnis à com
muni patre cognatio in cœlis & in terra nomina/
tur, ut det uobis iuxta diuitias gloriæ suæ, ut fortitu/
dine corroboremini per spiritum suum, in internum
hominem, ut inhabitet Christus per fidem in cordi/
bus uestris, fixis in charitate radicibus, & fundamen
to iacto, ut ualeatis assequi cũ omnibus sanctis, quæ
sit latitudo, & longitudo, & profunditas, & sublimi
tas, cognoscereq; præeminentẽ cognitionis dilectio/
nem Christi, ut impleamini in omnem plenitudinem
dei. Ei uero qui potest cumulate facere ultra omnia,
quæ petimus, aut cogitamus, iuxta uim agentem in
nobis, sit gloria in ecclesia per Christũ Iesum, in om/
nes ætates seculi seculorũ. Amen. CAP. IIII

HOrtor itaque uos ego uinctus in domino, ut
ambuletis, ita ut dignum est uocatione, qua
uocati estis, cum omni submissione ac mansuetudine,
cum animi lenitate, tolerantes uos inuicem per cha/
ritatem, studentes seruare unitatem spiritus, per uin
culum pacis. Vnum corpus & unus spiritus, quem/ Rom. 12
admodũ & uocati estis in una spe uocationis uestræ.
Vnus dominus, una fides, unum baptisma, unus deus
& pater omniũ, qui est super omnia, & per omnia,
& in omnibus uobis. Verũ unicuiq; nostrum data est
gratia iuxta mensuram donationis Christi. Quapro

pter dicit: Cum aſcendiſſet in altum, captiuam duxit captiuitatem, & dedit dona hominibus. Cæterum illud aſcendit, quid eſt, niſi qd' etiam deſcẽderat prius in infimas partes terræ? Qui deſcendit, idem ille eſt, qui etiam aſcendit ſupra omnes cœlos, ut impleret omnia. Et idem dedit, alios quidem apoſtolos, alios uero prophetas, alios autẽ euangeliſtas, alios autem paſtores ac doctores, ad inſtaurationem ſanctorum in opus adminiſtrationis, in ædificationem corporis Chriſti, donec perueniamus omnes in unitatem fidei & agnitionis filij dei, in uirum perfectum, in menſuram ætatis plene adultæ Chriſti. ut non amplius ſimus pueri, qui fluctuemus & circunferamur quouis uento doctrinæ per uerſutiam hominum, per aſtutiam, qua nos adoriuntur, ut imponant nobis: ſed ueritatem ſectantes in charitate, adoleſcamus in illũ per omnia, qui eſt caput, nempe Chriſtus: in quo totum corpus ſi coagmentetur, & compingatur per omnẽ commiſſuram ſubminiſtrationis, iuxta actum in menſura uniuſcuiuſq; partis, incrementũ corporis facit, in ædificationem ſuijpſius per charitatem. Hoc itaq; dico, & teſtor per dominum, ne poſthac ambuletis, quemadmodum & reliquæ gentes ambulant in uanitate mentis ſuæ, dum mentem habent obtenebratam, abalienati à uita dei, propter ignorantiam quæ eſt in illis, & excæcationem cordis eorum: qui poſteaquàm

quàm peruenerunt eò, ut dolere desierint, semetipsos dediderunt lasciuiæ, ad patrandum immundiciã omnem cum auiditate. Vos autem non sic didicistis Christum: siquidem illum audistis, & in eo docti fuistis, quemadmodum est ueritas in Iesu, deponere iuxta priorem conuersationem ueterem hominem, qui corrumpitur iuxta concupiscentias erroris: renouari uero spiritu mentis uestræ, & induere nouum hominem, qui iuxta deum cõditus est per iusticiam, & sanctitatem ueritatis. Quapropter deposito mendacio, loquamini ueritatem quisq; proximo suo, quoniam sumus inuicem membra. Irascimini & non peccetis: sol ne occidat super iram uestram, neq; detis locũ calumniatori. Qui furabatur, non amplius furetur: magis autem laboret operando manibus quod bonũ est, ut possit impartiri ei q opus habuerit. Omnis sermo spurcus ex ore uestro nõ procedat, sed si quis est bonus ad ædificationem, quoties opus est, ut det gratiam audientibus: & ne cõtristetis spiritum sanctum dei, per quem obsignati estis in diem redemptionis. Omnis amarulentia & tumor, & ira, & uociferatio, & maledicentia tollatur à uobis cum omni malicia. Sitis autem inuicem alius in alium comes, misericordes, largientes uobis inuicem, quemadmodum & deus per Christum largitus est uobis.

1.Pet.2

Zach.8

Psal.4

CAPVT V

Sitis igitur imitatores dei tanquam filij dilecti, & ambuletis in dilectione, quemadmodum & Christus dilexit nos, & tradidit ſemetipſum pro nobis, oblationẽ ac uictimam deo in odorem bonæ fragrantiæ. Cæterum ſcortatio, & omnis immundicia, aut auaricia, ne nominetur quidem inter uos, ſicut decet ſanctos: aut obſcœnitas, aut ſtultiloquium, aut urbanitas, quæ nõ conueniunt, ſed magis gratiarum actio. Nam hoc ſcitis, quod omnis ſcortator, aut immundus, aut auarus, qui eſt ſimulachrorum cultor, non habet hæreditatem in regno Chriſti & dei. Ne quiſquã uos decipiat inanibus ſermonibus. Propter hæc enim uenire ſolet ira dei in filios inobedientes. Ne ſitis igitur conſortes illorum. Eratis enim quondam tenebræ, nũc autem lux in domino: ut filij lucis ambulate (nam fructus ſpiritus ſitus eſt in omni bonitate, & iuſticia, & ueritate) probantes, quid ſit acceptum domino: & ne commerciũ habueritis cum operibus infrugiferis tenebrarum, quin ea potius etiam arguite. Nam quæ ſecretò fiunt ab iſtis, turpe eſt uel dicere. Sed omnia dum produntur à luce, manifeſta fiunt. Nam quicquid manifeſtum redditur, lumen eſt. Quapropter dicit: expergiſcere qui dormis, & ſurge à mortuis, & illuceſcet tibi Chriſtus. Videte igitur quomodo circunſpecte ambuletis, nõ ut inſipientes

tes, ſed ut ſapientes, redimentes occaſionem, quod dies mali ſint. Propterea ne ſitis imprudentes, ſed Rom.12
intelligentes quæ ſit uoluntas domini. Et ne inebrie/
mini uino, in quo luxus eſt, ſed impleamini ſpiritu,
loquentes uobiſmetipſis per pſalmos, & hymnos, &
cantiões ſpirituales, canentes ac pſallentes in corde
ueſtro domino, gratias agentes ſemper de omnibus
in nomine domini noſtri Ieſu Chriſti, deo & patri,
ſubditi uiciſſim alius alij cum timore dei. Vxores 1.Corin.11
proprijs uiris ſubditæ ſitis, ueluti domino: quoni/
am uir eſt caput uxoris, quemadmodum & Chri/
ſtus eſt caput eccleſiæ: & idem eſt qui ſalutem dat
corpori. Itaque quemadmodum eccleſia ſubdita eſt
Chriſto, ſic & uxores ſuis uiris ſubditæ ſint in om/
nibus. Viri, diligite uxores ueſtras, ſicut & Chri/
ſtus dilexit eccleſiam, & ſemetipſum expoſuit pro
ea, ut illam ſanctificaret, mundatam lauacro aquæ
per uerbum, ut adhiberet eam ſibijpſi glorioſam,
eccleſiam, non habentem maculam, aut rugam, aut
quicquam eiuſmodi, ſed ut eſſet ſancta, & irrepre/
henſibilis. Sic debent uiri diligere ſuas uxores, ut
ſua ipſorum corpora. Qui diligit ſuam uxorem, ſe/
ipſum diligit. Nullus enim unquam ſuam ipſius car/
nem odio habuit, imò enutrit, ac fouet eam, ſicut
& dominus eccleſiam. Quoniam membra ſumus
corporis eiuſdem, ex carne eius, & ex oſſibus eius.

Huius

Huius rei gratia,relinquet homo patrẽ ac matrẽ,& adiungetur uxori ſuæ,atque è duobus fiet una caro. Myſteriũ hoc magnũ eſt,uerũ ego loquor de Chriſto & de eccleſia. Quanq̃ & uos ſingulatim hoc præſtate, ut ſuam quiſq; uxorẽ diligat tanq̃ ſeipſum: uxor autẽ ut reuereatur uirum. CAP. VI

Filij, obedite parentibus ueſtris in domino, nam id eſt iuſtum. Honora patrem tuũ, & matrem, quod eſt præceptum primum in promißione,ut bene tibi ſit,& ſis longæuus in terra. Patres, ne prouocetis ad iram liberos ueſtros,ſed educetis eos p eruditionem,& correptionẽ domini. Serui obedite his, qui domini ſunt iuxta carnem, cum timore,ac tremore,cum ſimplicitate cordis ueſtri,tanquàm Chriſto: non ad oculum ſeruientes, uelut hominibus placere ſtudentes, ſed tanquàm ſerui Chriſti, facientes quæ uult deus,ex animo,cum beneuolentia, ſeruientes domino & nõ hominibus:illud ſcientes, quod unuſquiſque quod fecerit boni,hoc reportabit à deo,ſiue ſeruus fuerit,ſiue liber. Et uos domini eadem facite erga illos,remittentes minas: ſcientes, quod & ueſter ipſorum dominus eſt in cœlis, nec perſonæ reſpectus eſt apud illũ. Quod ſupereſt fratres mei, ſitis fortes per dominũ,perq̃; potentiã roboris illius. Induite totam armaturam dei, ut poßitis ſtare aduerſus aſſultus diaboli. Quoniam nõ eſt nobis lucta aduerſus ſanguinem

guinem & carnem, ſed aduerſus principatus, aduerſus poteſtates, aduerſus mundi dominos, rectores tenebrarum ſeculi huius, aduerſus ſpirituales aſtutias in cœleſtibus. Quapropter aſſumite uniuerſam armaturam dei, ut poßitis reſiſtere in die malo, & omnibus peractis ſtare. State igitur lumbis circuncinctis baltheo per ueritatem, & induti thoracem iuſticiæ, & calceati pedibus, ut parati ſitis ad euangeliũ pacis, ſuper omnia aſſumpto ſcuto fidei, quo poßitis omnia iacula mali illius ignita extinguere. Galeámque ſalutaris accipite, & gladiũ ſpiritus, qui eſt uerbum dei, in omni deprecatione et obſecratione, orantes in omni tempore, in ſpiritu: & ad hoc ipſum uigilantes cum omni ſedulitate & deprecatione pro omnibus ſanctis, & pro me: ut mihi detur ſermo in apertione oris mei cum libertate, ut notum faciam myſterium ẽuangelij: ſuper quo legatione fungor in catena, ut in eo libere loquar, ſicut oportet me loqui. Vt autẽ ſciatis & uos, quæ ad me pertinent, quid agam, de omnibus uos certiores reddet Tychicus dilectus frater & fidus miniſter in domino, quem miſi ad uos in hoc ipſum, ut cognoſceretis de rebus noſtris, & cõſolaretur corda ueſtra. Pax fratribus & charitas cũ fide, à deo patre, & domino Ieſu Chriſto. Gratia ſit cum omnibus diligentibus dominum noſtrum Ieſum Chriſtum cum ſynceritate. Amen.

Miſſa fuit è Roma ad Epheſios per Tychicum.

IN EPISTOLAM AD PHI/ lippenſes argumentum per Eraſmum Roterodamum.

PHILIPPENSES *in primâ Macedoniæ parte ſunt, ut narra/tur in actis, cap. decimoſexto, co/lonia oriunda ab urbe* Philippis, *dicta à Philippo conditore. Horũ metropolis eſt Theſſalonice. Qui quoniam in fide ſe mel accepta perſtiterant non admiſſis pſeudapoſto/lis, quibus auſcultarant Corinthij & Galatæ, merito ab Apoſtolo collaudantur. Ad hos Paulus admonitu ſpiritus profectus, complures dies apud illos egit nõ ſine negocio. Nam hic flagris cæſus eſt Paulus, & cum Sila coniectus eſt in carcerem, quo tempore car ceris cuſtos cũ tota familia baptizatus eſt. Hic erat & Lydia purpuraria, quæ prima conuerſa, Paulum excepit hoſpitio. Hic & milites, cognito quod Ro/manus eſſet ciuis, ultro rogarunt, ut quò uellet, abi/ret. Et Chriſti nomen ſatis felicibus auſpicijs incla/ruit. Quin etiam cum Paulus Romæ ageret in uincu lis, miſerũt illi quæ ad uitæ neceſsitatem pertinebãt, per Epaphroditum, quod & ante fecerant, cum age ret Theſſalonicæ: ſicut in hac ipſe teſtatur epiſtola. Collaudatos igitur eos adhortatur, ut perſeuerent*

ac

ac proficiant: ostendens gloriandum etiam in affli-ctionibus, quæ ad illustrandum Christi euangelium facerent: se uero uel mortem adeo nõ horrere, ut op-tet etiam, si Christo uolente contingat. Deinde cum primis hortatur ad mutuam concordiam, quæ in-ter elatos esse nõ potest, & quo æquiore sint animo, pollicetur Timotheum atq; etiam ipsum breui ad il-los rediturum: interim misso Epaphrodito, qui ex pe-riculosissima ægrotatione cõualuerat. Hæc agit duo-bus primis cap. Nam in tertio confirmat animos illorum aduersus pseudapostolos, ad Iudaismum ubi-que solicitantes, quos canes appellat, operarios ini-quitatis, inimicos crucis Christi, & qui uentrem dei loco colerent, nusquam apertius in eos stomachatus. Quartum commendationibus & salutationibus oc-cupat, nisi quod monita quædam obiter admiscet, & Philippensibus pro sua in se munificentia gratias a-git. Scripsit ex urbe Roma per Epaphroditũ, cum iterum esset in carcere. Nam post primam defensionẽ rursus in car-cerem ductus est, cuius rei meminit ipse in epistо-la ad Timotheũ.

ARGVMENTI FINIS.

AD PHILIPPEN=

SES EPISTOLA. CAP. I

AVLVS ac Timothe/ us ſerui Ieſu Chriſti om/ nibus ſanctis in Chriſto Ieſu, qui ſunt Philippis, unà cum epiſcopis ac dia conis. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Gratias ago deo meo in omni memoria uestri, ſem/ per in omni precatione mea pro omnibus uobis, cum gaudio precationem faciens, quod ueneritis in com/ munionẽ euangelij à primo die uſq; ad hoc tempus, perſuaſum habens hoc ipſum, quod is qui cœpit in uobis opus bonum, perficiet uſq; ad diem Ieſu Chri/ ſti: ſicut iuſtum eſt mihi, ut hoc ſentiam de omnibus uobis, propterea quod habeam uos in corde, & in uinculis meis, & in defenſione, & cõfirmatione euan gelij, cum ſitis omnes mihi conſortes gratiæ. Teſtis enim mihi eſt deus, quàm deſiderem uos omnes in ui ſceribus Ieſu Chriſti. Et illud oro, ut charitas uestra adhuc magis ac magis exuberet in agnitiõe omniq; intelligentia: ut probetis quæ ſunt præſtantia, ut ſitis

ſynceri

ſynceri:ac tales, ut nemini ſitis offendiculo in diem Chriſti,impleti fructu iuſtitiæ,qui contingit per Ieſum Chriſtum ad gloriam & laudem dei.Scire autem uos uolo fratres,quod quæ mihi acciderunt,magis ad profectum Euangelij euenerunt: ita ut uincula mea manifeſta facta ſint in Chriſto in toto prætorio ac cæteris omnibus: utq; plures ex fratribus in domino,freti uinculis meis,uberius auderent impauide ſermonem loqui. Nonnulli quidē per inuidiam & contentionem,nonnulli uero & propter bonam uoluntatem Chriſtum prædicant. Alij quidem ex contentione Chriſtum annunciant non pure,exiſtimantes ſeſe afflictionē addere uinculis meis: alij rurſus ex charitate,ſcientes quod in defenſionem Euangelij conſtitutus ſim. Quid enim? Attamen quouis modo,ſiue per occaſionem,ſiue per ueritatē,Chriſtus tamen annūciatur, & in hoc gaudeo,quin etiā gaudebo. Noui enim quod hoc mihi cedet in ſalutē per ueſtram deprecationem,& ſubminiſtrationem ſpiritus Ieſu Chriſti, ſecundum expectationem & ſpem meam,quod nulla in re pudefiam: ſed cum omni libertate,ut ſemper,ita nunc quoq; magnificabitur Chriſtus in corpore meo, ſiue per uitam, ſiue per mortem. Nam mihi uita Chriſtus eſt, & mors lucrum. Quod ſi contingat uiuere in carne, ea res mihi fructus eſt operis:& quid eligā ignoro. Coar-

tor enim ex his duobus, desiderans dissolui: & esse cum Christo, multo longeq; melius est. Cæterũ manere in carne, magis necessariũ propter uos. Et hoc certo scio, quod mansurus sim, & cum omnibus uobis permansurus sim, in uestrum profectum, & gaudiũ fidei: ut gloriatio uestra exuberet per Christũ Iesum in me, per meũ ad uos reditum. Tantum ut dignum est Euangelio Christi, conuersemini: ut siue cum uenero, & uidero uos, siue absens sim, audiam de rebus uestris, quod stetis in uno spiritu, una anima, adiuuantes decertantem fidem Euãgelij: nec in ullo terreamini ab aduersarijs: quæ illis quidem est causa perditionis, uobis autẽ salutis: & hoc à deo, quia uobis donatum est pro Christo, nõ solum ut in eum credatis, uerumetiã ut pro illo patiamini, idem certamen habentes, quale uidistis in me, & nũc auditis in me.

CAP. II

SI qua igitur consolatio in Christo, si quod solatium dilectionis, si qua cõmunio spiritus, si qua uiscera ac miserationes, complete meum gaudium, ut similiter affecti sitis, eandem charitatẽ habentes, unanimes, idem sentientes: ne quid fiat per cõtentionem aut per inanẽ gloriam: sed per humilitatẽ animi, aliũ quisq; se præstantiorem existimet. Ne sua quisq; spectetis, sed unusquisq; quæ sunt aliorum. Is enim affectus sit in uobis, qui fuit & in Christo Iesu,

qui

qui cum eſſet in forma dei, non rapinam arbitratus
eſt, ut eſſet æqualis deo, ſed ſemetipſum inaniuit,
forma ſerui ſumpta, in ſimilitudine hominum conſti-
tutus, & figura repertus ut homo, humilẽ præbuit
ſemetipſum, factus obediens uſq; ad mortẽ, mortem
autem crucis. Quapropter & deus illũ in ſummam Heb. 2.
extulit ſublimitatem, ac donauit illi nomẽ, quod eſt
ſupra omne nomen, ut in nomine Ieſu omne genu ſe
flectat cœleſtium, ac terreſtrium, & infernorum: o-
mniſq; lingua confiteatur, quod dominus ſit Ieſus
Chriſtus, ad gloriã dei patris. Proinde dilecti mei,
quemadmodum ſemper obediſtis, non tanquam in
præſentia mea ſolum, ſed nũc multo magis in abſen-
tia mea, cum timore ac tremore ueſtram ipſorũ ſa-
lutem operemini. Nam deus eſt is qui agit in uobis,
& ut uelitis, & ut efficiatis pro bono animi propo-
ſito: Omnia facite ſine murmurationibus ac diſce- 1. Pet. 4.
ptationibus, tales ut nemo de uobis queri poſſit, ſyn
ceriq;, filij dei irreprehenſibiles in medio nationis
prauæ ac tortuoſæ: inter quos lucete tanquam lumi
naria in mundo, ſermonem uitæ ſuſtinentes, ut glo-
riari poſſim in diem Chriſti, quod non in uanum cu
currerim, nec in uanum laborauerim. Quinetiam
ſi immolor ſuper hoſtia ſacrificioque fidei ueſtræ,
gaudeo & congaudeo omnibus uobis. Ob id ip-
ſum autem & uos gaudetis, & congaudetis mihi.

Spero autem in domino Ieſu, me Timotheum breui miſsurum uobis, ut & ego læto ſim animo, cognito ſtatu ueſtro. Neminem enim habeo pari mecũ animo præditũ, qui germane res ueſtras curaturus ſit. Nam omnes quæ ſua ipſorum ſunt quærunt, nõ quæ Chriſti Ieſu. Porrò probationẽ eius noſtis, quod ut filius mecum ueluti cum patre ſeruierit in Euangelium. Hunc igitur ſpero me miſsurum, mox ubi uidero mea negocia. Confido autem in domino, quod & ipſe breui uenturus ſim. Sed operæ preciũ arbitratus ſum, Epaphroditũ fratrem & collegam & cõmilitonem meum, ueſtrum autem apoſtolum, quiq; mihi ſubminiſtrat in neceſsitate mea, mittere ad uos. Quãdoquidem deſiderabat omnes uos anxius animi, propterea quod audiſſetis eum infirmatum fuiſse. Et certe fuit infirmus, ita ut eſſet uicinus morti, ſed deus miſertus eſt illius: at non illius tantũ, ſed & mei, ne dolorem haberem ſuper dolorem. Studioſius itaq; miſi illum, ut cũ uideritis illum, denuo gaudeatis, & ego magis uacem dolore. Excipite igitur illum in domino cum omni gaudio: & qui huiuſmodi ſunt, eos in precio habete: quoniã propter opus Chriſti eò acceſsit, ut morti proximus fuerit, nõ habita ratione uitæ, ut ſuppleret id quod in ueſtro erga me officio fuit diminutum.

Quod

CAP. III

QVod ſupereſt fratres, gaudete in domino: eadem ſcribere uobis, me quidem haud piget, uobis autem tutum eſt. Cauete canes, cauete malos operarios, cauete concisionem. Nos enim ſumus circuncisio, qui ſpiritu deum colimus, & gloriamur in Chriſto Ieſu, & non confidimus in carne, quanquam ego cõfidam etiam in carne. Si quiſquã alius uidetur fiducią habere in carne, ego magis habeo, circumciſus octauo die, Iſraël ex genere, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta legem phariſæus, iuxta ſtudium perſequens eccleſiam: iuxta iuſtiţiã quæ eſt in lege, factus irreprehenſibilis. Sed quæ mihi erant lucra, ea arbitratus ſum propter Chriſtum damnum eſſe. Quinetiam arbitror omnia damnum eſſe propter excellentiam cognitionis Chriſti Ieſu domini mei, propter quem omnia pro damnis duxi, habeoq; pro reiectamentis, ut Chriſtum lucrifaciam, utq; reperiar in illo, non habens meam iuſtitiam ex lege, ſed eam quæ per fidem eſt Chriſti, quæ eſt ex deo iuſtitiã ſuper fide: ut cognoſcam illum, & potentiam reſurrectionis illius, & cõmunionem afflictionum illius, dum conformis fio morti eius, ſi quo modo pertingam ad reſurrectionẽ mortuorum, nõ quod apprehenderim, aut iam perfectus ſim, ſed ſector, ſi etiam apprehendam, quatenus &

apprehensus sum à Christo Iesu. Fratres, ego me ipsum nondum arbitror assecutum esse. Vnum autem illud ago, ea quidem quæ à tergo sunt obliuiscens: ad ea uero quæ à frõte sunt, enitens, iuxta præfixum signum insequor ad palmam supernæ uocationis dei, per Christum Iesum: Quotquot itaq; perfecti sumus, hoc sentiamus: & si quid aliter sentitis, hoc quoq; uobis deus reuelabit. Attamẽ ad id quod assecuti sumus, eadem procedamus regula, ut simus concordes. Pariter estote imitatores mei fratres, & considerate eos qui sic ambulãt, quemadmodum habetis nos pro exemplari. Nam complures ambulant, de quibus sæpe dixi uobis, nunc autem & flens dico, inimici crucis Christi, quorũ finis perditio est, quorũ deus uenter, & gloria in dedecore ipsorum, qui terrestria curant. Nam nostra conuersatio in cœlis est: ex quo & seruatorem expectamus, dominum Iesum Christum, qui transfigurabit corpus nostrum humile, ut conforme reddat corpori suo glorioso, secundum efficaciam, qua potest etiam subijcere sibi omnia.

CAP. IIII

PRoinde fratres mei dilecti ac desiderati, gaudium & corona mea, sic state in domino dilecti. Euodiam obsecro, & Syntychen obsecro, ut sint concordes in domino. Sanè rogo & te compar germana, adiuua eas, quæ in Euãgelio decertarũt mecum

cum unà cum Clemente quoq; & reliquis cooperarijs meis, quorum nomina sunt in libro uitæ. Gaudete in domino semper, & iterum dico gaudete. Modestia uestra nota sit omnibus hominibus. Dominus propè est. De nulla re soliciti sitis, sed in omni præcatione & obsecratione, cum gratiarum actione petitiones uestræ innotescant apud deum. Et pax dei quæ superat omnem intellectum, custodiet corda uestra, & sensus uestros per Christum Iesum. Quod reliquum est fratres, quæcunq; sunt uera, quæcunq; honesta, quæcunq; iusta, quæcunq; pura, quæcunq; accõmoda, quæcunq; boni ominis, si qua uirtus, & si qua laus, hæc cogitate. Quæ & didicistis, & accepistis, & audistis, & uidistis in me, hæc facite, & deus pacis erit uobiscum. Gauisus sum autem in domino magnopere, quod iam tandẽ reuiguit uestra prõ me solicitudo in eo, in quo & soliciti eratis: uerum deerat opportunitas: nõ quod iuxta penuriam loquar. Nã ego didici, in qbus sum, his cõtẽtus esse. Noui & humilis esse, noui et excellere. Vbiq; & in omnibus institutus sum, & saturari, & esurire, & abũdare, & penuriã pati. Omnia possum per Christũ, qui me corroborat. Attamen recte feciſtis, quod simul cõmunicastis meæ afflictioni. Nostis aũt et uos Philippẽses, q̃ in principio Euãgelij, cũ proficiscerer à Macedonia, nulla mihi ecclesia cõmunicauerit in

rit in rationem dandi & accipiendi, nisi uos soli. Nam & in Thessalonica cũ essem, semel & iterum quod opus erat, mihi misistis: non quod requiram munus, sed requiro fructum exuberantem in rationem uestram. Recepi tamen omnia & abundo, expletus sum, posteaquàm accepi ab Epaphrodito, quæ à uobis missa fuerãt, odorem bonæ fragrantiæ, hostiam acceptam, gratamq; deo. Deus autẽ meus supplebit, quicquid opus fuerit uobis, secundum diuitias suas cum gloria, per Christum Iesum. Deo autem & patri nostro gloria in secula seculorũ, Amẽ. Salutate omnem sanctum in Christo Iesu. Salutant uos qui mecum sunt fratres. Salutant uos omnes sancti, maxime uero qui sunt ex Cæsaris familia. Gratia domini nostri Iesu Christi cum omnibus uobis, Amen.

Scripta est é Roma per Epaphroditum.

IN EPISTOLAM AD COLOS

Sensus argumentum per Erasmum Roterodamum.

COlossenses in Asia minore sunt, finitimi Laodicensib. hos nõ uiderat Apostolus. Nam Archippi, siue, quod addit Ambrosius, Epaphræ, quibus hoc dele-

delegatum erat, prædicatione cõuersi sunt ad Christum. His uehementer imminebãt pseudapostoli, conantes in dogma multo peruersissimum inducere, docentes nõ esse filium dei salutis autorem, sed per angelos uiam patere ad patrem: neq; enim uenisse filium dei in hunc mundum, neq; uenturum, cum in ueteri testamento per angelos administrata sint omnia: Deinde Iudaismum & philosophiæ superstitionem cum Christi doctrina miscebant, obseruantes quædam legis instituta, & superstitiose obseruantes solem, lunam, ac stellas, & clementa huius mundi, quibus docebant nos esse obnoxios. Hos igitur suæ professionis commonefacit, ostendens illos quicquid hactenus assecuti sunt, nõ angelis debere, sed Christo angelorum conditori: hunc unũ esse caput ecclesiæ, nec ab alio quoquam petendam salutem: Atq; interim autoritatem suam asserit. Diligenter autem monet, ne pseudapostolorũ magniloquentia, conflictisq; uisionibus angelorum sibi imponi paterentur, & uel in Iudaismũ, uel in philosophicam superstitionem prolaberentur. Atq; hæc agit duobus primis capitibus. In reliquis hortatur ad officia pietatis: nominatim præscribens, qualis uxor erga maritum, qualis debeat esse maritus in uxorem, qualis parens erga liberos, liberi erga parentes, serui erga dominos, domini erga seruos. Extrema pars

ſalutationibus occupatur, niſi quod Archippũ commonet officij ſui. Scripſit autem è carcere ab Epheſo per Tychicũ, quod ipſe palàm teſtatur in huius epiſtolæ capite quarto, cui collegam dederat Oneſimum. Græcorum inſcriptiones, ex urbe Roma miſſam teſtantur. Hinc certe remiſit Oneſimum, quem illic in uinculis genuerat Chriſto.

ARGVMENTI FINIS

EPISTOLA PAVLI
AD COLOSSENSES
CAP. I

PAVLVS apoſtolus Ieſu Chriſti per uolũtatem dei, et Timotheus frater, his qui ſunt Coloſſis ſanctis ac fidelibus fratribus in Chriſto. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro, & domino Ieſu Chriſto. Gratias agimus deo & patri domini noſtri Ieſu Chriſti, ſemper de uobis, cum oramus, quoniã audiuimus fidem ueſtram in Chriſto Ieſu, & charitatem erga omnes ſanctos, propter ſpem repoſitã uobis in cœlis, de qua prius audieratis per ſermonem ueracem Euangelij, quod

peruenit

perucnit ad uos: quemadmodum & in toto mundo etiam fructificat, ſicut & in uobis, ex eo die quo audiſtis & cognouiſtis gratiam dei per ueritatem. Quemadmodum & didiciſtis ex Epaphra dilecto cõſeruo noſtro, q eſt fidus pro uobis miniſter Chriſti, qui & expoſuit nobis ueſtram dilectionẽ in ſpiritu. Propterea & nos ex quo die audiuimus, non deſiuimus pro uobis orare, & poſcere, ut impleamini agnitione uoluntatis eius in omni ſapientia & prudentia ſpirituali, ut ambuletis digne domino, ut per omnia placeatis, in omni opere bono fructificãtes, & creſcentes in agnitionẽ dei, omni robore corroborati, iuxta potentiam gloriæ illius, ad omnem tolerantiam ac patientiam cũ gaudio: gratias agentes patri, qui idoneos nos fecit ad participationem ſortis ſanctorum in lumine: qui eripuit nos à poteſtate tenebrarum, ac tranſtulit in regnũ filij ſibi dilecti, per quẽ habemus redemptionem per ſanguinem ipſius, remiſſionem peccatorum: qui eſt imago dei inconſpicui, primogenitus uniuerſæ creaturæ, quod per illũ creata ſint omnia, quæ in cœlis ſunt, & quæ in terra, uiſibilia, & inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue principatus, ſiue poteſtates. Omnia per illum, & in illum creata ſunt: & ipſe eſt ante omnia, & omnia per illum conſiſtunt & ipſe eſt caput corporis eccleſiæ: q eſt principiũ, primogenitus

genitus ex mortuis, ut sit in omnibus ipse primas tenens: quoniam in illo complacitum est patri uniuersam plenitudinem inhabitare, & per eum reconciliare cuncta erga se, pacificatis per sanguinem crucis eius per eundem, siue quæ in terra sunt, siue quæ in cœlis. Et uos qui quondam eratis abalienati, & inimici mente in operibus malis, nunc tamen reconciliauit in corpore carnis suæ per mortem, ut exhiberet uos sanctos & irreprehensibiles, & inculpatos in cõspectu suo, siquidem permanetis in fide fundati ac stabiles, nec dimouemini à spe Euangelij, quod audistis, quod prædicatũ est apud uniuersam creaturam, quæ sub cœlo est: cuius factus sum ego Paulus minister. Nunc gaudeo super afflictionibus meis pro uobis, & suppleo quod deerat afflictionũ Christi in carne mea, pro corpore ipsius, quod est ecclesia: cuius ecclesiæ factus sum ego minister iuxta dispensationem dei, quæ data est mihi in uos, implendi sermonem dei: mysterium quod reconditum fuit à seculis, & à generationibus: nunc autem patefactum est sanctis illius, quibus uoluit deus notũ facere, quæ sint diuitiæ gloriæ mysterij huius inter gentes, qui est Christus in uobis, spes gloriæ, quem nos annunciamus, admonentes omnem hominem, & docentes omnem hominem in omni sapientia, ut exhibeamus omnem hominem perfectum in Christo Iesu

sto Iesu: ad quod etiam enitor, decertans secundum efficaciam eius agentem in me per uirtutem.

CAP. II

NAm uolo uos scire, quantam solicitudinẽ habeam de uobis, & his qui sunt Laodiciæ, & quotquot non uiderunt faciem meã in carne, ut consolationem accipiant corda illorum, cũ fuerint compacti in charitate, & in omnem opulentiam certæ persuasionis intelligentiæ, in agnitionem mysterij dei, & patris & Christi: in quo sunt omnes thesauri sapientiæ ac scientiæ reconditi. Hoc autem dico, ne quis uobis imponat probabilitate sermonis. Etenim quamuis carne sim absens, tamen spiritu uobiscum sum, gaudens ac uidens uestrum ordinem, & soliditatem uestræ in Christum fidei. Quemadmodum igitur accepistis Christum Iesum dominum, ita in eo ambulate, sic ut radices habeatis in illo fixas: & in illo superstruamini, cõfirmeminiq; per fidem, sicut edocti estis, exuberantes in ea cum gratiarum actione. Videte, ne quis sit, qui uos deprædetur per philosophiam & inanem deceptionem, iuxta constitutionem hominum, iuxta elementa mundi, & non iuxta Christum. Quoniam in illo inhabitat omnis plenitudo deitatis corporaliter: & estis in illo cõpleti, qui est caput omnis principatus ac potestatis: per quem & circumcisi estis circumcisione, quæ 1.Cor.5

fit sine

fit ſine manibus, dum exuiſtis corpus peccatorum
carnis per circumciſionem Chriſti, conſepulti ſimul
cum illo per baptiſmum, in quo ſimul etiam cũ illo
reſurrexiſtis per fidem operationis dei, qui excita-
Eph.2 *uit illum ex mortuis. Et uos cum eſſetis mortui per*
delicta & per præputium carnis ueſtræ, ſimul cum
illo uiuificauit, condonans nobis omnia delicta, dele
to, quod aduerſus nos erat, chirographo, quod erat
contrarium nobis per decreta: & illud ſuſtulit è me
dio, affixũ cruci: expoliatoſq; principatus ac pote-
ſtates oſtentauit palàm, triumphans de illis per ſe-
metipſum. Ne quis igitur uos iudicet in cibo aut po
tu, aut in parte diei feſti, aut nouilunij, aut ſabbato-
rum, quæ ſunt umbra rerum futurarum, corpus au-
tem Chriſti. Ne quis uobis palmam interuertat da-
ta opera per humilitatem & ſuperſtitionem ange-
lorũ, in his quæ non uidit faſtuoſus incedens, fruſtra
inflatus à mente carnis ſuæ: nec obtinens caput, ex
quo totũ corpus per cõmiſſuras & cõpagines ſub-
miniſtratũ, & cõpactum, augeſcit augmento dei.
Itaq; ſi mortui eſtis cum Chriſto ab elementis mun
di, quid quaſi uiuentes in mũdo, decretis teneminiſ?
Ne tetigeris, ne guſtaris, neq; contrectaris: quæ o-
mnia ipſo pereunt abuſu, iuxta præcepta & doctri
nas hominũ, quæ uerbotenus quidẽ habent ſpeciem
ſapiẽtiæ per ſuperſtitionem, ac humilitatem animi,

&

& læsionem corporis: non per honorem aliquem ad expletionem carnis.

CAP. III

ITaq; si resurrexistis unà cum Christo, superna quærite, ubi Christus est ad dexterã dei sedens. Superna curate, nõn terrestria. Siquidem emortui estis, & uita uestra abscondita est cum Christo in deo. Quandocunq; Christus manifestatus fuerit, uita nostra, tunc & uos cum illo manifestabimini in gloria. Mortificate igitur mẽbra uestra terrestria, stuprum, immundiciam, mollitiem, cõcupiscentiam malam, & auaritiã, quæ est simulacrorum cultus: ob quæ uenire solet ira dei in filios intractabiles, inter quos ambulabatis quondã, cũ uiueretis in his. Nũc autẽ deponite & uos omnia, iram, indignationem, malitiã, maledicentiã, turpiloquentiam ab ore uestro. Ne mentiamini alius aduersus aliũ, posteaq; exuistis ueterem hominem cum factis suis, & induistis nouum, qui renouatur ad agnitionem & imaginem eius, qui condidit illum: ubi non est Græcus & Iudæus, circuncisio & præputiũ, Barbarus, Scytha, seruus, liber: sed omnia in omnibus Christus. Sitis igitur induti tanquam electi dei, sancti ac dilecti, uiscera miserationum, comitatem, modestiam, mansuetudinem, lenitatem: sufferentes uos inuicem, & condonantes uobis mutuo, si quis aduersus aliquem habuerit querelam: quemadmodũ & Christus condonauit

nauit uobis, ita & uos: ſuper omnia autẽ hæc, charitatem, quæ eſt uinculũ perfectionis. Et pax dei palmam ferat in cordibus ueſtris, in quã & uocati eſtis in uno corpore: & grati ſitis. Sermo Chriſti inhabitet in uobis opulente cum omni ſapientia. Docetéq; & cõmonete uos inuicem cantionibus & laudibus, & cantilenis ſpiritualibus, cum gratia canentes in corde ueſtro domino. Et quicquid egeritis ſermone aut facto, omnia in nomine domini Ieſu facite, gra-
Eph.5 tias agentes deo & patri per illum. Vxores, ſubditæ eſtote proprijs uiris, ſicuti conuenit, in domino. Viri, diligite uxores, & ne ſitis amarulenti aduerſus illas. Filij, obedite parentibus in omnibus: hoc enim bene placet domino. Patres, ne prouocetis liberos ueſtros, ne deſpondeant animum. Serui, obedite per omnia his, qui domini ſunt ſecundum carnem, non obſequijs ad oculum exhibitis, tanquã hominibus placere ſtudentes, ſed cum ſimplicitate cordis timentes deum. Et quicquid feceritis, ex animo facite, tanquam domino, & non hominibus: ſciẽtes, quod à domino recipietis mercedem hæreditatis, nam domino Chriſto ſeruitis. Cæterum qui peccarit, reportabit peccatum ſuum, & non eſt perſonarum reſpectus.

CAP. IIII

VOs domini æquitatẽ & æquabilitatem ſeruis exhibete, ſcientes quod & uos habeatis dominum

dominum in cœlis. Obsecrationi instate, uigilantes in ea cum gratiarum actione, orantes simul & pro nobis, ut deus aperiat nobis ostium sermonis, ut loquamur mysterium Christi: propter quod & uinctus sum, ut manifestem illud, sicut oportet me loqui. Sapienter ambulate erga extraneos, opportunitatem redimentes. Sermo uester semper cum gratia sit sale conditus, ut sciatis quomodo oporteat uos unicuique respondere. De omnibus rebus meis certiores uos faciet Tychicus, dilectus frater, & fidus minister, & cõseruus in domino, quem misi ad uos in hoc ipsum, ut cognoscat quid agatis, & cõsoletur corda uestra, unà cum Onesimo fido & dilecto fratre, qui est ex uobis: de omnibus uobis exponent, quæ hic agantur. Salutat uos Aristarchus concaptiuus meus & Marcus consobrinus Barnabæ, de quo accepistis mandata: si uenerit ad uos, excipite eum: & Iesus qui uocatur Iustus, qui sunt ex circunciſione: hi soli cooperarij sunt ad regnum dei, qui fuere mihi solatio. Salutat uos Epaphras, qui ex uobis est seruus Christi, semper anxie laborans pro uobis in precationibus, ut stetis perfecti & completi in omni uoluntate dei. Testimonium enim illi perhibeo, quod habeat multum studium pro uobis, & his qui sunt Laodiciæ, & his qui Hierapoli. Salutat uos Lucas medicus dilectus, & Demas. Salutate fratres, qui sunt Laodiciæ, &

Nympham, & quæ in domo illius est congregatio-nem: & cum recitata fuerit à uobis epistola, facite ut et in Laodicensiũ ecclesia recitetur: & eam quæ scripta est ex Laodicia, ut uos quoque legatis: & dicite Archippo: Vide ministerium, quod accepisti in domino, ut illud impleas. Salutatio mea manu Pauli, Memores sitis uinculorũ meorũ. Gratia uobiscũ. Amen.

MISSA E ROMA PER Tychicum, & Onesimum.

IN EPISTOLAM AD THESSALONICENSES PRIOREM, ARGUMENTUM PER ERASMUM ROTERODAMUM.

THESSALONICA Macedoniæ metropolis est, unde & regionis incolæ Thessalonicenses appellati. Hi in fide semel accepta, tanta constantia perstiterunt, ut & Pauli exemplo, ciuium suorum persecutiones infracto, & alacri pertulerint animo: nec ullo pseudapostolorum suasu quiuerint ab euangelica institutione deflecti. Quod ueritus Paulus, quem nõ latebat pseudapostolorum improbitas, cum ipsi non liceret illos inuisere, misit Timotheum, ex quo reuerso cum didicisset

ciſſet illorũ cõſtantiam,collaudat eos, gratias agens deo. Atq; id quidem agit cap.primo & ſecundo. In cæteris duobus inſtituit eos in uarijs pietatis officijs, ſubindicans eſſe inter eos, qui nondum omnino puri eſſent ab omni libidine: nec deeſſe, qui ocio dediti grauarent alios:item qui inquieti ipſi, turbarent eccleſiæ tranquillitatem,quos corripi iubet. Præterea qui de reſurrectione nondum ſatis confirmata eſſent opinione(cum defunctos ita lugerẽt,quaſi periſſent, ac non potius ad meliora demigraſſent) hos inſtituit atq; confirmat.Rurſus alios diſputaſſe de die aduentus domini,quaſi is præſciri prædiciq; poſſit,cum incertus ſit omnibus. Verum eum ait ſubitum,& præter omnium expectationem adfuturum,quo magis ſimus ad omne momentum parati.Scripſit ab Athenis per Tychicum miniſtrum,iuxta Græcorũ inſcriptionem:cui collegam addunt Oneſimũ noſtra argumenta, quæ incerto autore leguntur in uulgatis exemplaribus.

ARGVMENTI FINIS

AD THESSALONICENSES EPISTOLA Pauli prima CAP. I

PAVLVS & Syluanus & Timotheus eccleſiæ Theſſalonicenſiũ, in deo patre & domino Ieſu Chriſto. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Gratias agimus deo ſemper de omnibus uobis, mentionem ueſtri facientes in precibus noſtris, indeſinenter memores ueſtri propter opus fidei ac laborem charitatis: & quod permanſiſtis in ſpe domini noſtri Ieſu Chriſti, corã deo & patre noſtro: ſcientes fratres dilecti à deo, electionem ueſtram: quoniam Euangelium noſtrum fuit erga uos non per ſermonem ſolũ, uerumetiam per uirtutem, & per ſpiritum ſanctum, perq; certitudinem multam: quemadmodũ noſtis, quales fuerimus inter uos, ueſtra cauſa. Et uos imitatores noſtri facti fuiſtis & domini, recipientes ſermonem cum afflictione multa, cum gaudio ſpiritus ſancti, adeo ut fueritis exemplo omnibus credentibus in Macedonia & Achaia. A

ia. A uobis enim pertonuit ſermo domini, non ſolum in Macedonia & Achaia: uerumetiam in omni loco fides ueſtra, quæ eſt in deum, dimanauit, ut non ſit nobis neceſſe loqui quicquam. Siquidem ipſi de uobis annunciant, qualem ingreſſum habuerimus ad uos, & quomodo conuerſi fueritis ad deum à ſimulacris, ut ſeruiretis deo uiuenti, & ueraci, & expectaretis filium eius de cœlis, quem excitauit à mortuis Ieſum, qui liberat nos ab ira uentura.

CAPVT II

NAm ipſi noſtis fratres introitum noſtrum ad uos, quod nõ fuerit inanis, ſed quod ante malis afflicti, & contumelijs affecti, quemadmodum ſcitis, Philippis, audacter egerimus in domino noſtro ad loquendum apud uos Euangeliũ dei, in multo certamine. Siquidem exhortatio noſtra non fuit ex impoſtura, neq; ex immundicia, neq; cũ dolo: ſed quemadmodum probati fuerамus à deo, ut nobis committeretur Euangelium: ita loquimur, non ut hominibus placentes, ſed deo, qui probat corda noſtra. Neque enim unquã per ſermonẽ adulationis uerſati ſumus, quemadmodum noſtis: nec per occaſionem auariciæ, deus eſt teſtis, neque quærentes ex hominibus gloriam, nec à uobis, nec ab alijs, cum poſſemus in autoritate eſſe, tanquam apoſtoli Chriſti: ſed fuimus placidi in medio ueſtri, perinde ac ſi nutrix foueat ſuos filios

lios : ſic affectu propenſi in uos, animo cupiebamus impartire uobis, non ſolum Euangelium dei, uerum etiam noſtras ipſorum animas, propterea quod chari nobis facti eſtis . Meminiſtis enim fratres laboris noſtri, ac ſudoris . Nocte enim ac die opus facientes ob id , ne cui ueſtrum eſſemus oneri , prædicauimus apud uos Euangelium dei. Vos autem teſtes eſtis & deus, quàm ſancte & iuſte & inculpate uobiſcũ qui credebatis, uerſati fuerimus, quemadmodum noſtis, ut erga unumquenq; ueſtrũ, tanquam pater erga filios ſuos, fuerimus affecti: obſecrantes uos & conſolantes & obteſtantes, ut ambularetis digne deo, quĩ uocaſſet uos in ſuum regnum ac gloriam. Quapropter & nos gratias agimus deo indeſinenter: quod cũ acciperetis ſermonem à nobis, quo deum diſcebatis, accepiſtis non ſermonem hominum, ſed ſicut erat uere ſermonem dei, qui & agit in uobis credentibus. Vos enim imitatores facti eſtis fratres, eccleſiarum dei , quæ ſunt in Iudæa, in Chriſto Ieſu: quod eadem paſſi ſitis & uos à proprijs contribulibus, quemadmodum & ipſi nos à Iudæis: qui ut & dominum occiderunt Ieſum , & proprios prophetas , ita & nos perſequuti ſunt, & deo non placent, & omnibus hominibus aduerſantur, qui obſiſtunt nobis, ne loquamur gentibus, quo ſalui fiant, ut expleant ſua peccata ſemper. Peruenit autem in illos ira in finem. Cæterum

rum nos fratres, orbati uobis ad ſpacium temporis aſpectu, non corde, uehementius ſtuduimus uidere faciem ueſtram, cum multo deſiderio. Quapropter uoluimus uenire ad uos, ego quidem Paulus, & ſemel & iterum, & obſtitit nobis ſatanas. Nam quæ eſt noſtra ſpes, aut gaudiũ, aut corona gloriationis: an non & uos, in cõſpectu domini noſtri Ieſu Chriſti, in eius aduentu? Vos enim eſtis gloria noſtra & gaudium.

CAPVT III

PRoinde cũ non amplius ferremus, uiſum eſt nobis, ut Athenis reſideremus ſoli, ac miſimus Timotheum fratrem noſtrum, & miniſtrum dei, & adiutorem operis noſtri in Euangelio Chriſti, ut cõfirmaret uos, & conſolaretur uos de fide noſtra, ne quiſquã turbaretur in afflictionibus his. Nam ipſi noſtis, nos in hunc uſum poſitos eſſe. Etenim cum apud uos eſſemus, prædicebamus uobis, fore ut afflictionem pateremur, quemadmodum & euenit, & noſtis. Quapropter & ego non amplius ferens, miſi ad hoc, ut cognoſcerem fidem ueſtram: ne quo pacto tentaſſet uos ille qui tentat, & inanis factus eſſet labor noſter. Nuper autem cum ueniſſet Timotheus ad nos à uobis, & annunciaſſet nobis fidem ac dilectionem ueſtram: & quod habeatis memoriam noſtri bonam ſemper, deſiderantes nos uidere quemadmodum nos quoque uos: Idcirco conſolationem

accepimus fratres per uos ſuper omni afflictione & neceſsitate noſtra per ueſtram fidem. Quoniam nũc uiuimus, ſi uos ſtatis in domino. Quam enim gratiarum actionem poſſumus deo rependere de uobis ſuper omni gaudio, quod gaudemus propter uos in cõſpectu dei noſtri, nocte ac die ſupra modum orantes, ut uideamus ueſtram faciem, & ſuppleamus quæ deſunt fidei ueſtræ? Ipſe uero deus & pater noſter, & dominus noſter Ieſus Chriſtus dirigat uiam noſtram ad uos: uos autẽ dominus abundantes & exuberantes faciat mutua inter uos charitate, & in omnes, quemadmodum & nos in uos, ut confirmet corda ueſtra irreprehenſibilia in ſanctimonia coram deo & patre noſtro, in aduentu domini noſtri Ieſu Chriſti, cum omnibus ſanctis eius.

CAPVT IIII

QVod ſupereſt igitur fratres, rogamus uos, & hortamur per dominum Ieſum, quemadmodũ accepiſtis à nobis, quomodo oporteat uos uerſari, & placere deo, ut abundetis magis. Noſtis enim quæ præcepta dederimus uobis per dominum Ieſum. Hæc enim eſt uoluntas dei, ſanctificatio ueſtra, ut abſtineatis à ſcortatione, & ſciat unuſquiſq; ueſtrum ſuum uas poſſidere cum ſanctificatione & honore. non cum affectu concupiſcentiæ, quemadmodum & gentes, quæ non nouerunt deum. Ne quis op

primat

primat ac fraudet in negocio fratrem ſuum, propterea quod ultor eſt dominus de omnibus his: quemadmodum & ante diximus uobis, ac teſtati ſumus. Non enim uocauit nos deus immundiciæ cauſa, ſed ad ſanctificationem. Proinde qui reijcit, non reijcit hominem, ſed deum, qui dedit ſpiritum ſuum ſanctum in uos. Cæterum de fraterna charitate non neceſſe habetis, ut ſcribã uobis. Ipſi nanq; diuinitus docti eſtis, ut diligatis uos inuicẽ. Nam & facitis hoc erga cunctos fratres, qui ſunt in tota Macedonia. Obſecramus autẽ uos fratres, ut abundetis magis, & in hoc incumbatis, ut quieti ſitis: & agatis res proprias, & operemini proprijs manibus ueſtris, ſicuti uobis præcepimus: ut uos geratis honeſte erga extrarios, & nulla re uobis ſit opus. Cæterum, nolo uos ignorare fratres de his, qui obdormierunt, ne doleatis, quemadmodum & cæteri non habentes ſpem. Nam ſi credimus, quod Ieſus mortuus eſt, & reſurrexit: ſic & deus eos qui obdormierunt per Ieſum, adducet cum illo. Hoc enim uobis dicimus in uerbo domini, quod nos qui uiuemus, & reliqui erimus in aduentum domini, nequaquam præueniemus eos qui dormiunt. Quoniam ipſe dominus cũ hortatu, & uoce archangeli, ac tuba dei deſcẽdet de cœlo: & mortui in Chriſto reſurgent primum: deinde nos qui uiuemus, qui reliqui erimus, ſimul cum illis rapiemur in nubibus 1.Corin.15

in occurſum domini in aëra, & ſic ſemper cum domino erimus. Proinde conſolemini uos mutuo ſermonibus his.

CAPVT V

Porrò de temporibus & articulis temporũ fratres, non eſt opus, ut uobis ſcribam. Ipſi enim
1.Pet.3 planè ſcitis, quod dies ille domini ut fur in nocte, ita uenturus ſit. Cũ enim dixerint, pax & tuta omnia, tunc repentinus eis imminet interitus, ſicuti dolor partus mulieri prægnanti: nec effugient. At uos fratres, nõ eſtis in tenebris, ut dies ille uos tanquam fur opprimat. Omnes uos filij lucis eſtis, ac filij dici: non ſumus noctis, neq; tenebrarum. Proinde ne dormiamus, ſicut & cæteri, ſed uigilemus & ſobrij ſimus. Nam qui dormiunt, nocte dormiunt: & qui inebriantur, noctu ſunt ebrij. At nos qui ſumus diei, ſobrij ſi-
Eſa.59 mus, induti thoracem fidei & charitatis: & pro galea ſpem ſalutis. Quoniam non conſtituit nos deus, ut iram nobis concitemus, ſed ut ſalutem conſequamur per dominum noſtrũ Ieſum Chriſtum, qui mortuus eſt pro nobis: ut ſiue uigilemus, ſiue dormiamus, ſimul cum illo uiuamus. Quapropter adhortemini uos mutuo, & ædificetis ſinguli ſingulos, ſicut & facitis. Rogamus autem uos fratres, ut agnoſcatis eos, qui laborant inter uos, & qui præſunt uobis in domino, & admonẽt uos, ut habeatis illos in ſum-

mo precio per charitatem propter opus illorum: pa
cem habete cum illis. Obsecramus autẽ uos fratres,
monete inordinatos, consolamini pusillanimes, suble
uate infirmos, patientes estote erga omnes. Videte
ne quis malum pro malo cuipiam reddat, sed semper
quod bonum est sectemini, tum erga uos inuicem,
tum erga omneis. Semper gaudete, indesinenter ora
te, in omnibus gratias agite. Hæc enim est uoluntas
dei per Christum Iesum erga uos. Spiritum ne extin
guatis: prophetias ne aspernemini. Omnia probate:
quod bonum fuerit, tenete. Ab omni specie mala ab
stinete. Ipse autem deus pacis sanctificet uos totos.
Et integer uester spiritus, & anima, & corpus, ita
ut in nullo poßitis culpari, in aduentu domini nostri
Iesu Christi seruetur. Fidelis est qui uocauit uos, qui
idem efficiet. Fratres, orate pro nobis. Salutate fra
tres omneis cum osculo sancto. Adiuro uos per
dominum, ut recitetur hæc epistola om
nibus sanctis fratribus. Gratia
domini nostri Iesu Christi
sit uobiscum.
Amen.

AD THESSALONICENSES
prima, scripta fuit ex Athenis.

IN EPISTOLAM AD THES/ salonicenſes poſteriorem, argumentum per Eraſmum Roterodamum.

QVoniam non contigit Paulo facul/tas reuiſendi Theſſalonicenſes, per epiſtolam confirmat illorũ animos, ut fortiter ferant illatas ob Chriſtum afflictiones: nec ipſis defuturum præ mium, nec aduerſarijs uindictam. Rurſum de die ad/uentus domini, de quo nonnihil attigerat in epiſtola ſuperiori, monet, ne quid commouerentur quorun-dam dictis, qui aſſeuerabant illum iam inſtare, tecte, ſicuti putant, ſignificans, prius abolendum Romanũ imperium, ac deinde uenturum Antichriſtum. Atten tius etiam inculcat coërcendos eſſe, qui ocio & cu/rioſitate ſua turbarent quietem & ordinem publi/cum, & ad opus adigendos, cũ ipſe Paulus a/pud eos manibus ſuis laborarit. Scripſit Athenis per eoſdẽ per quos mi/ſit priorem epiſtolam, ut noſtra docent ar/gumenta.

ARGVMENTI FINIS

AD THESSALO-
NICENSES EPISTOLA
secunda CAP. I

PAVLVS & Syluanus ac Timotheus, ecclesiæ Thessalonicensiũ in deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratia sit uobis & pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo. Gratias agere debemus deo semper de uobis fratres, ut par est, quod uehementer augescit fides uestra, & exuberat mutua uestra omnium charitas, cuiusq; in alterum, adeo ut nosipsi de uobis gloriemur in ecclesijs dei, de tolerantia uestra & fide, super omnibus persecutionibus uestris, & afflictionibus, quas sustinetis, documentũ iusti iudicij dei, in hoc ut digni habeamini regno dei, pro quo & patimini. Siquidem iustum est apud deũ, reddere his qui affligũt uos, afflictionẽ, & uobis qui affligimini relaxationem nobiscum, cum reuelabitur dominus Iesus de cœlo, cum angelis potentiæ suæ, cũ incendio flammæ, qui infligit ultionem his, qui nõ nouerunt deum, & qui non obediunt euangelio domini nostri Iesu Christi, qui pœnam luent, interitũ æternum

num,à facie domini,& à gloria fortitudinis illius,cũ uenerit ut glorificetur in ſanctis ſuis, & admirandus fiat in omnibus credẽtibus,quod fides habita ſit teſtimonio noſtro erga uos in die illo:ad quod etiam oramus ſemper pro uobis, ut uos dignos habeat iſta uocatione deus noſter,& compleat omne bonũ propoſitum bonitatis,& opus fidei cum potentia,ut illuſtretur nomẽ domini noſtri Ieſu Chriſti per uos, & uos per illum,iuxta gratiã dei noſtri & domini Ieſu Chriſti.

CAPVT II

ROgamus autem uos fratres per aduentum domini noſtri Ieſu Chriſti, & noſtri aggregationem in illũ,ne cito dimoueamini à mente,neq; turbemini,neq; per ſpiritum, neq; per ſermonem,neque per epiſtolam,tanquam nobis autoribus,quaſi inſtet
Matth.24 dies Chriſti,ne quis uos decipiat ullo modo:quoniam non adueniet dominus,niſi uenerit defectio prius,& reuelatus fuerit homo ille ſceleroſus,filius perditus, qui eſt aduerſarius,& effertur aduerſus omnem,qui dicitur deus aut numẽ: adeo ut in templo dei ſedeat, oſtentans ſeipſum eſſe deũ. An non meminiſtis,quod cum adhuc eſſem apud uos, hæc dixerim uobis? Et nunc quid detineat ſcitis, nempe ut ille reueletur in ſuo tempore. Nam myſterium nunc agit iniquitatis, tantum qui tenet,in præſentia teneat,donec è medio tollatur:& tunc patefiet iniquus ille,quem dominus

conficiet

conficiet ſpiritu oris ſui,& abolebit claritate aduen tus ſui: cuius eſt aduentus ſecundum operationem ſa tanæ,cum omni potentia,& ſignis,ac prodigijs men dacibus, & cum omni deceptione iniuſticiæ, in his, qui pereunt, pro eo quod dilectionem ueritatis non receperunt in hoc,ut ſalui fierent. Et propterea mit tet illis deus efficaciam illuſionis, ut credant menda/ cio,ut iudicentur omnes,qui non crediderunt uerita ti,ſed approbauerunt iniuſticiã.Nos autem debemus gratias agere deo ſemper de uobis fratres dilecti à domino,quod elegerit uos deus ab initio in ſalutem, per ſanctificationem ſpiritus, ac fidem ueritatis, ad quod uocauit uos per euangeliũ noſtrũ,in acquiſitio nem gloriæ domini noſtri Ieſu Chriſti. Itaq; fratres ſtate,& tenete inſtitutiones quas didiciſtis, ſiue per ſermonem,ſiue per epiſtolam noſtram. Ipſe uero do mĩus noſter Ieſus Chriſtus, et deus ac pater noſter, qui dilexit nos,& dedit conſolationem æternam,& ſpem bonam per gratiam, conſoletur ueſtra corda, & ſtabiliat uos in omni ſermone & o[illegible]ere bono.

CAPVT III

QVod ſupereſt,orate fratres pro nobis,ut ſer mo domini currat & glorificetur, ſicut & apud uos, & ut eripiamur ab abſurdis ac peruerſis hominibus. Non enim omnium eſt fides, ſed fide/ lis eſt dominus,qui ſtabiliet uos,& cuſtodiet à malo.

Confidimus

Confidimus autem per dominũ de uobis, quod quæ præcipimus uobis, & faciatis, & facturi ſitis. Porrò dominus dirigat ueſtra corda in dilectionem dei, & in expectationem Chriſti. Præcipimus autem uobis fratres, per nomen domini noſtri Ieſu Chriſti, ut ſubducatis uos ab omni fratre, qui inordinate ſe gerit, & non iuxta inſtitutionem quam accepit à nobis. Nam ipſi ſcitis, quomodo oporteat imitari nos: quoniam nõ inordinate geſſimus nos inter uos, neq; gratis panem accepimus à quoquam, ſed cũ labore & ſudore, nocte dieq; facientes opus, ad hoc, ne cui ueſtrum eſſemus oneri. Non, quod id nobis non liceat, ſed ut noſmetipſos formam exhiberemus uobis ad imitandum nos. Etenim cum eſſemus apud uos, hoc præcipiebamus uobis, ut ſi quis nollet operari, is nec ederet. Audimus enim quoſdam uerſantes inter uos inordinate, nihil operis facientes, ſed curioſe agentes. Iis autem qui ſunt iſtiuſmodi, præcipimus & obſecramus per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum, ut cum quiete operantes, ſuum ipſorum panem edant. Vos autem fratres, ne defatigemini in benefaciendo. Quod ſi quis non obedit ſermoni noſtro, per epiſtolam hunc indicate: & ne cõmercium habeatis cũ illo, ut pudore ſuffundatur: neq; uelut inimicũ habeatis, ſed admonete ut fratrem. Ipſe autem dominus pacis det uobis pacẽ ſemper omnibus modis. Dominus

ſit

ſit cum omnibus uobis. Salutatio mea manu Pauli, quod eſt ſignum in omni epiſtola. Ita ſcribo: Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum omnibus uobis, Amen.

Miſſa fuit ex Athenis.

IN EPISTOLAM AD TIMOtheum priorem argumentum per Eraſmum Roterodamum

TImotheum matre Iudæa, ſed Chriſtiana, patre Græco, Paulus in miniſterium adoptarat, probæ indolis iuuenem, & ſacris literis eruditum, quem tamen ob Iudæos coactus eſt circuncidere. Quoniam autem huic eccleſiarum curam delegarat, ſicut & Tito, quas ipſe nõ poterat adire, inſtituit eum in functione epiſcopali, & in diſciplina eccleſiæ, non ſic admonens ut diſcipulum, ſed ut filium, & collegam. Id quo cum maiore faciat autoritate, ſubinde apoſtolicam autoritatem ſibi uindicat. Admonet autem, ut reiectis, qui Iudaicas fabulas inuecherẽt, ea doceret, quæ eßent fidei & charitatis: deinde principum licet ethnicorum, autoritatem (quoniam hinc pendebat ordo ciuitatis, & tranquillitas reipublicæ) adeò non ſper-

nendã Christianis,ut pro his orari iubeat. Quid uiros deceat in cœtu ecclesiastico,quid mulieres, præscribit. Episcopum depingit cum sua familia. Atque hæc fermè tribus primis capitibus . Deinde admonet,ne recipiat Iudaicas fabulas , de ciborũ delectu, de uitando coniugio. Mox docet, qualem se præstare debeat erga grandes natu uiros,erga iuuenes,erga anus,erga puellas,erga uiduas diuites ac pauperes, & ecclesiæ stipe alendas, erga adolescentiores et suspectæ etiamnũ ætatis. Ad hæc præscribit, quid præcipere debeat dominis,quid seruis, quid diuitibus:admonens modis omnibus reijciendas cõtentiosas quæstiones sophistarum,inani doctrinæ specie se se uenditantium. Scribit è Laodicea per Tychicum diaconum.

ARGVMENTI FINIS

EPISTOLA PAVLI

ad Timotheum prima. Cap. I

PAVLVS apostolus Iesu Christi iuxta delegationẽ dei seruatoris nostri & domini Iesu Christi, qui est spes nostra,Timotheo germano filio in fide. Gratia, misericordia, pax

pax à deo patre nostro, & domino Iesu Christo do
mino nostro. Quemadmodum rogaui te, ut remane
res Ephesi, cum proficiscerer in Macedoniam: ita
facito, ut renuncies quibusdam, ne diuersam sequan/
tur doctrinam, nec attendãt fabulis & genealogijs
nunquam finiendis, quæ quæstiones præbent magis
quàm ædificationem dei, quæ est per fidem. Porrò
finis præcepti, est charitas ex puro corde, & con/
scientia bona, & fide non simulata: à quibus quod
aberrarunt quidam, deflexerũt ad uaniloquium, uo
lentes esse legis doctores, non intelligentes quæ lo/
quuntur, neq; de quibus asseuerant. Scimus autem,
quod bona sit lex, si quis ea legitime utatur, sciens il
lud, quod iusto lex non sit posita, sed iniustis & in
obsequentibus, impijs & peccatoribus, irreuerenti/
bus & profanis, patricidis, & matricidis, homici/
dis, scortatoribus, masculorum concubitoribus, pla
giarijs, mendacibus, periuris, & si quid aliud est,
quod sanæ doctrinæ aduersetur secundum Euange/
lium gloriæ beati dei, quod cõcreditum est mihi. Et
gratiã habeo, qui me potentem reddidit, Christo Ie
su domino nostro: quia fidelẽ me iudicauit ponendo
in ministeriũ, qui prius erã blasphemus & persecu
tor, & uiolentus: sed & misericordiã adeptus sum,
quod ignorans fecerim per incredulitatẽ. Exubera/
uit aũt supra modũ gratia domini nostri cũ fide &

dilectione, quæ est per Christum Iesum. Certus ser-
mo & dignus, quem modis omnibus amplectamur,
quod Christus Iesus uenit in mundũ, ut peccatores
ſaluos faceret, quorũ primus ſum ego. Verum ideo
miſericordiam ſum adeptus, ut in me primo oſten-
deret Ieſus Chriſtus omnem clementiam, ad expri-
mendum exemplar ijs, qui crediturí eſſent in ipſo in
uitam æternã. Regi autem ſeculorũ immortali, inui
ſibili, ſoli ſapienti deo honor, gloria, in ſecula ſecu-
lorum, Amen. Hoc præceptũ commendo tibi fili Ti
mothee, iuxta prophetias quæ de te præceßerũt, ut
milites in eis bonam militiam, habens fidem & bo-
nam conſcientiam, qua repulſa nõnulli circa fidem
naufragium fecerunt: quorum de numero eſt Hyme
næus & Alexander, quos tradidi ſatanæ, ut diſcant
non maledicere. CAP. II

ADhortor igitur, ut ante omnia fiant depre
cationes, obſecrationes, interpellationes,
gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro re
gibus, & omnibus in eminentia conſtitutis: ut pla-
cidam ac quietam uitam degamus cum omni pieta
te & honeſtate. Nam hoc bonum eſt & acceptum
corã ſeruatore noſtro deo, qui cũctos homines uult
ſaluos fieri, & ad agnitionẽ ueritatis uenire. Vnus
enim deus, unus etiam conciliator dei & hominũ,
homo Chriſtus Ieſus, qui dedit ſeme: ipſum precium

redem

redemptionis pro omnibus,ut eßet teſtimoniũ tem poribus ſuis: in quod poſitus ſum ego præco et apo ſtolus,ueritatẽ dico in Chriſto, non mentior,doctor gentium cum fide & ueritate. Volo igitur orare ui ros in omni loco,ſuſtollentes puras manus abſq; ira & diſceptatione. Conſimiliter & mulieres in ami ctu modeſto, cum uerecũdia & caſtitate ornare ſe metipſas,non tortis crinibus,aut auro,aut margari tis,aut ueſtitu ſumptuoſo, ſed quod decet mulieres, profitentes pietatem per opera bona. Mulier in ſi lentio diſcat cum omni ſubiectione. Cæterum mulie ri docere non permitto, neq; autoritatem uſurpare in uiros,ſed eße in ſilentio. Adam enim prior forma tus eſt,deinde Eua:& Adam non fuit deceptus,ſed mulier ſeducta,obnoxia facta eſt tranſgreßioni: ſal ua tamen fiet per generationem liberorum, ſi man ſerint in fide ac dilectione & ſanctificatione cum caſtitate.

CAP. III

INdubitatus ſermo. Si quis epiſcopi munus appe tit,honeſtum opus deſiderat. Oportet igitur epi ſcopum irreprehenſibilem eſſe, unius uxoris mari tum,uigilantem,ſobriũ,modeſtũ,hoſpitalem,aptum ad docendum:non uinolentum,nõ percuſſorem,non turpiter lucri cupidũ: ſed æquum, alienũ à pugnis, alienum ab auaritia:qui ſuæ domui bene præſit: qui liberos habeat in ſubiectione cũ omni reuerentia.

Quod ſi quis propriæ domui præeſſe nõ nouit, quomodo eccleſiam dei curabit? Non nouitium, ne inflatus in cõdemnationem incidat calumniatoris. Oportet autem illum & bonum habere teſtimoniũ ab extraneis, ne in probrum incidat, & laqueum calũniatoris. Miniſtros itidem cõpoſitos, non bilingues, nõ multo uino deditos, nõ turpiter lucri auidos, tenentes myſterium fidei cũ pura conſcientia: atq; hi probentur prius, deinde miniſtrẽt ſic, ut nemo poſſit illos criminari. Vxores ſimiliter modeſtas, nõ calumnioſas, ſobrias, fidas in omnibus. Diaconi ſint unius uxoris mariti, qui liberis recte præſint, & proprijs familijs. Nam qui bene miniſtrauerint, gradum ſibi bonum acquirunt, & multam libertatẽ in fide, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Hæc tibi ſcribo, ſperans fore, ut ueniam ad te cito, quod ſi tardius uenero, ut noris quomodo oporteat in domo dei uerſari: quæ eſt eccleſia dei uiuentis, columna & ſtabilimentum ueritatis. Et citra cõtrouerſiam magnũ eſt pietatis myſterium. Deus manifeſtatus eſt in carne, iuſtificatus eſt in ſpiritu: uiſus eſt angelis, prædicatus eſt gentibus: Fides illi habita eſt in mundo, receptus eſt in gloria.

CAP. IIII

SPiritus autem certo loquitur, quod in poſterioribus temporibus deſciſcent quidam à fide, attendentes ſpiritibus impoſtoribus, ac doctrinis dæmonio-

moniorum, per ſimulationem falſiloquorum, cauterio notatam habentium cõſcientiam, prohibentium cõtrahere matrimoniũ, iubentium abſtinere à cibis, quos deus creauit ad ſumendũ cum gratiarũ actione fidelibus, & ijs qui cognouerunt ueritatẽ: quod quicquid creauit deus, bonũ ſit, & nihil reijciendũ, ſi cũ gratiarũ actione ſumatur. Sanctificatur enim per ſermonem dei, ac precationem. De his, ſi cõmoneſceris fratres, bonus eris minister Ieſu Chriſti, enutritus in ſermonibus fidei, bonæq; doctrinæ, quã uſq; ſecutus es. Cæterum profanas & aniles fabulas reijce, quin potius exerce temetipſum ad pietatem. Nam corporalis exercitatio paululũ habet utilitatis: at pietas ad omnia utilis eſt, ut quæ promiſſiones habeat uitæ præſentis ac futuræ. Indubitatus ſermo dignusq; qui omnibus modis approbetur. Nam in hoc & laboramus, & probris afficimur, quod ſpem fixam habemus in deo uiuente, qui eſt ſeruator omniũ hominũ, maxime fidelium. Præcipe hæc & doce. Nemo tuam iuuentutem deſpiciat, ſed eſto forma fidelium in ſermone, in conuerſatione, in dilectione, in ſpiritu, in fide, in puritate. Donec uenero, attẽde lectioni, exhortationi, doctrinæ. Ne neglexeris quod in te eſt donum, quod datũ eſt tibi per prophetiã cum impoſitione manuum, autoritate ſacerdotij. Hæc exerce, in his eſto, ut tuus profectus manifeſtus

nifestus sit in omnibus. Attende tibijpsi & doctri-
næ:persiste in his. Nam id si feceris,teipsum serua-
bis & eos qui te audierint. CAP. V

SEniorem ne sæuius obiurges,sed adhortare,ut patrem,iuniores ut fratres,mulieres natu grandiores ut matres,iuniores ut sorores cum omni castitate.Viduas honora,quæ uere uiduæ sunt.Quod si qua uidua liberos aut nepotes habet, discant primum propriam domum pie tractare,& uicem rependere maioribus. Hoc enim est honestum & acceptum coram deo. Porrò quæ uere uidua est ac desolata,sperat in deo,& perseuerat in obsecrationibus ac precationibus noctu dieq;.Porrò quæ in deliti uersatur,ea uiuens mortua est.Et hæc præcipe, ut irreprehensibiles sint. Quod si qua suis & maxime familiaribus non prouidet, fidem abnegauit,& est infideli deterior.Vidua allegatur non minor annis sexaginta,quæ fuerit unius uiri uxor,in operib. bonis hominum testimonio cõprobata,si filios eduauit,si fuit hospitalis,si sanctorũ pedes lauit,si afflictis subministrauit,si in omni opere bono fuit assidua.Porrò iuniores uiduas reijce, cũ enim lasciuire cœperint aduersus Christum,nubere uolunt, habentes condemnationẽ, quod primã fidem reiecerint:simul autem & ociosæ discunt circumire domos.Imò nõ solum ociosæ,uerũ etiam garrulæ & curiosæ, loquentes

quentes quæ non oportet. Volo igitur iuniores nu/
bere,liberos gignere,domum administrare, nullam
occasionem dare aduersario,ut habeat maledicen/
di causam.Iam enim nonnullæ deflexerũt,secutæ sa
tanam.Quod si quis fidelis, aut si qua fidelis habet
uiduas,suppeditet illis,& non oneretur ecclesia: ut
ijs,quæ uere uiduæ sunt, suppetat . Qui bene præ/
sunt presbyteri, duplici honore digni habeãtur:ma
xime ij,q laborãt sermone & doctrina . Dicit enim
scriptura:Boui trituranti non obligabis os. Et: Di/ Deut. 25
gnus est operarius mercede sua.Aduersus presby/ 1.Cor.9
terum accusationẽ ne admiseris,nisi sub duobus aut Deut.19
tribus testibus. Eos qui peccant,coram omnibus ar
gue,ut & cæteri timorem habeant.Obtestor in con
spectu dei,& domini Iesu Christi,& electorum an/
gelorum , ut hæc serues sine præcipitatione iudicij,
nihil faciens iuxta propensionẽ animi . Manus cito
ne cui imponas,neq; cõmunices peccatis alienis. Te
metipsum purum serua. Ne posthac bibas aqũã, sed
uino paululo utere propter stomachum tuũ, & cre
bras tuas infirmitates. Quorũdam hominum pecca
ta ante manifesta sunt,præcedẽtia ad iudiciũ,quos/
dam uero & subsequuntur . Consimiliter & bona
opera ante manifesta sunt,& ea quæ secus habent,
occultari non possunt.

CAP. VI

QVicunq; ſub iugo ſunt ſerui, ſuos dominos omni honore dignos ducant, ne nomen dei & doctrina male audiat. Qui uero fideles habẽt dominos, ne contemnant, quod fratres ſint, ſed magis inſeruiant, quod fideles ſint ac dilecti, qui beneficentiæ participes ſunt. Hæc doce & exhortare. Si quis diuerſam ſequitur doctrinam, & non accedit ſanis ſermonibus domini noſtri Ieſu Chriſti, & ei quæ ſecundum pietatem eſt doctrinæ, is inflatus eſt, nihil ſciens, ſed inſaniens circa quæſtiones ac diſputationum pugnas, ex quibus naſcitur inuidia, contentio, maledicentia, ſuſpitiones malæ, ſuperuacaneæ cõflictationes hominũ mente corruptorũ, & quibus adempta eſt ueritas, qui exiſtimãt quæſtũ eſſe pietatẽ. Seiungere ab his qui eiuſmodi ſunt. Eſt aũt quæſtus magnus, pietas cum animo ſua ſorte contento. Nihil enim intulimus in mundũ, uidelicet nec efferre quicquam poſſumus: ſed habẽtes alimenta, & quibus tegamur, his contenti erimus. Cæterum qui uolunt diteſcere, incidunt in tentationẽ & laqueũ, & cupiditates multas, ſtultas, ac noxias, quæ demergũt homines in exitium & interitũ. Siquidẽ radix omniũ malorum eſt ſtudium pecuniæ: quã quidam dum appetunt, aberrauerunt à fide, & ſeipſos implicuerunt doloribus multis. Tu uero homo dei, iſta fuge: ſectare aũtem

re autem iustitiam,pietatẽ,fidem,charitatẽ,patien/
tiam,mansuetudinem, certa bonum certamen fidei,
apprehende uitã æternam, ad quam & uocatus es,
& professus es bonã professionem coram multis te
stibus.Præcipio tibi in cõspectu dei,qui uiuificat o/
mnia,& Iesu Christi, qui testatam fecit sub Pontio
Pilato bonam professionem,ut serues præceptũ, im
maculatus,irreprehensibilis,usq; ad apparitionẽ do
mini nostri Iesu Christi:quã temporibus suis osten/
surus est ille beatus,& solus princeps,rex regnan/
tiũ,& dominus dominantiũ:qui solus habet immor
talitatem,lucem habitans inaccessam,quẽ uidit ne/
mo hominum,neq; uidere potest:cui honor & impe
rium sempiternũ,Amen.His qui diuites sunt in præ
senti seculo præcipe, ne elato sint animo, neq; spem
ponant in diuitijs incertis,sed in deo uiuẽte,qui præ
bet nobis omnia affatim ad fruendũ,ut benefaciant,
ut diuites sint operibus bonis , ut faciles sint ad im/
partiendũ:libenter cõmunicantes,recondentes sibi/
ipsis fundamentum bonum in posterũ,ut apprehen/
dant æternam uitam. O Timothee, depositũ serua,
deuitans profanas uocum inanitates , & oppositio/
nes falsò nominatæ scientiæ,quã nonnulli profiten/
tes,circa fidẽ aberrauerũt.Gratia sit tecum,Amen.

Missa fuit ex Laodicea,quæ est Metro
polis Phrygiæ Pacatianæ.

IN EPISTOLAM AD TIMOtheum posteriorem argumentum per Erasmum Roterodamum.

QVoniam in superiori epistola spem sui reditus fecerat Timotheo, apud Ephesios agenti, nec fuit eius præstandi facultas, quod Romæ in uinculis haberetur, literis eum confirmat, ne persecutionum procellis deijciatur, sed suo exemplo animum ad martyrium præparet. Instare enim tempora periculosa ob quosdam, pietatis prætextu ueram pietatem subuertẽtes: itaq; sese iactantes, quasi in uerbis sit Christiana religio, ac non potius in animi puritate. Deinde testatus, imminere diem obitus sui, seq; iam à plerisque destitutum, iubet, ut Timotheus unà cum Marco propere ad se Romam ueniat. Scripsit Romæ, cum iterum ad Neronis tribunal sisteretur

ARGVMENTI FINIS

EPISTOLA PAVLI
ad Timotheum ſecunda.

CAP. I

PAVLVS apoſtolus Ieſu Chriſti, per uoluntatem dei, ſecũdum promiſſionem uitæ, quæ eſt in Chriſto Ieſu, Timotheo dilecto filio. Gratia, miſericordia, pax à deo patre, & Chriſto Ieſu domino noſtro. Gratiam habeo deo, cui ſeruio à maioribus cum pura conſcientia, quod citra ullam intermiſſionem faciam de te mentionem in precationibus meis noctu dieq;, deſiderans te uidere, memor tuarum lachrymarum, ut gaudio replear, ubi commonefactus fuero eius, quæ eſt in te non ſimulatæ fidei, quæ habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunica: certum autem ſcio, quod in te quoq;. Quã ob cauſam commonefacio te, ut ſuſcites donũ dei quod eſt in te per impoſitionem manuum mearum. Non enim dedit nobis deus ſpiritũ timiditatis, ſed potentiæ ac dilectionis & ſobrietatis. Ne igitur te pudeat teſtimonij domini noſtri, neq; te pudeat mei, qui ſum uinctus illius: ſed eſto particeps afflictionum

Euange-

Euangelij iuxta potentiam dei, qui ſaluos fecit nos, & uocauit uocatione ſancta: non ſecundū opera noſtra, ſed ſecundū ſuum propoſitum & gratiā, quæ data quidem eſt nobis per Chriſtū Ieſum ante tēpora æterna, ſed palàm facta eſt nunc per apparitionem ſeruatoris noſtri Ieſu Chriſti, qui mortem quidem aboleuit, uitam autē in lucem produxit, ac immortalitatem per Euangelium, in quod poſitus ſum ego præco & apoſtolus, ac doctor gentium: quam ob cauſam & hæc patior, attamen nō erubeſco. Noui enim certuſq; ſum, quod is cui credidi, potens ſit depoſitum meum cuſtodire in illum diem. Formam habeto ſanorum ſermonum, quos à me audiſti cū fide & charitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu. Egregiū depoſitum ſeruato per ſpiritū ſanctum, qui inhabitat in nobis. Noſti hoc, quod auerſati fuerint me omnes qui ſunt in Aſia: quorum eſt Phygelus & Hermogenes. Det miſericordiā dominus Oneſiphori familiæ, quoniam ſæpe me refocillauit, & de catena mea non erubuit: ſed cū eſſet Romæ, ſtudioſius quæſiuit me, & inuenit: det ei dominus, ut inueniat miſericordiā apud dominū in die illo: & quàm multis Epheſi miniſtrauerit, melius tu noſti. CAP. II

TV igitur fili mi, fortis eſto in gratia, quæ eſt per Chriſtum Ieſum, & in his quæ audiſti à me per multos teſtes. Hæc commenda fidelibus hominibus

minibus,qui erunt idonei,ut alios quoq; doceãt. Tu igitur feras afflictiones,ut bonus miles Iesu Christi. Nemo qui militat, implicatur uitæ negocijs, ut ei q̃ se in militiã delegit,placeat . Quod si certet etiam aliquis,non coronatur,nisi legitime certauerit. Laborantem agricolam oportet primum de fructibus percipere. Cogita quæ dico. Det enim tibi dominus in omnibus intellectum . Memento,Iesum Christum resurrexisse ex mortuis , ex semine Dauid,secũdum Euangelium meum,in quo malis affligor,quasi faci/noroſus usq; ad uincula:at sermo dei nõ fuit uinctus. Propterea omnia suffero propter electos,ut & ipsi salutem consequantur,quæ est in Christo Iesu , cum gloria æterna. Certus sermo. Nam si commortui sumus,& conuiuemus:si sufferimus , & conregnabimus:si negamus,& ille negabit nos: si increduli sumus,ille fidelis manet : negare seipsum non potest. Hæc admone,contestans coram domino, ne uerborum pugnas sequantur,ad nullam utilitatem,ad subuersionem audientium. Stude teipsum probatum exhibere deo,operarium non erubescendum,recte secantem sermonem ueritatis. Cæterum profanas uocũ inanitates prætermittito: ad maiorẽ enim profi/cient impietatẽ:& sermo illorũ, ut cancer morbus, pastionem habebit : quorum de numero est Hymenæus,& Philetus, qui circa ueritatem aberrarunt, dicentes

dicentes, resurrectionem iam esse factam, & subuertunt quorundam fidem. Solidum tamen fundamentum dei stat, habens signaculum hoc. Nouit dominus, qui sint sui. Et discedat ab iniquitate omnis qui nominat nomen Christi. Cæterum in magna domo non tantum sunt uasa aurea & argentea, uerũ etiã lignea, ac testacea, & alia quidem in honorem, alia uero in contumeliam. Si quis igitur expurgarit seipsum ab his, erit uas in honorem sanctificatum, accõmodum usibus domini, ad omne opus bonũ præ-
1. Timot. 4 paratum. Iuueniles autem concupiscentias fuge: sectare uero iustitiam, fidem, charitatem, pacem cum
Titum 3 his qui inuocant dominum ex puro corde. Stultas autem & ineruditas quæstiones respue, sciens eas parere pugnas. Porrò seruum domini non oportet pugnare, sed placidum esse erga omnes, propensum ad docendum, tolerantem malos cum mansuetudine, erudientem cos qui obsistunt, si quando det illis deus pœnitentiam ad agnoscendum ueritatem, & resipiscant è diaboli laqueo, capti ab eo ad ipsius uoluntatem.

CAP. III

ILlud autem scito, quod in extremis diebus instabunt tempora periculosa. Erunt enim homines sui amantes, auari, fastuosi, superbi, maledici, parentibus immorigeri, ingrati, impij, carentes affectu, nescij fœderis, calumniatores, intemperantes, immites

mites, negligentes bonorum, proditores, præcipi-
tes, inflati, uoluptatem amantes potius quàm aman-
tes dei: habentes formã pietatis, sed qui uim eius ab-
negarint. Et istos auersare. Ex his enim sunt qui su-
beunt in familias & captiuas ducũt mulierculas one
ratas peccatis, quæ ducuntur concupiscentijs uarijs,
semper discentes, nec unquam ad cognitionem ueri-
tatis uenire ualentes. Quemadmodum autem Iannes
& Iambres resistebant Moysi, ita & hi resistunt ue
ritati, homines mente corrupti, reprobi circa fidem,
sed non proficient amplius. Siquidem amentia isto-
rum euidens erit omnibus, quemadmodum & illorũ
fuit. Tu uero assectatus es doctrinam meam, institu-
tionem, propositum, fidem, lenitatem, charitatem, pa
tientiam, persecutiones, afflictiones: quæ mihi accide
runt Antiochiæ, Iconij, Lystris, quas persecutiones su
stinuerim. Et ex omnibus eripuit me dominus. Sed et
omnes, qui uolunt pie uiuere in Christo Iesu, perse-
cutionem patientur. Porrò mali homines, & impo-
stores proficient in peius, dum & in errorem addu-
cunt, & errant ipsi. At tu persistito in his quæ didici
sti, & quæ tibi concredita sunt: sciens à quo didice-
ris, & quod à puero sacras literas noueris, quæ te
possunt eruditũ reddere ad salutem per fidem, quæ
est in Christo Iesu. Omnis scriptura diuinitus inspira
ta, & utilis ad doctrinam, ad redargutionem, ad cor

rectionem,ad institutionem,quæ est in iusticia,ut integer sit dei homo,ad omne opus bonum apparatus.

CAPVT IIII

OBtestor igitur ego coram deo & domino Iesu Christo,qui iudicaturus est uiuos & mortuos in apparitione sua,et in regno suo. Prædica sermonem,insta tempestiue,intempestiue: argue,increpa: exhortare cum omni lenitate & doctrina.Nam erit tempus,cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed iuxta concupiscentias suas coaceruabunt sibi doctores,ij quibus pruriũt aures,& à ueritate quidem aures auertent, ad fabulas uero conuertentur. At tu uigila in omnibus,obdura in afflictionibus,opus perage euangelistæ,ministerium tuũ ad plenum probatum reddito.Nam ipse iam immolor,& tempus meæ resolutionis instat.Certamen bonum decertaui, cursum consummaui,fidem seruaui . Quod superest,reposita est mihi iusticiæ corona,quam reddet mihi dominus in illo die,qui est iustus iudex, non solum autem mihi,sed & omnibus qui diligunt aduentum ipsius . Da operam , ut uenias ad me cito. Nam Demas me reliquit, amplexus præsens seculũ, & profectus est Thessalonicam, Crescens in Galatiam , Titus in Dalmatiam.Lucas mecum est solus. Marcum assumptum adducito unà tecũ : est enim mihi perutilis ad ministerium.Porrò Tychicum misi Ephesum.Penu-

lam

lam quam reliqui Troade apud Carpum, cum ueni/es, apporta, & libros, maxime autem membranas. Alexander fäber ærarius multis malis me affecit, red dat illi dominus iuxta facta ipsius: quem & tu caue. Vehementer enim restitit sermonibus nostris. In pri ma mea defensione nemo mihi adfuit, sed omnes me deseruerunt: ne illis imputetur: sed dominus mihi ad/fuit, & corroborauit me: ut per me præconium ex/pleretur, & audirent omnes gentes: & ereptus fui ex ore leonis, & eripiet me dominus ab omni facto malo, seruabitq; in regnum suum cœleste: cui gloria in secula seculorum, Amen. Saluta Priscam & Aqui lam, & Onesiphori familiam. Erastus mansit Corin thi. Trophimū autē reliqui in Mileto languentem.

Da operam, ut uenias ante hyemem. Salutat te Eubulus, & Pudens, & Linus, & Clau dia, & fratres omnes. Dominus Iesus Christus cum spiritu tuo. Gratia uobis/cum. Amen.

SCRIPTA E ROMA AD Timotheū secunda, cum Paulus iterum sisteretur Cæsari Neroni.

IN EPISTOLAM AD TITVM

Argumentum per Eraſmum Roterod.

Itum diſcipulum ſuũ ac filij loco habitum, ob eximias dotes, inſulæ nobiliſsimæ Cretæ præfecerat apoſtolus: & illinc abiens, archiepiſcopum conſecrarat. Huic ſcribit ex urbe Nicopoli, quæ eſt in Actiaco littore: rebus, ut apparet, adhuc tranquillioribus: ſiquidem afflictionũ aut perſecutionum nulla mentio. Monet autem, ut quod ipſe apud Cretenſes cœperat, conſummet abſoluatq; : & per ſingulas ciuitates, quas centum habuiſſe memoratur ea inſula, epiſcopos inſtituat, quos & preſbyteros uocat, idonei epiſcopi formam præſcribens. Et quoniam huc quoq; penetrarant pſeudapoſtoli, qui Iudaiſmum ſuũ omnibus ingerebant, animat eum, ut eos fortiter reijciat ac refutet. Deinde perſonarũ & ætatum præſcribit officia, quemadmodũ Timotheo præſcribit: illud addens, ne quiſquam Chriſtianæ religionis prætextu principibus aut magiſtratibus reſiſteret, ſuo fungentibus officio, quamuis eſſent à Chriſti fide alieni, quin magis eos leniter ferẽdos, ſi quando forte, uolente deo, & illi reſipiſcant. Poſtremo iubet Titum ad ſe uenire Nicopolim, ſed nõ priuſquàm Paulus Arteman, aut Tychicũ illuc miſiſſet, ne Cretenſes deſtituti uiderentur epiſcopi ſolatio.

FINIS

EPISTOLA PAVLI

AD TITVM CAP. I

AVLVS *ſeruus dei, apoſtolus autẽ Ieſu Chriſti, iuxta fidem electorũ dei & agnitionem ueritatis, quæ eſt ſecundũ pietatem in ſpe uitæ æternæ, quam promiſit is, qui mentiri neſcit, deus ante tempora æterna. Patefecit autẽ temporibus ſuis ſermonem ſuum per prædicationem, quæ commiſſa eſt mihi ſecundum delegationem ſeruatoris noſtri dei, Tito germano filio iuxta cõmunem fidem. Gratia, miſericordia, pax à deo patre, & domino Ieſu Chriſto ſeruatore noſtro. Huius rei gratia reliqui te in Creta, ut quæ deſunt, pergas corrigere, & cõſtituas oppidatim preſbyteros, ſicut ego tibi ordinaram: ſi quis eſt inculpatus, unius uxoris uir, liberos habens fideles: non obnoxios crimini luxus, aut qui non ſint intractabiles. Oportet enim epiſcopum inculpatum eſſe, tanquam dei diſpenſatorem: nõ præfractum, non iracundum, non uinoſum, nõ percuſſorem, non turpiter lucro deditum: ſed hoſpitalem, bonarum rerum*

ſtudioſum, ſobrium, iuſtum, pium, temperantem: tenacem eius qui ſecundum doctrinam eſt, fidelis ſermonis, ut potens ſit etiam exhortari per doctrinam ſanam, & contradicentes conuincere. Sunt enim multi intractabiles, & uaniloqui, & mentium ſeductores: maxime hi, qui ſunt ex circunciſione, quibus oportet obturare os, qui totas domos ſubuertunt: docentes quæ nõ oportet, turpis lucri gratia. Dixit quidã ex iſtis proprius ipſorũ propheta: Cretenſes ſemper mẽdaces, malæ beſtiæ, uentres pigri. Teſtimoniũ hoc eſt uerũ. Quã ob cauſam redarguito illos ſeueriter, ut ſani ſint in fide, non attendentes Iudaicis fãbulis, & præceptis hominũ, auerſantiũ ueritatem. Omnia quidem pura puris. Porrò pollutis & infidelibus nihil eſt purũ, ſed polluta eſt illorũ mens, & conſcientia. Deum profitentur ſe ſcire, cæterũ factis negant: cum ſint abominabiles, & dicto nõ audientes, & ad omne opus bonum reprobi.

CAPVT II

TV uero loquere, quæ decẽt ſanam doctrinam: Senes, ut ſobrij ſint, graues, modeſti, ſani fide, charitate, patientia: Anus itidem, ut in habitu ſint, qui religionem deceat, non calumniatrices, nõ uino multo ſeruientes, ut honeſta doceant, quo poſſint modeſtas reddere adoleſcentulas: ut maritos ſuos diligant, ut liberos ament, ut ſobriæ ſint, puræ, domus

cuſtodes

custodes, bonæ, subditæ suis uiris, ne sermo dei male audiat. Adolescentes consimiliter adhortare, ut sobrij sint, per omnia temetipsum præbens formam bonorum operum in doctrina, integritatem, grauitatem, sermonem sanum, irreprehensibilem: ut is qui repugnat, rubore suffundatur, nihil habens, quod de uobis dicat mali. Seruos hortare, ut suis dominis pareant, in omnibus illis placeant: non responsatores, non suffurantes, sed fidem omnem ostendentes bonam, ut doctrinam seruatoris nostri dei ornent in omnibus. Illuxit enim gratia dei, salutifera omnibus hominibus, erudiens nos, ut abnegata impietate & mundanis concupiscentijs, sobrie & iuste & pie uiuamus in præsenti seculo, expectantes beatam illam spem, & apparitionem gloriæ magni dei, & seruatoris nostri Iesu Christi, qui dedit semetipsum pro nobis, ut redimeret nos ab omni iniquitate, & purificaret sibijpsi populum peculiarem, sectatorem bonorum operũ. Hæc loquere, & hortare, & argue cum omni præcipiendi studio. Nemo te despiciat.

CAPVT III

ADmoneto illos, ut principatibus ac potestatibus subditi sint, ut magistratibus pareant, ut ad omne opus bonum sint parati, ne de quoquam maledicant: ne sint pugnaces, sed humani, omnem exhibentes mansuetudinem erga omneis homines. Nam

eramus quondã & nos ſtulti,inobedientes,errantes, ſeruiẽtes deſiderijs ac uoluptatibus uarijs,in malicia & inuidia degentes,odioſi,inuicem odio proſequentes. At poſtquàm bonitas,& erga homines amor apparuit ſeruatoris noſtri dei,nõ ex operibus quæ ſunt in iuſticia,quæ faciebamus nos,ſed ſecundũ ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit per lauacrum regenerationis,ac renouationis ſpiritus ſancti,quem effudit in nos opulente per Ieſum Chriſtũ ſeruatorem noſtrũ, ut iuſtificati illius gratia, hæredes efficeremur iuxta ſpem uitæ æternæ. Indubitatus ſermo. De his uolo ut confirmes,quo ſoliciti ſint,ut bonis operibus præſint q̃ crediderũt deo. Hæc enim ſunt honeſta et utilia hominibus. Stultas autẽ quæſtiones & genealogias, & contentiones ac pugnas legales omitte:ſunt enim inutiles & ſuperuacaneæ. Sectarũ autorem hominem, poſt unam et alteram admonitionẽ fuge:ſciens quod euerſus ſit,qui eiuſmodi eſt,& peccet per ſe damnatus. Cũ autẽ miſero Arteman ad te,aut Tychicum, da operam ut ueniãs ad me Nicopolim:nam illic decreui hybernare. Zenam legiſperitũ & Apollo ſtudioſe deducito,ne quid illis deſit. Diſcant autẽ & noſtri bonis operibus præeſſe ad neceſſarios uſus,ut nõ ſint infrugiferi. Salutant te,qui mecũ ſunt omnes. Saluta eos qui diligunt nos in fide. Gratia cum omnibus uobis. Amen.

Scripta ex Nicopoli Macedoniæ.

IN EPISTOLAM AD PHI/ lemonem argumentum per Eraſmum Roterodamum.

GRAECI *tradunt hunc* Philemo/*nem genere* Phrygem *fuiſſe, quã nationem intractabilem ac ſerui/lem eſſe, uel* Græco *prouerbio ia/ctatum eſt:* Phryx plagis *emenda/tur. Quem tamen* Paulus *ob pietatem & officia in ſanctos inter præcipuos habuit amicos. Huius ſer/uus* Oneſimus Romam *profugerat non ſine furto, quod ferè ſerui ſolent. Illic audito* Paulo, *qui tum in uinculis erat, euangelicam doctrinam amplexus eſt, ac* Paulo *ſeruiuit in carcere. Verum ne quid herus ob ſerui fugam animo cruciaretur, remittit eum: ſed miro ſtudio, miráq; ciuilitate ſeruum & fugitiuum & compilatorem domino reconcilians, ſe interim ſponſorem offerens: depenſurus, ſi quid ille ſup pilaſſet in fuga. Scribit enim è uinculis per dictum* Oneſimum, *quem & filium uocat.*

ARGVMENTI FINIS

AD PHILEMO=

NEM EPISTOLA PAVLI

Aulus uinctus Christi Ie/ſu, & Timotheus frater, Philemoni dilecto & col legæ noſtro, & Apphiæ dilectæ, & Archippo cõ/militoni noſtro, et quæ do mi tuæ eſt, cõgregationi. Gratia uobis & pax à deo patre noſtro & domino Ieſu Chriſto. Gratias a/go deo meo, ſemper mentionẽ tui faciens in precibus meis, cum audiam tuam charitatem ac fidem, quam habes erga dominũ Ieſum, & erga omnes ſanctos: ut communicatio fidei tuæ efficax fiat in agnitione om nis boni, quod eſt in uobis erga Chriſtum Ieſum. Gau dium enim habemus multũ, & conſolationem in di/lectione tua, quod uiſcera ſanctorum refocillata ſunt per te frater. Quapropter quamuis multam in Chri ſto fiduciam habeam iniungendi tibi, id quod officij tui erat: tamen propter charitatem potius rogo, cũ talis ſim, nempe Paulus ſenex, nũc aũt etiam uinctus Ieſu Chriſti. Rogo autem pro filio meo, quem genui in uinculis meis Oneſimo, quondam tibi inutili, nunc

uero

uero tibi & mihi perutili, quem remiſi. Tu autem eum, hoc eſt, uiſcera mea ſuſcipe, quẽ ego cupiebam apud me retinere, ut pro te miniſtraret mihi in uinculis euangelij. Sed abſq; tua ſententia nihil uolui facere, ne uelut ex neceſsitate bonum tuum eſſet, ſed ſpontaneum. Nam propterea forſitan receſsit ad tempus, ut æternum eum reciperes, non iam ut ſeruum, ſed ſupra ſeruum, nempe fratrem dilectum, maxime mihi: quanto autem magis tibi, & in carne, & in domino? Si igitur me habes cõſortem, ſuſcipe illum tanquam me. Quod ſi quid læſit te, aut debet, hoc mihi imputa (ego Paulus ſcripſi mea manu) ego dependam: ut ne dicam tibi, quod etiam teipſum mihi inſuper debes. Etiam frater, ego te fruar in domino. Refocilla mea uiſcera in domino. Confiſus de obedientia tua ſcripſi tibi, ſciens, quod etiam ultra quàm dico facturus ſis. Simul autem etiam præpara mihi hoſpitium. Spero enim, quod auxilio precum ueſtrarũ donabor uobis. Salutant te Epaphras cõcaptiuus meus in Chriſto Ieſu, Marcus, Ariſtarchus, Demas, Lucas, adiutores mei. Gratia domini noſtri Ieſu Chriſti ſit cum ſpiritu ueſtro. Amen.

MISSA FVIT E ROMA
per Oneſimum ſeruum.

IN EPISTOLAM AD HE/ braeos argumentum per Eraſ. Roterod.

NVlla gens obſtinatioribus animis repugnabat euãgelio Chriſti, quàm Iudæorum, qui Paulo etiã peculiariter erant infenſi, quod ſe gentiũ apoſtolũ profiteretur: quas Iudæi, ut profanas & impias, abominabantur: quodq; legẽ Moſaicã, quã illi ſacroſanctam habebant, & euangelij uice per uniuerſum orbem ſpargi cupiebãt, antiquare uideretur. Adeo ut eſſent inter hos quoq; qui Chriſti doctrinã receperant, qui putarent legis obſeruationẽ cum euangelio miſcendam. Hieroſolymis igitur qui crediderant, uarijs calamitatibus afficiebantur ab his, qui reſiſtebant euangelio (nam penes hos erat publica autoritas) cõijciebantur in uincula, cædebantur, diripiebantur illorũ bona. Hos itaq; conſolatur Paulus, partim exemplo ueterũ ſanctorũ, quorũ pleriq; ſimilibus, aut grauioribus calamitatibus exerciti ſunt, quo uirtus illorũ eſſet exploratior ſpectatiorq;, ac præcipue exemplo Chriſti: partim ſpe præmij cœleſtis. Deinde declarat, coruſcante iam euangelio Chriſti, ceſſaſſe umbras legis Moſaicæ, multa repetens ex ueteri teſtamento, et ad Chriſtũ accõmodans. Docet nõ ex obſeruatione legis, ad tempus datæ & imperfectæ, ſperandam eſſe ſa/

ARGVMENTVM

ſe ſalutem: ſed ex fide, qua ueteres etiam illi probatæ ſanctimoniæ uiri, quorũ memoria Iudæis erat ſacroſancta, deo potißimũ placuiſſent. In fine tradit præcepta quædam ad mores Chriſtianos facientia.

ARGVMENTI FINIS

BEATI PAVLI

APOSTOLI EPISTOLA

ad Hebræos. CAP. I

EVS *olim multipharia, multisq; modis locutus patribus per prophetas, extremis diebus hiſce locutus eſt nobis per filium, quem conſtituit hæredem omniũ: per quem etiam ſecula condidit, qui cum ſit ſplendor gloriæ, & expreſſa imago ſubſtantiæ illius, moderetúrq; omnia uerbo potentiæ ſuæ, per ſemetipſum purgatione facta peccatorũ noſtrorum, conſedit in dextera maieſtatis in excelſis: tanto præſtantior factus angelis, quanto excellentius præ*

illis

illis ſortitus eſt nomen. Nam cui dixit unquam angelorum: Filius meus es tu, ego hodie genui te? Ac rurſum: Ego ero ei pater, & ille erit mihi filius. Rurſum autē cum inducit primogenitū in orbem terrarū, dicit: Et adorent eum omnes angeli dei. Et ad angelos quidem dicit: Qui creat angelos ſuos ſpiritus, & miniſtros ſuos ignis flammam. Ad filium aūt: Thronus tuus deus in ſeculum ſeculi, uirga rectitudinis, uirga regni tui. Dilexiſti iuſticiam, & odiſti iniquitatem, propterea unxit te deus, deus tuus, oleo exultationis ultra cōſortes tuos. Et tu in initio domine terræ fundamenta ieciſti, & opera manuum tuarū ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanes, & omnes ut ueſtimentū ueteraſcent, ac uelut amictū circunuolues eos, & mutabuntur: tu autē idem es, & anni tui nō deficient. Ad quem autē angelorū dixit unquam? Sede à dextris meis, donec poſuero inimicos tuos ſcabellum pedū tuorum. Nónne omnes ſunt adminiſtratorij ſpiritus, qui in miniſteriū emittuntur propter eos, qui hæredes erunt ſalutis?

2.Reg.7
Pſal.96
Pſal.103
Pſal.44
Pſal.109

CAP. II

PRopterea oportet nos uehementius attendere his, quæ dicta ſunt nobis, ne quando perfluamus. Etenim ſi is qui per angelos dictus fuerat ſermo, fuit firmus, & omnis tranſgreſsio & inobedientia iuſtam præmij repenſationem accepit, quomodo nos effugiemus, ſi tantam neglexerimus ſalutē? quæ

cum

cum primũ enarrari cœperit per ipſium dominũ, ab his qui audierant, in nos confirmata fuit, atteſtante deo, & ſignis, et prodigijs ſimul, uarijſq; uirtutibus, & ſpiritus ſancti diſtributionibus, iuxta ipſius uoluntatem. Non enim angelis ſubiecit orbem terræ futurum, de quo loquimur. Teſtatus eſt autẽ alicubi quidam, dicens: Quid eſt homo quod memor es eius: aut filius hominis, quod inuiſis illũ? Feciſti cũ pauliſper inferiorẽ angelis, gloria & honore coronaſti eum, & conſtituiſti eum ſuper opera manuũ tuarũ. Omnia ſubieciſti ſub pedibus eius. In hoc enim quod ei ſubiecit omnia, nihil omiſit illi nõ ſubiectum. At nondum uidemus illi omnia eſſe ſubiecta. Eum uero qui pauliſper diminutus fuerat infra angelos, cernimus Ieſum, propter cruciatum mortis, gloria & honore coronatum, ut per gratiam dei, pro omni guſta ret mortem. Decebat enim eum, propter quem ſunt omnia, & per quem ſunt omnia, ut multis filijs in gloriam adductis, principem ſalutis illorum per afflictiones perfectum redderet: quandoquidem & qui ſanctificat, & qui ſanctificantur, ex uno ſunt omnes. Quam ob cauſam non erubeſcit fratres illos uocare, dicens: Annunciabo nomen tuũ fratribus meis, in medio eccleſiæ laudabo te. Et rurſum: Ego ero fidens in illo. Et iterum: Ecce ego & pueri, quos mihi dedit deus. Poſteaquàm igitur pueri cõmerciũ habent cũ carne

Pſal. 8

1. Cor. 15

Philip. 2

Pſal. 21

Eſa. 8

carne & ſanguine, & ipſe ſimiliter particeps factus eſt eorundem, ut per mortem aboleret eum, qui mortis habebat imperium, hoc eſt, diabolum: & liberos redderet eos, quicunq; metu mortis per omnem uitam obnoxij erant ſeruituti. Non enim uidelicet angelos aſſumit, ſed ſemẽ Abrahæ aſſumit. Vnde debuit per omnia fratribus ſimilis reddi, ut miſericors eſſet & fidelis pontifex: in his quæ apud deũ forent agenda ad expiandũ peccata populi. Nam ex hoc quod ipſi contigit tentatum eſſe, poteſt & his qui tentantur ſuccurrere. CAP. III

VNde fratres ſancti, uocationis cœleſtis participes, conſiderate apoſtolum & pontificem confeßionis noſtræ Chriſtum Ieſum, quod fidelis ſit ei, qui ipſum cõſtituit, quemadmodum & Moyſes in tota domo ipſius. Tanto nanq; maiore gloria, quàm Moyſes, hic dignus eſt habitus, quanto maiorem habet honorem is, qui conſtruxit domũ, quàm ipſa domus. Omnis enim domus conſtruitur ab aliquo. Porrò qui condidit omnia, deus eſt. Et Moyſes quidem fidelis fuit in tota domo illius, ueluti miniſter in teſtimonium eorum, quæ poſt dicenda erant. At Chriſtus tanquam filius adminiſtrauit domũ ipſius, cuius domus ſumus nos, ſi fiduciam & gloriationem ſpei, ad finem uſq; firmam tenuerimus. Quapropter ſicut dicit ſpiritus ille ſanctus: Hodie ſi uocẽ eius audieritis,

ne obduretis corda uestra, ſicut in exacerbatione, in die tentationis in deſerto, ubi tentauerunt me patres uestri, probauerunt me & uiderũt opera mea quadraginta annis. Quapropter infenſus eram generationi illi, & dicebam: Semper errãt corde, ipſi uero non cognouerunt uias meas, ſicut iuraui in ira mea, ſi ingreßuri ſunt in requiem meam. Videte fratres, ne quando ſit in ullo ueſtrum cor prauum, obnoxium incredulitati, ut deſciſcat à deo uiuente, ſed exhortemini uos inuicem quotidie, quoad appellatur dies hodiernus, ne quis ex uobis induretur ſeductione peccati. Chriſti participes facti ſumus, ſi ſanè initium ſubſtantiæ uſq; ad finem firmum tenuerimus. In hoc quod dicitur: Hodie ſi uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra ſicut in exacerbatione. Nam quidam cum audiſſent, exacerbauerũt: at non omnes qui profecti fuerant ex Aegypto per Moſen. Quibus autem infenſus fuit quadraginta annis? Nónne ijs, qui peccauerant, quorũ membra ciderunt in deſerto? Quibus autem iurauit, non ingreſſuros in requiem ſuam, niſi ijs, qui non obedierant. Et uidemus, quod non potuerint ingredi propter incredulitatem.

CAP. IIII

METuamus igitur, ne quando derelicta promiſſione introëundi in requiem eius, uideatur aliquis ex uobis fuiſſe fruſtratus. Etenim nobis

annunciatũ est, quemadmodum & illis. At non profuit illis audisse sermonem, quod is non esset cum fide coniunctus iys, qui audierant. Introimus enim in requiem, nos qui credidimus, quemadmodum dixit: Sicut iuraui in ira mea, si ingressuri sint in requiem meam, licet operibus à iactis fundamentis mũdi perfectis. Dixit enim quodã in loco de septimo die sic:
Gen.2 Et requieuit deus die septimo ab omnibus operibus
Psal.94 suis. Et in hoc rursum: Si introibũt in requiẽ meam. Posteaquàm igitur illud reliquũ est, aliquos introire in eam, et quibus prius annũciatũ fuit, nõ introierũt propter incredulitatẽ, rursum quendã præfinit diẽ, hodie, in Dauid dicens, post tantum temporis, quemadmodũ dictũ est: Hodie si uocem eius audieritis, ne obduretis corda uestra. Nam si eis Iesus requiem præstitisset, nequaquã de alio posthac die locutus fuisset. Itaque relinquitur sabbatismus populo dei. Nã qui ingressus est in requiẽ illius, & ipse requieuit ab operibus suis, quemadmodũ à suis deus. Studeamus igitur ingredi in illã requiẽ, ne quis eodem concidat incredulitatis exẽplo. Viuus est enim sermo dei, & efficax, & penetrãtior quouis gladio utrinq; incidente, ac pertingens usq; ad diuisionem animæ simul ac spiritus, cõpagumq; & medullarũ,
Eccli.15 & discretor cogitationũ & intentionũ cordis, nec
Psal.33 est ulla creatura, quæ nõ manifesta sit in cõspectu illius. Sed

lius. Sed omnia nuda & resupinata oculis eius, ad quē nobis est sermo. Habentes igitur pontificē magnū, qui penetrauit cœlos, Iesum filiū dei, teneamus professionem. Nō enim habemus pontificē, qui non possit affici sensu infirmitatū nostrarū, sed tentatū per omnia, iuxta similitudinem absq; peccato. Accedamus igitur cū fiducia ad thronū gratiæ, ut consequamur misericordiā, & gratiā inueniamus ad opportunum auxilium.

CAP. V

NAm omnis pontifex qui ex hominibus assumitur, pro hominibus cōstituitur, in his quæ apud deum aguntur, ut offerat donaria & uictimas pro peccatis, qui placabilis esse possit ignorantibus & errantibus, quandoquidem & ipse circundatus est infirmitate. Et propter hanc debet, quemadmodum pro populo, ita & pro seipso immolare pro peccatis. Nemo sibiipsi usurpat honorem, sed qui uocatur etiam à deo, quemadmodum & Aaron. Ita & Christus non semetipsum glorificauit ut fieret pōtifex, sed is qui dixerat illi: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Sicut & alibi dicit: Tu es sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedec. Qui in diebus carnis suæ, cum & precationes & supplicationes apud illum, qui poterat ipsum à morte seruare, cum clamore ualido & lachrymis obtulisset, & exauditus esset pro reuerentia, tametsi

filius erat, tamen didicit ex his quæ paßus eſt, obe/dientiã, ac perfectus redditus, omnibus qui ſibi obe/dierunt fiuit cauſa ſalutis æternæ, cognominatus à deo pontifex ſecundũ ordinationẽ Melchiſedec, de quo nobis multa fõrent dicenda, eaq; difficilia expli catu, quandoquidem ſegnes facti eſtis auribus. Ete/nim cũ debeatis pro tẽporis ratione doctores eße, rurſum opus habetis, ut doceamus uos quæ ſint ele/mẽta initij eloquiorũ dei: factiq; eſtis ij, quibus lacte ſit opus, & non ſolido cibo. Nam quiſquis lactis eſt particeps, is rudis eſt ſermonis iuſtitiæ, infans enim eſt. Porrò perfectorum eſt ſolidus cibus, nempe ho/rum, qui propter aſſuetudinem, ſenſus habent exer citatos ad diſcretionem boni pariter ac mali.

CAP. VI.

QVapropter omißo, qui in Chriſto rudes in/choat, ſermone, ad perfectionẽ feramur, non rurſum fundamentũ iacientes pœnitentiæ ab operi/bus mortuis, & fidei in deũ, baptiſmatũ, doctrinæ, ac manuũ impoſitionis, et reſurrectionis mortuorũ, & iudicij æterni. Atq; id faciemus, ſi quidem permi ſerit deus. Nã fieri non poteſt, ut qui ſemel fuerint il luminati, guſtauerintq; donũ cœleſte, & participes facti fuerint ſpiritus ſancti, guſtauerintq; bonũ dei uerbũ, ac uirtutes futuri ſeculi, ſi prolabãtur, denuo renouentur per pœnitentiã, ab integro crucifigen/tes ſibi/

tes ſibimetipſis filium dei, & ludibrio exponentes. Siquidē terra, quæ imbrem ſæpius in ſe uenientem cōbiberit, & progenuerit herbam accōmodam eis, opera quorum & colitur, recipit benedictionem à deo. At quæ produxerit ſpinas et tribulos, reproba eſt, & maledictioni cōfinis, cuius exitus huc tendit, ut exuratur. Cæterum perſuaſimus nobis de uobis dilecti, quæ his ſint meliora, & cū ſalute coniuncta, tametſi ſic loquamur. Nō enim iniuſtus eſt deus, ut obliuiſcatur operis ueſtri, & laboris ex charitate ſuſcepti, quā exhibuiſtis erga nomen illius, qui mini ſtraſtis ſanctis, & miniſtratis. Cupimus autem, ut unuſquiſq; ueſtrum idem præſtet ſtudiū ad plenam ſpei certitudinē, uſq; ad perfectionem, ne ſitis imbe/ cilles, ſed imitatores corū, qui per fidem ac patien/ tiam hæreditatē accipiunt promiſſionis. Deus enim Gen.22
pollicitus Abrahæ, cū nō poſſet per quenquā maio- rem iurare, iurauit per ſeipſum, dicens: Niſi benedi/ cens benedixero tibi, & multiplicans multiplicaue ro te. Atq; ita cū patienter expectaſſet, conſecutus eſt promiſſum. Nā homines quidē per eū iurant, qui ſit maior, atq; ijſdem omnis cōtrouerſiæ finis eſt, ſi accedat iuriſiurandi cōfirmatio. Qua in re deus cū eximie uellet hæredibus promiſſionis oſtendere fir mitatē conſilij ſui, interpoſuit iuſiurandum, uti per duas res immutabiles, in quibus fieri non poſſet, ut

mentiretur deus,ualidam consolationẽ haberemus, qui huc cõfugimus, ut potiamur proposita ſpe, quã uelut ancoram tenemus animæ, cum tutam,tum firmam,& introëuntem uſq; ad ea,quæ ſunt intra uelum,ubi præcurſor pro nobis ingreſſus eſt Ieſus iuxta ordinem Melchiſedec, pontifex factus in æternum.

CAP. VII

Gen.14 NAm hic erat Melchiſedec,rex Salem, pontifex dei altiſſimi, qui occurrit Abrahæ, reuertenti à cæde regum,& benedixit illi,cui & decimas ex omnibus impartitus eſt Abrahã: qui primũ quidem ex interpretatione dicitur rex iuſtitiæ,deinde uero etiã rex Salem,quod eſt rex pacis,ignoti patris,ignotæ matris,ignoti generis, nec initium dierum, neq; uitæ finem habens, ſed aſſimulatus filio dei,manet ſacerdos in perpetuum. Conſiderate uero,quantus hic fuerit, cui etiam decimas dederit Abraham patriarcha de ſpolijs? Atq; ij quidem,qui quod ſint de numero filiorum Leui, ſacerdotij funCtionem ſumunt:præceptum habent,ut decimas accipiant à populo iuxta legẽ,hoc eſt à fratribus ſuis, licet egreſſis ex lumbis Abrahæ. At is cuius genus non recenſetur ex illis,decimas accepit ab Abrahã, & habenti promiſſiones benedixit.Porrò nemo negat,quin id quod minus eſt,ab eo quod maius eſt,benedictionẽ accipiat, Atq; hic quidem homines, qui

moriun

moriuntur,decimas accipiunt. Illic autem is,de quo testatum est,quod uiuat:& ut ita loquar,in Abraham decimatus est etiã ipse Leui, qui decimas solet accipere.Nam is adhuc in lumbis patris erat,cũ occurreret Abrahæ Melchisedec. Proinde si consummatio per Leuiticum sacerdotium erat,siquidẽ per hoc populus legem acceperat, quid præterea fuit opus,alium exoriri sacerdotem,qui secundum ordinem Melchisedec,& non secũdum ordinem Aaron diceretur? Quandoquidem translato sacerdotio,necesse est,ut legis quoq; trãslatio fiat.Nam is de quo dicuntur hæc,ad aliã tribum pertinet,de qua nullus altari astitit. Palàm est enim,quod è tribu Iuda exortus sit dominus noster.At nihil locutus est de sacerdotio Moses,quod ad hanc tribũ pertineat, idq; magis etiã liquet,siquidẽ ad similitudinẽ Melchisedec exoritur sacerdos alius, qui nõ iuxta legẽ mandati carnalis factus sit, sed iuxta potentiã uitæ indissolubilis.Testificatur enim ad hũc modũ:Tu sacerdos in æternũ secundũ ordinem Melchisedec.Abrogatur enim,quod præcessit præceptũ propter imbecillitatẽ,et inutilitatẽ. Nã nihil ad perfectionẽ adduxit lex: uerũ erat introductio ad spem potiorẽ, per quã appropinquamus deo,atq; hoc potiorem,quod nõ absq; iureiurãdo res acta sit . Nã illi quidẽ citra iusiurãdũ sacerdotes facti sunt:hi uero cũ iurciurãdo,per

do,per eum qui dixit ad illum: Iurauit dominus, & non pœnitebit eum,tu es ſacerdos in æternũ ſecundum ordinationem Melchiſedec. Tanto potioris testamenti ſponſor factus eſt Ieſus, & illi quidem plures facti fuerũt ſacerdotes,propterea quod per mortem non ſinerentur permanere. At hic quod idẽ maneat in æternum, perpetuũ habet ſacerdotiũ , unde & ſaluos facere ad plenũ poteſt,qui per ipſum adeunt deũ,ſemper uiuens, ad hoc ut interpellet pro illis. Talis enim decebat,ut eſſet nobis pontifex pius, innocẽs,impollutus,ſegregatus à peccatoribus, & ſublimior cœlis factus, cui non ſit quotidie neceſſe, quemadmodũ illis pontificibus, prius pro proprijs peccatis uictimas offerre,deinde pro peccatis populi.Nã id fecit ſemel,cũ ſemetipſum obtulit. Siquidẽ lex homines cõſtituit põtifices,habentes infirmitatem.Porrò ſermo iuriſiurandi,qui ſupra legẽ fuit,filiũ cõſtituit in æternũ cõſummatũ. CAP.VIII

CAeterum eorũ quæ dicimus illud eſt caput, quod talem habemus pontificẽ, qui conſedit ad dexteram throni maieſtatis in cœlis, ſanctorum adminiſtrator, ac ueri tabernaculi,quod fixit deus, & nõ homo.Omnis enim pontifex ad offerendũ donaria & uictimas conſtituitur, unde neceſſe eſt, ut hic etiam habeat aliquid,quod offerat. Nam ſi eßet in terra,ne ſacerdos quidem eſſet, ubi ſunt ſacerdotes, qui

tes, qui offerunt iuxta legem donaria, qui quidem exemplari & umbræ deseruiunt cœlestium, quemadmodum oraculo responsum est Mosi, cum esset absoluturus tabernaculum: Nam uide, inquit, ut facias omnia secundum exemplar, quod ostensum est tibi in monte, nunc uero hoc excellentius sortitus est sacerdotium, quo præstantioris est testamenti intercessor, quod in præstantioribus promissis sancitum est. Etenim si prius illud tale fuisset, ut nihil in eo posset reprehendi, haudquaquã fuisset secundo quæsitus locus. Nã incusans eos, loquitur illis: Ecce dies Hier. 31
uenient, dicit dominus, & cõsummabo super domũ Israël, & super domũ Iuda, testamentum nouũ, non iuxta testamentum quod feci patribus illorũ in die cum apprehenderem manũ illorũ, ut educerem eos ex Aegypto, quoniam ipsi non perstiterunt in testamento meo, & ego neglectui eos habui, dicit dominus Nam hoc est testamentum quod disponam domui Israël post dies illos, dicit dominus: dans leges meas in mentem illorum, & in corde illorum inscribam illas, & ero illis deus, & ipsi erunt mihi populus. Et non docebunt quisq; proximũ suum, & unusquisq; fratrem suum, dicentes: Cognosce dominum, quod omnes cognituri sint me ab eo qui pusillus fuerit inter eos, usq; ad eum qui magnus est inter illos, quoniam placatus ero super iniustitijs illorum, &

peccatis eorum,& iniquitatum illorum non recordabor amplius. Per hoc quod dicit nouum,antiquauit prius.Porrò quod antiquatur ac ſeneſcit, in propinquo eſt,ut euaneſcat. CAP. IX

IGitur habebat quidem etiam prius illud, iuſtificationes,cultus,ac ſanctum mundanũ.Siquidem tabernaculum factum fuit primũ,in quo erant & lucernæ,& menſa,& propoſitio panum,quã uocant, ſancta.Poſt ſecundum autem uelum erat tabernaculum,quod uocatur ſanctum ſanctorum,aureum habens thuribulum, & arcam teſtamenti, undiq; circumtectam auro,in qua urna aurea habens manna, & uirga Aaron,quæ germinauerat, & tabulæ teſtamenti.Supra hanc autẽ cherubim gloriæ,obumbrantia propiciatorium, de quibus non eſt nunc dicendum ſingulatim.His autem ad hũc ordinatis modum,in prius quidem tabernaculum ſemper ingrediuntur ſacerdotes,qui ſacrorum ritus peragant:in ſecundum autem ſemel quotannis ſolus pontifex,nõ ſine ſanguine,quem offert pro ſeipſo,& pro populi ignorantijs, illud ſignificante ſpiritu ſancto, nondũ manifeſtatã eſſe ſanctorũ uiam, adhuc priore tabernaculo conſiſtente, quæ erat ſimilitudo pro tempore tum præſente,in quo dona ſacrificiaq; offerũtur, quæ nõ poßint iuxtá cõſcientiã perfectum reddere cultorem,in cibis dũtaxat & potionibus,& diuerſis

ſis ablutionibus ac iuſtificationibus carnis, uſq; ad tempus correctionis impoſita. At Chriſtus accedẽs pontifex futurorũ bonorũ, per maius & perfectius tabernaculum, non manu factum, hoc eſt, non huius ſtructuræ, neq; per ſanguinem hircorũ ac uitulorũ, ſed per proprium ſanguinem ingreſſus eſt ſemel in ſancta æterna redemptione reperta. Nam ſi ſanguis taurorũ & hircorum, & cinis iuuencæ, aſpergens inquinatos, ſanctificat ad carnis purificationẽ, quanto magis ſanguis Chriſti, qui per ſpiritũ æternũ ſeipſum obtulit immaculatum deo, purgabit cõſcientiam ueſtram à mortuarijs operibus, ad ſeruiẽdum deo uiuenti? Et ob id noui teſtamenti cõciliator eſt, ut morte intercedente, ad redemptionẽ earũ præuaricationũ, quæ fuerant ſub priori teſtamento, ij qui uocati ſunt, promiſſionẽ accipiãt æternæ hæreditatis. Siquidẽ ubi teſtamentũ eſt, mors intercedat neceſſe eſt teſtatoris. Nam teſtamentũ in mortuis ratũ eſt, quandoquidem nondũ ualet, cũ uiuit teſtator. Vnde ne prius quidẽ illud abſq; ſanguine dedicatũ fuit. Cũ enim Moſes omne præceptũ iuxta legẽ expoſuiſſet omni populo, ſumpto ſanguine uitulorũ et hircorũ, cũ aqua & lana coccina & hyſſopo, ſimul & ipſum librũ, & totũ populũ aſperſit, dicens: Hic eſt ſanguis teſtaměti, quod mãdauit uobis deus. Inſuper autem & tabernaculũ & omnia uaſa miniſterij, ſan-

Gal. 3

Exo. 24

rij,ſanguine conſimiliter aſpergebat.Et omnia ferè ſecundum legem ſanguine purificãtur, & abſq; ſanguinis effuſione non fit remiſsio.Itaq; neceſse eſt,ut exemplaria quidem eorum quæ ſunt in cœlis, hiſce rebus purificentur.Cæterum ipſa cœleſtia potioribus quàm hæ ſint,uictimis mundentur.Non enim in manufacta ſancta ingreſsus eſt Chriſtus, exemplaria uerorum,ſed in ipſum cœlum,ut appareat nunc in conſpectu dei pro nobis, non ut ſæpius offerat ſemetipſum,quemadmodũ pontifex ingreditur in ſancta ſingulis annis per ſanguinem alienum. Alioqui oportuiſſet illum ſæpius paſſum fuiſse à cõdito mundo.Nunc autem ſemel,ſub conſummationem ſeculorum,ad profligationem peccati,per immolationem ſuiipſius apparuit. Et quatenũs illud manet homines,ut ſemel moriantur, poſt hoc autem iudicium, ita & Chriſtus ſemel oblatus,ut multorum peccata tolleret,rurſus abſq; peccato conſpicietur ijs,qui illum expectant in ſalutem.

CAP. X

NAm lex umbram obtinens futurorum bonorum,nõ ipſam imaginem rerum,his hoſtijs, quas ſingulis annis eaſdem cõtinenter offerunt,nunquam poteſt accedentes perfectos reddere.Alioqui nónne deſiſſent offerri? Propterea quod nullã iam habuiſſent conſcientiam peccatorum,qui ſacrificaſſent,ac ſemel purgati eſsent. Atqui in iſtis cõmemo

ratio

ratio fit peccatorũ quotannis. Non enim potest sanguis taurorũ & hircorũ auferre peccata. Quapropter cũ ingressurus est mundũ, dicit: Sacrificiũ & oblationẽ noluisti: Corpus autẽ aptasti mihi, holocautomata & pro peccato non cõprobasti. Tũc dixi: Ecce adsum, in capite libri scriptũ est de me, ut faciam deus uoluntatem tuam. Superius cũ dicit: sacrificiũ, & oblationem & holocautomata, & pro peccato noluisti, neq; cõprobasti, quæ iuxta legem offeruntur, tunc dixit: Ecce adsum, ut faciã deus uoluntatem tuã: tollit prius, ut posterius statuat: per quã uoluntatem sanctificati sumus per oblationem corporis Iesu Christi semel peractam. Et omnis quidem sacerdos assistit quotidie, sacra peragens, & easdem sæpius offerens hostias, quæ nunquã possint auferre peccata. Hic uero una pro peccatis oblata uictima, perpetuo sedet ad dexterã dei, id quod superest expectans, donec reddãtur inimici ipsius scabellũ pedũ eius. Vnica enim oblatione perfectos effecit in perpetuũ, eos qui sanctificãtur. Testificatur autẽ nobis & ipse spiritus sanctus, nimirũ cũ prædixerit: hoc est testamẽtum, quod condã erga illos, post dies illos, dicit dominus, dans leges meas in cor de illorũ, & in mentibus illorũ inscribã eas, & peccatorum atq; iniquitatum illorum non recordabor amplius. Porrò ubi horum est remissio, non est amplius Hiere. 31

plius oblatio pro peccato. Cum igitur fratres, habeamus libertatem adeũdi in ſancta, per ſanguinem Ieſu, ea uia quam dedicauit nobis recentẽ ac uiuentem, per uelamẽtum, hoc eſt, per carnem ſuã, cumq; habeamus ſacerdotem magnũ præfectũ domui dei, accedamus cũ uero corde, in certitudine fidei, aſperſi cordibus, ac depulſa conſcientia mala, & abluti corpore aqua pura, teneamus cõfeſſionem ſpei, non uacillantem (fidelis enim qui promiſit) & cõſideremus nos inuicem, in hoc, ut prouocemus ad charitatem & bona opera, non deſerẽtes aggregationem noſtri mutuam, ſicuti mos eſt nõnullis, ſed adhortantes inuicem: idq; hoc magis, quod uidetis appropinquantem diem. Nam ſi uolentes peccauerimus poſt acceptam cognitionem ueritatis, non ultra pro peccatis reliqua eſt hoſtia, ſed formidabilis quædam expectatio iudicij, & ignis uehementia, qui deuoraturus eſt aduerſarios. Qui aſpernatus fuerit Moſi legem, abſq; miſericordia, ſub duobus aut tribus teſtibus moritur. Quãto putatis peioribus afficietur ſupplicijs, qui filiũ dei conculcarit, & ſanguinem teſtamenti, ceu rem profanam habuerit, per quem fuerat ſanctificatus, & ſpiritũ gratiæ cõtumelia affecerit.

Deut. 17

Ibidem 32

Rom. 12

Nouimus enim eũ qui dixit: Meũ eſt ulciſci, ego rependam dicit dominus. Et rurſum: Dominus iudicabit populum ſuum. Horrendũ eſt incidere in manus

dei

dei uiuentis. Redeant autem uobis in memoriam ſu/
periores dies, in quibus illuminati, ingens certamen
ſuſtinuiſtis afflictionum: partim quidē dum & pro
bris & preſſuris affecti, ſpectaculo fuiſtis omnibus,
partim dum conſortes ita conuerſantium facti eſtis.
Siquidem & afflictionū, quæ ex uinculis meis con/
tigerunt, participes fuiſtis, & direptionem facultā/
tum ueſtrarum cum gaudio accepiſtis, ſcientes uos
habere in uobis potiorem ſubſtantiā in cœlis ac ma
nentem. Ne abiecceritis igitur fiduciā ueſtram, quæ
magnam habet præmij retributionem. Nam patien
tia uobis eſt opus, ut ubi uoluntatem dei peregeri/
tis, reportetis promiſſionem. Adhuc enim perpuſil/
lum temporis, & qui uenturus eſt, ueniet, & non
tardabit. Iuſtus autem ex fide uicturus eſt, & ſi ſe Abac. 2
ſubduxerit, non probabitur animo meo. At nos non
ſumus qui ſubducamus nos in perditionem, ſed ad fi
dē pertinemus in acquiſitionē animæ. CAP. XI

EST autem fides carum rerū quæ ſperātur ſub
ſtantia, argumentum eorum, quæ non uiden/
tur. Per hanc enim teſtimoniū meruerunt ſeniores.
Per fidem intelligimus perfecta fuiſſe ſecula uerbo
dei, ut ex his quæ nō apparebant ea quæ uidentur,
fierent. Per fidem uberiorem hoſtiam Abel obtulit Gen. 4
deo, quàm Cain, per quā teſtimoniū meruit, quod
eſſet iuſtus, teſtimoniū perhibente de donarijs illius

deo

Gen.5 deo, & per hanc mortuus adhuc loquitur. Per fi/
Sap.4 dem Enoch fuit translatus, ne uideret mortem: nec
fuit inuentus, propterea quod trãstulerat illũ deus:
priusquàm enim transferretur, testimonium merue
rat, quod placuisset deo. Atqui sine fide fieri nõ po/
test, ut quis illi placeat. Nã qui accedit ad deũ, hunc
credere oportet esse deum, & esse remuneratorem
Gen.6 quærentibus se. Per fidem admonitus oraculo Noë,
ea quæ nondum uidebantur, ueritus, apparauit ar/
cam ad salutem domus suæ, per quam arcam conde
mnauit mundum, & eius quæ secundum fidem est,
& 12 iustitiæ factus est hæres. Per fidem appellatus Abra
ham, obedijt, ut exiret in locũ, quẽ accepturus erat
in hæreditatem: & exiuit, nesciens quò esset uentu/
rus. Per fidem cõmigrauit in terram promissionis,
ueluti peregrinam, cum in tabernaculis habitasset
cum Isaac & Iacob, cohæredibus eiusdẽ promissio/
nis. Expectauerat enim habentem fundamenta ciui
& 21 tatem, cuius opifex & conditor est deus. Per fidem
& ipsa Sara uim ad concipiendum ac retinendũ se
mẽ accepit: ac præter ætatis rationẽ peperit, quod
fidelem iudicaret eũ qui promiserat. Quapropter
& ex uno prognati sunt posteri, eoq; iã annis effœ/
to, tanto numero, quanto sunt stellæ cœli, & uelut
arena quæ est iuxta marginẽ maris innumerabilis.
Iuxta fidem mortui sunt hi omnes, cum non acce/
pissent

pissent promissiones,sed procul eas uidissent & credidissent,salutassentq; & confessi fuissent,se hospites atq; aduenas esse in terra.Nam hæc qui dicunt,declarant se patriam inquirere. Et si illius quidem memores fuissent,unde fuerant profecti,habebant opportunitatem reuertendi.Nunc autem meliorem expetũt, hoc est,cœlestem.Quapropter non erubescit ipse deus uocari deus illorum, parauerat enim illis ciuitatem.Per fidem obtulit Abraham Isaac, cum tentare Gen.22
tur,& unigenitum obtulit,in quo promissiones acceperat,ad quem dictum fuerat:In Isaac uocabitur tibi semen,cum illud secum perpendisset,deum uel à mortuis excitare posse,unde illũ etiam resurrectionis typo reduxit.Per fidem de futuris benedixit Isaac filio Gen.27
Iacob,& Esau.Per fidem Iacob moriens, singulis filijs Ioseph benedixit,& adorauit fastigium uirgæ illius.Per fidem Ioseph moriens,de egressione filiorũ Israël meminit,deq; ossibus suis mandauit.Per fidem Exod.2
cum natus esset Moyses occultatus est menses treis à parentibus suis : propterea quod uiderẽt elegantem puellum,nec ueriti sunt edictũ regis.Per fidem Moyses iam grandis renuit uocari filius filiæ Pharaonis, potius eligens simul malis affici cũ populo dei,quàm temporarijs peccati commodis frui,maiores arbitratus diuitias probrum Christi,quàm Aegyptiorũ thesauros.Respectũ enim habebat remunerationis. Per

fidem reliquit Aegyptum, haud ueritus ferociam regis. Perinde enim quasi uidisset cum qui est inuisibilis, ita obdurauit. Per fidem fecit pascha & effusionem sanguinis: ne is qui perimebat primogenita, tangeret ipsos. Per fidem transierunt rubrum mare, ueluti per siccam terram, quod cũ tentassent Aegyptij, absorpti sunt. Per fidem mœnia Hiericho ciderunt, circundata ad dies septem. Per fidem Rhaab meretrix non perijt unà cum his qui nõ obedierant, cum excepisset hospitio exploratores pacifice. Et quid præterea loquor? Deficiet enim me tempus cõmemorantem de Gedeone, de Barac, & Samsone, & Hiephthaë, necnon Dauid et Samuele, ac prophetis, qui per fidem expugnaucrunt regna, operati sunt iusticiam, assequuti sunt promißiones, occluserunt ora leonum, extinxerunt uim ignis, effugerunt acies gladij, ualidi facti sunt ex imbecillitate, effecti sunt robusti in bello, incursiones auerterunt exterorum. Mulieres acceperũt ex resurrectione mortuos suos. Alij uero distenti sunt, aspernati redemptionem, ut potiorem sortirentur resurrectionem. Alij rursus ludibriis & flagris explorati sunt, insuper & uinculis & carcere, lapidati sunt, dissecti sunt, tentati sunt, occisione gladij occubuerunt: oberrarũt in ouillis & caprinis pellibus, destituti, pressi, afflicti, quibus indignus erat mundus: in desertis errantes, & montibus, ac

Exod. 12

ac ſpeluncis,& cauernis terræ. Atq; omnes hi teſtimonium promeriti per fidem, non acceperant promiſſionem,quod deus de nobis melius quiddam prouiderat,ne ſine nobis conſummarentur.

CAPVT XII

PRoinde nos quoq;,cum tanta ſepti ſimus nubé teſtium,depoſito onere omni,& tenaciter inhærente peccato,per tolerantiam curramus in propoſito nobis certamine, reſpicientes ad fidei ducem & conſummatorẽ Ieſum: qui pro propoſito ſibi gaudio,pertulit crucem,ignominia contempta,& ad dexteram throni dei conſedit. Reputate enim quod is talem ſuſtinuerit à peccatoribus aduerſus ſe contradictionem,ne defatigemini,animis defecti. Nondum uſq; ad ſanguinem reſtitiſtis, aduerſus peccatũ repugnantes:& obliti eſtis exhortationis,quæ uobis tanquam filijs loquitur:Fili mi,ne neglexeris correptionem domini,neq; deficias,cũ ab eo argueris. Quem enim diligit dominus,corripit: flagellat aũt omnem filium,quem recipit.Si caſtigationem ſuſtinetis,uelut filijs uobis offert ſe deus. Quis enim eſt filius, quẽ non caſtigat pater? Quod ſi alieni eſtis à caſtigatione,cuius participes ſunt omnes: igitur ſpurij eſtis,nõ filij. Itaq; cum carnis noſtræ patres habuerimus caſtigatores,& reueriti ſimus illos,an nõ multo magis

Prou.3 Apoc.3

ſubijciemur patri ſpirituũ,& uiuemus? Atq; illi quidem ad paucos dies pro arbitratu ſuo nos erudiebant:hic autem ad commodum noſtrum in hoc,ut impartiat nobis ſanctimoniam ſuam. Omnis autem caſtigatio in præſens quidem non uidetur eſſe gaudij, ſed moleſtiæ. At poſtea fructum tranquillum iuſticiæ reddit his,qui per illam fuerint exercitati. Quapro
Rom.12 pter manus remiſſas,& genua ſoluta ſurrigite,& facite ut recti ſint greſſus pedibus ueſtris,ne claudicatio aberret à uia,imò ſanetur potius. Pacem ſectemini cum omnibus,& ſanctimoniam,ſine qua nemo uidebit dominum, curam agentes,ne quis ſit, qui deficiat à gratia dei,ne qua radix amarulentiæ, ſuppul-
Gen.25 lulans obturbet, & per hanc inquinentur multi: ne quis ſcortator,aut profanus,uelut Eſau, qui unico edulio permutauit ius primogeniti. Scitis enim quod poſtea,cum uellet hæreditario iure benedictionẽ aſ-
Ibidem 27 ſequi,reprobatus ſit. Non enim repperit pœnitentiæ locum,tametſi cum lachrymis quæſiuiſſet eam. Non enim acceßiſtis ad contactum montem,& incenſum ignem ac turbinem,& caliginem, & procellam,tu-
Exod.20 bæq; ſonitum,& uocem uerborum,quam qui audierant,deprecati ſunt,ne his adiungeretur oratio. Non
Ibidem 19 enim ferebant,q̃d'edicebatur: Si beſtia tetigerit montem,lapidabitur,aut iaculo configetur, & adeo terribile erat uiſum,quod apparebat. Moſes dixit: Expauefactus

pauefactus ſum, ac tremebundus: ſed acceßiſtis ad montem Sion,& ad ciuitatem dei uiuentis,Hieruſalem cœleſtem,& ad innumerabilium angelorum cœtum,& ad contionem primogenitorum,qui conſcripti ſunt in cœlis,& ad iudicem uniuerſorũ deum,& ad ſpiritus iuſtorum perfectorũ,& ad noui teſtamenti conciliatorem Ieſum,& ad ſanguinem aſperſionis meliora loquentem,quàm loquebatur ſanguis Abel. Videte ne aſpernemini eum qui loquitur: nam ſi illi non effugerunt, qui auerſabantur eum qui loquebatur in terra,multo magis nos,ſi eum qui de cœlis eſt, auerſemur:cuius uox tum concußit terram, at nunc denunciauit,dicens: Adhuc ſemel ego concutio, non modo terram,uerumetiam cœlum. Porrò illud quod dicit:adhuc ſemel, ſignificat eorum quæ concutiuntur translationem,utpote quæ facta ſint,ut maneant ea quæ non concutiuntur. Quapropter regnum aſſumentes quod concuti non poßit,habeamus gratiã, per quam ita colamus deum, ut illi placeamus cum reuerentia & religione. Aggei 2

CAPVT XIII

ETenim deus noſter ignis conſumens eſt. Fraterna charitas maneat. Hoſpitalitatis ne ſitis immemores. Per hanc enim quidam inſcientes exceperunt angelos hoſpitio. Memores eſtote uinctorũ, tanquam unà cum illis uincti,eorum qui affliguntur, Deut. 4

uelut ipſi quoq; uerſantes in corpore. Honorabile eſt inter omnes coniugium, & cubile impollutum. Scor tatores autẽ & adulteros iudicabit deus. Sint mores alieni ab auaritia, contenti his quæ adſunt. Siquidem
Ioſue 1 ipſe dixit. Nõ te deſero, neq; derelinquo, ut fidentes
Pſal. 117 dicamus: Dominus mihi auxiliator: nec timebo quid faciat mihi homo. Memores eſtote eorũ qui præſunt uobis, qui loquuti ſunt uobis ſermonem dei, quorum imitemini fidem, conſiderantes qui fuerint exitus cõ uerſationis illorũ. Ieſus Chriſtus heri & hodie, idem eſt etiam in ſecula. Doctrinis uarijs ac peregrinis ne circũferamini. Bonũ eſt enim, gratia cõſtabiliri cor, non eſcis quæ non profuerunt his, qui uerſati ſunt in illis. Habemus altare, de quo nõ eſt fas edere his, qui
Num. 19 tabernaculo deſeruiunt. Animaliũ enim quorum ſan guis infertur pro peccato in ſancta per pontificem, horum corpora cremantur extra caſtra. Quapro/ ter & Ieſus, ut ſanctificaret per propriũ ſanguinem populũ, extra portam paſſus eſt. Exeamus igitur ad
Mich. 2 eum extra caſtra, opprobrium eius portantes. Non enim habemus hic manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. Per ipſum igitur offerimus hoſtiam lau/ dis ſemper deo, hoc eſt, fructũ labiorum, cõfitentium nomini eius. Cæterum beneficentiæ & cõmunicatio/ nis ne obliuiſcamini. Talibus enim uictimis placetur deo. Parete his qui præſunt uobis, & cõcedite, ſiqui/

dem

dem illi uigilant pro animabus uestris,tanquam ra/
tionem reddituri,ut cum gaudio hoc faciant, & nõ
gementes:nam id est inutile uobis. Orate pro nobis.
Cõfidimus enim, quod bonam habemus cõscientiam
inter omnes,cupientes honeste conuersari.Magis au
tem obsecro uos,ut id faciatis, quo celerius restituar
uobis.Deus autem pacis qui reduxit à mortuis pasto
rem ouium illum magnum per sanguinem testamen/
ti æterni,dominum nostrum Iesum,absolutos uos red
dat in omni opere bono,ad faciendum uoluntatem ip
sius,efficiens,ut quod agitis,acceptum sit in conspe/
ctu suo per Iesum Christum, cui gloria in secula secu
lorum. Amẽ. Obsecro uos fratres,sufferte sermonem
exhortationis.Etenim paucis scripsi uobis.Scitis fra
trem nostrum Timotheum solutum esse, cum quo, si
celerius uenerit,uisam uos.Salutate omnes qui præ/
sunt uobis,& omnes sanctos.Salutant uos Itali. Gra
tia cum omnibus uobis. Amen.

Missa ab Italia per Timotheum.

IN EPISTOLAM IACOBI AR/ gumentum per Erasmũ Roterodamum.

IAcobus quoniam erat Hierosolymita/
rum episcopus, scribit & cæteris Iudæ
is, qui per omnes nationes sparsi habi/
tabant,uarijs præceptis uitam illorum
formans & instituens.

EPISTOLA BEATI
IACOBI CAP. I

IACOBVS *dei ac domini Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutẽ. Pro summo gaudio ducite fratres mei, quoties in tentationes incideritis uarias: illud scientes, quod exploratio fidei uestræ parit patientiam. Cæterum patientia opus perfectum habeat, ut sitis perfecti & integri, nullaq; in parte diminuti. Quod si cui uestrũ deest sapientia, postulet ab eo qui dat, nempe deo, qui dat inquam, omnibus simpliciter, nec exprobrat: ac dabitur ei. Sed postulet cum fiducia, nihil hæsitans. Nam qui hæsitat, is similis est fluctui maris, qui uentis agitur, & impetu rapitur. Neque enim existimet homo ille se quicquam accepturũ à domino. Vir animo duplici inconstans est in omnibus uijs suis. Glorietur autẽ frater qui est humilis, in sublimitate sua. Contrà qui diues est, in humiliatione sui: quoniam*
Eccles.14 *ueluti flos herbæ præteribit. Exortus est enim sol cũ æstu, & exaruit herba, & flos illius decidit, & decor*

cor aſpectus illius perijt. Sic & diues in uijs ſuis marcescet. Beatus uir qui ſuffert tentationem: quoniam comprobatus erit, accipiet coronam uitæ, quam promiſit dominus his, à quibus fuerit dilectus. Ne quis cum tentatur, dicat ſe à deo tentari, Nam deus ut malis tentari non poteſt, ita nec ipſe quenquam tentat. Imò unuſquiſq; tentatur, dum à propria concupiſcentia abſtrahitur & inescatur. Deinde concupiſcentia poſteaquàm concepit, parit peccatum: peccatum uero perfectum progignit mortem. Ne erretis fratres mei dilecti. Omnis donatio bona, & omne donũ perfectum, è ſupernis eſt, deſcendens à patre luminum: apud quem nõ eſt tranſmutatio, aut conuerſionis obumbratio. Is deſtinata uoluntate progenuit nos ſermone ueritatis, ut eſſemus primitiæ quædam ſuarum creaturarum. Itaq; fratres mei dilecti, ſit omnis homo uelox ad audiendum, tardus ad loquendum, tardus ad iram. Nam ira uiri iuſticiam dei non efficit. Quapropter depoſita omni immundicia & redundantia maliciæ, cum manſuetudine recipite inſitum ſermonem, qui poteſt ſaluas reddere animas ueſtras. Sitis autem effectores ſermonis, & nõ auditores tantum, fallentes uoſmetipſos. Quoniam ſi quis audiat ſermonem, nec eum factis exprimat, hic ſimilis eſt uiro conſideranti faciem natiuitatis ſuæ in ſpeculo. Conſiderauit enim ſeipſum & abijt, & continuo oblitus

Eſa. 40

Prou. 17

Rom. 2

litus est qualis esset. At qui prospexerit in legẽ perfectam, quæ est libertatis, & permanserit, hic cum sit non auditor obliuiosus, sed effector operis, beatus factu suo erit. Si quis uidetur religiosus esse inter uos, qui non frenat linguam suam, sed aberrare sinit cor suum, huius uana est religio. Religio pura & immaculata apud deum & patrem hæc est, inuisere orphanos & uiduas in afflictione sua, immaculatum seipsum seruare à mundo.

CAPVT II

FRatres mei, ne cum respectu personarum habeatis fidem domini nostri Iesu Christi ex opinione. Nam si ingrediatur in cœtum uestrũ uir aureum gestans annulum, ueste indutus splendida: ingrediatur autem & pauper in sordida ueste, & respexeritis ad illum qui uestem gestat splendidam, & dixeritis illi: Tu sede hic bene: & pauperi dicatis: Tu sta illic, aut sede hic subter scabellum meum: & non diiudicati estis in uobisipsis, & facti estis iudices cogitationum malarum. Audite fratres mei dilecti, non ne deus elegit pauperes mundi huius, diuites in fide, & hæredes regni, quod promisit his, à quibus dilectus fuerit? Vos autem contemptui habuistis pauperem. Nónne diuites tyrannidem exercẽt in uos, & ijdem trahunt uos ad tribunalia? & ijdem male loquuntur de bono nomine, quod inuocatum est super uos? Si

legem

legem quidem regiam perficitis iuxta ſcripturam: Diliges proximum tuum ſicut teipſum: bene facitis: Leuit. 19
ſi uero perſonam reſpicitis, peccatum cõmittitis, & redarguimini à lege ueluti tranſgreſſores. Quiſquis enim totam legem ſeruauerit, offenderit aũt in uno, factus eſt omnium reus. Nam qui dixit: Ne mœcheris, dixit etiam: Ne occidas. Quod ſi non fueris mœchatus, occideris tamen, factus es tranſgreſſor legis. Ita loquamini, & ita faciatis ueluti per legem libertatis iudicandi. Siquidem iudicium abſq; miſericordia erit ei, qui nõ præſtiterit miſericordiam. Et gloriatur miſericordia aduerſus iudicium. Quæ utilitas fratres mei, ſi fidem dicat aliquis habere ſe, facta uero nõ habeat? Num poteſt fides ſaluũ facere illum? Quod ſi frater aut ſoror nudi fuerint, & egentes quotidiano uictu, dicat aũt aliquis ueſtrũ illis: Abite cum pace, caleſcite & ſaturamini: nõ tamẽ dederitis illis, quæ ſunt neceſſaria corpori, quæ erit utilitas? Sic & fides, ſi facta nõ habuerit, mortua eſt per ſe. Sed dicet aliquis: Tu fidẽ habes, & ego facta habeo. Oſtende mihi fidem tuam ex factis tuis, & ego oſtendam tibi ex factis meis fidem meam. Tu credis quod deus unus eſt? Recte facis. Et dæmonia credũt, ac cõtremiſcunt. Vis uero ſcire ò homo inanis, quod fides abſq; factis mortua ſit? Abraham pater noſter, nónne ex factis iuſtificatus eſt, cũ obtuliſſet Iſaac filium

ſuum

ſuum ſuper altare? Vides quod fides adiumento fuerit factis illius, & ex factis fides perfecta fuerit? Et
Gen.15 impleta eſt ſcriptura, quæ dicit: Credidit Abraham deo, & imputatũ eſt illi ad iuſticiam, & amicus dei uocatus eſt. Videtis igitur, quod ex factis iuſtificetur homo, & non ex fide tantum? Similiter autem & Rhaab meretrix, an non ex factis iuſtificata eſt, cum excepiſſet nuncios, & alia uia emiſiſſet? Nam quemadmodum corpus abſq; ſpiritu mortuum eſt, ita & fides abſq; factis mortua eſt.

CAPVT III

NOlite plures magiſtri fieri fratres mei, ſcientes quod maius iudicium ſumpturi ſimus. In multis enim labimur omnes. Si quis in ſermone nõ labitur, hic perfectus eſt uir, qui poßit freno moderari totum etiam corpus. Ecce equis frena in ora immittimus, ut obediant nobis, & totum corpus illorũ circunagimus. Ecce naues quoq; cũ tantæ ſint, & à uentis ſæuis agantur, circunaguntur à minimo gubernaculo, quocunque impetus dirigentis uoluerit. Ita & lingua puſillum membrum eſt, & magna iactat. Ecce exiguus ignis quantam materiam incendit. Et lingua ignis eſt, mundus iniquitatis: ſic lingua conſtituitur in membris noſtris, quæ maculat totum corpus, & inflammat rotam natiuitatis, & inflammatur à gehenna. Omnis enim natura & ferarum & uolucrum

crum,ſerpentiumq; & marinorum domatur, & do/
mita eſt à natura humana. Linguam autẽ nullus ho/
minum domare poteſt,incoërcibile malum,plena ue
neno mortifero. Per ipſam benedicimus deo & pa/
tri,& per ipſam maledicimus hominibus, qui ad ſi/
militudinem dei conditi ſunt. Ex eodem ore proce/
dit benedictio & maledictio.Nõ oportet fratres mei
hæc ita fieri.Nunquid fons ex eodem foramine emit/
tit dulcem & amaram aquam?Nunquid poteſt fra/
tres mei, ficus oleas gignere,aut uitis ficus?Sic nul/
lus fons ſalſam ac dulcem poteſt ædere aquam.Quis
ſapiens & ſcientia præditus inter uos? oſtendat ex
bona conuerſatione opera ſua cum manſuetudine ſa
pientiæ.Quod ſi æmulationem amaram habetis, &
cõtentionem in corde ueſtro,nolite gloriari,& men
daces eſſe aduerſus ueritatem. Non eſt enim iſta ſa/
pientia è ſupernis deſcendens,ſed terrena, animalis,
dæmoniaca.Vbi enim æmulatio & contentio,ibi in/
conſtantia & omne opus prauum. Quæ autem è ſu/
pernis eſt ſapientia, primum quidem caſta eſt,dein/
de pacifica,modeſta, tractabilis, plena miſericordia
& fructibus bonis,abſq; dijudicatione,ſine ſimulatio
ne.Fructus autem iuſticiæ in pace ſeminatur facien/
tibus pacem.

CAP. IIII

VNde bella & lites in uobis? Nónne hinc?ni/
mirum ex uoluptatibus ueſtris, quæ militãt

in

in membris uestris? Concupiscitis & non habetis, in/uidetis & æmulamini, & non potestis adipisci: pug/natis & bellatis, non habetis, propterea quod nõ po/stulatis. Petitis, & non accipitis, eo quod male peta/tis, ut in uoluptatibus uestris insumatis. Adulteri & adulteræ nescitis quod amicitia mundi, inimicitia est cum deo? Quicunq; ergo uoluerit amicus esse mun/di, inimicus dei constituitur. An putatis quod inani/ter scriptura dicat: Ad inuidiam cõcupiscit spiritus, qui habitauit in nobis? Maiorem autẽ dat gratiam. Subditi ergo estote deo, resistite autem diabolo, & fugiet à uobis. Appropinquate deo, & appropinqua/bit uobis. Emundate manus ò peccatores, & purifi/cate corda duplices animo. Affligimini & lugete, & plorate: risus uester in luctum conuertatur, & gau/dium in mœrorem. Humiles uos reddite in conspe/ctu domini, et eriget uos. Nolite detrahere uobis in/uicem fratres. Qui detrahit fratri, quiq; iudicat fra/trem suum, detrahit legi & iudicat legem. Quod si iudicas legem, non es obseruator legis, sed iudex. V/
Rom.14 nus est legislator, qui potest seruare & perdere. Tu quis es, qui iudicas alium? Age nunc qui dicitis: Ho/die & cras eamus in hanc ciuitatem, et faciamus ibi annum unum, & mercemur, & lucrũ faciamus: qui ignoratis, quid futurũ sit postero die. Quæ est enim uita uestra? uapor est enim, qui ad exiguum tempus

apparet

apparet,& deinde euanescit, pro eo quod dicere de beritis: Si dominus uoluerit,& si uixerimus,faciamus hoc aut illud.Nunc autem exultatis in superbijs uestris.Omnis exultatio talis mala est. Igitur qui no uerit recte facere,nec facit,hic peccato tenetur.

CAPVT V

AGite nũc diuites,plorate,ululantes super miserijs uestris , quæ aduenient uobis. Diuitiæ uestræ putrefactæ sunt,uestimenta uestra tineis obnoxia facta sunt:aurum & argentum uestrum erugine uitiatum est,& erugo eorũ in testimoniũ uobis erit, & exedet carnes uestras sicut ignis. Thesaurũ congessistis in extremis diebus . Ecce merces operariorum,qui messuerunt regiones uestras, quæ fraude nõ reddita est à uobis, clamat : & clamores eorum qui messuerant, in aures domini sabaoth introierunt. In delicijs uixistis super terrã, & lasciuistis,enutrijstis corda uestra,ut in die occisionis . Condemnastis & occidistis iustum,& non resistit uobis.Patientes igitur estote fratres usq; aduentum domini. Ecce agricola expectat precioſum fructum terræ, patienter expectans illum , donec accipiat pluuiam tempestiuam & serotinam.Patientes igitur estote & uos,& confirmate corda uestra, quoniam aduentus domini appropinquat . Nolite ingemiscere alius aduersus alium fratres,ut ne condemnemini.Ecce iudex ante

ianuam

ianuam aßiſtit. Exemplum accipite fratres mei, affli
ctionis ac patiẽtiæ prophetas, qui loquuti ſunt in no
mine domini. Ecce beatos ducimus eos qui ſuſtinent.
Tolerantiam Iob audiſtis, & finem domini uidiſtis,
quod ualde miſericors ſit dominus ac commiſerans.
Matth.5 Ante omnia autẽ fratres mei, nolite iurare neq; per
cœlum, neq; per terram, neq; aliud quodcunq; iuſiu
randum. Sit autẽ ueſtrum eſt, eſt: non, non: ut ne in ſi
mulationem incidatis. Affligitur aliquis inter uos? o
ret: æquo animo eſt aliquis? pſallat: infirmatur quis
inter uos? accerſat preſbyteros eccleſiæ, & orent ſu
per eum, ungentes eũ oleo in nomine domini, & ob
ſecratio fidei ſaluum reddet laborantem, & eriget
eum dominus: & ſi in peccatis fuerit, remittentur ei.
Confitemini inuicem alius alij delicta, & orate pro
uobis inuicem, ut ſani ſitis. Multũ enim ualet depre
1.Reg.17 catio iuſti efficax. Helias homo erat ſimiliter obno
xius affectionibus, ut nos: & precatione precatus eſt
ne plueret: & non pluit ſuper terram annos tres, &
menſes ſex. Et rurſum orauit, & cœlum dedit pluui
am, & terra produxit fructum ſuum. Fratres, ſi quis
inter uos errauerit à ueritate, & conuerterit quis
eum, ſciat, quod qui conuerti fecerit peccatorem ab
errore uiæ ſuæ, ſaluam faciet animam à morte, &
operiet multitudinem peccatorum.

Beati Iacobi epiſtolæ finis.

rem argumentum per Erasmũ Roterodamũ.

Etrus, quemadmodũ & Iacobus, Iudæis scribit, sparsim incolentib. gentium regiones, epistolam profecto dignam apostolorum principe, plenam autoritatis ac maiestatis apostolicæ, uerbis parcam, sententijs differtam. Hortatur autem ad tolerantiam malorum, quæ ob Euangelij inuidiã perpetiebantur, spe præmiorum. Ad hæc admonet, ut iuxta prophetiarũ oracula ad tantam dignitatem uocati gratis, uitã præstent sua professione dignam. Christianismum enim non in titulo aut baptismo tantũ, sed in morum innocentia situm esse: alioqui quod affliguntur malis non cessurum ad gloriã Christi, si ob malefacta pœnas dare uidentur. Ad hæc admonet, ne freti Christianismo, detrectent parere magistratibus, licet ethnicis, ne prouocati nec conuertantur ad Christũ, & acrius sæuiant: item ne serui negent officium suum heris, licet ethnicis: Christianæ bonitatis esse, omnia perpeti: item ne mulieres Christianæ uiros suos licet ethnicos contemnant, sed moribus suis ad meliora studeãt prouocare. Maritos admonet, ut uxoribus suis deferant, ut à coitu nonnunquã temperent, quo magis uacet orare. Deinde exemplo Christi prouocat

ad tolerantiã malorum,ne conentur iniuriã iniuria penſare,ſed manſuetudine & benefactis uincere ſtudeant male meritos. Atq; hæc agit tribus primis capitibus,& initio quarti. Poſt hæc hortatur ad nouitatem uitæ,dehortans à uitijs gentiũ. Inuitat ad ſobrietatẽ,ad uigilantiã, ad preces aſſiduas:in primis ad mutuã charitatẽ,ad hoſpitalitatẽ, ad officia mutua:rurſus ad patientiã perſecutionũ,ob Chriſti nomen illatarũ. Mox epiſcopos inſtituit,& his ſubditum populum. In calce teſtatur ſeſe & alteram epiſtolam ad eoſdem ſcripſiſſe per Syluanum, quæ intercidit. Hanc ſcriptam apparet ex Babylone, nam huius eccleſiæ uerbis iubet eos ſaluere,ſi cui de Roma commentum non probatur.

PETRI APOSTOLI

epiſtola prima. Cap. I

PETRVS *apoſtolus Ieſu Chriſti,aduenis ſparſim incolentibus Pontũ,Galatiã,Cappadociam, Aſiam, & Bithyniam, delectis iuxta præſinitionem dei patris,per ſanctificationem ſpiritus in obedientiam, & aſperſionem ſanguinis*

ſanguinis Ieſu Chriſti. Gratia uobis & pax multi-
plicetur. Laudandus eſt deus, & pater domini no-
ſtri Ieſu Chriſti, qui iuxta copioſam ſuam miſeri-
cordiam regenuit nos in ſpem uiuam, per hoc quod
reſurrexit Ieſus Chriſtus ex mortuis, in hæreditatē
immortalem & incontaminabilem, atq; immarceſsi
bilem, conſeruatā in cœlis erga uos, qui uirtute dei
cuſtodimini per fidem ad ſalutem, quæ in hoc para
ta eſt, ut pateſiat in tempore ſupremo, in quo exul-
tatis, nunc ad breue tempus afflicti in uarijs experi
mentis, ſi opus ſit, quo exploratio fidei ueſtræ mul-
to precioſior auro, quod perit, & tamen per ignem
probatur, reperiatur in laudem & gloriam & ho-
norem, tum cū reuelabitur Ieſus Chriſtus: quē cum
non uideritis, diligitis, in quem in præſentia, cū non
uideatis, credentes tamen exultatis gaudio ineffa-
bili, & glorificato, reportantes finem fidei ueſtræ,
ſalutem animarum, de qua ſalute exquiſierunt, &
ſcrutati ſunt prophetæ, qui de uentura in uos gra-
tia uaticinati ſunt: ſcrutantes, ad quem aut cuiuſmo
di tēporis articulū ſignificaret, qui in illis erat ſpiri
tus Chriſti, qui priuſquā acciderent, teſtabatur uen
turas in Chriſtum afflictiones, & quæ eſsent cōſecu
turæ glorias: qbus & illud reuelatū eſt, quod haud
ſibijpſis, imò nobis miniſtrarent, hæc quæ nunc an-
nūciata ſunt uobis per eos, qui uobis prædicauerūt

Euangelium, per ſpiritum ſanctum emiſſum è cœlo, in quæ deſiderant angeli proſpicere. Quapropter ſuccincti lumbis mentis ueſtræ, ſobrij, perfecte ſperate in eam quæ ad uos defertur gratiã, dum uobis patefit Ieſus Chriſtus, tanquam filij obedientes, ut nõ accommodetis uos priſtinis concupiſcentijs, quibus dum adhuc ignoraretis Chriſtũ, agebamini: ſed quẽ admodũ is q uos uocauit, ſanctus eſt, ita ipſi quoq; ſancti in omni conuerſatione reddamini, propterea
Leuit.19 quod ſcriptũ eſt: Sancti eſtote, nã ego ſanctus ſum. Et ſi patrem inuocatis citra perſonarum reſpectum iudicantem iuxta cuiuſq; opus, uidete ut in timore conuerſantes, incolatus ueſtri tempus tranſigatis. Cum ſciatis uos non caducis rebus, uelut argẽto & auro fuiſſe redemptos à uana ueſtra cõuerſatione, quam ex patrum acceperatis traditione: ſed precioſo ſanguine, uelut agni immaculati, & incontaminati Chriſti: qui præordinatus quidẽ fuerat antequã conditus eſſet mundus: ſed manifeſtatus fuit extremis temporibus propter uos, qui per illum creditis in deum, qui illum excitauit è mortuis, & gloriã ei dedit: ut uos fidem ac ſpem haberetis erga deũ: qui animas ueſtras purificaſtis obediendo ueritati, per ſpiritum cũ charitate fraterna, ab omni ſimulatione aliena: ex puro corde uos inuicem diligite impenſe, renati nõ ex ſemine mortali, ſed ex immortali per

ſermonem

ſermonem uiuentis dei, & manentis in æternũ. Pro/
ptereа quod omnis caro gramen ſit, & omnis glo/ Eſa.40
ria hominis quaſi flos graminis. Exaruit gramẽ, & Eccli 14
flos decidit: at uerbum domini manet in æternum. Iaco.1
Hoc autem eſt uerbum, quod per Euangelium. dela
tum eſt ad uos. CAP. II

PRoinde depoſita omni malitia, & omni dolo, & ſimulationibus, & inuidẽtijs, & omnibus obtrectationibus, ut modo nati infantes, lac illud nõ corporis, ſed animi, quod dolum neſcit, appetite, ut per illud ſuboleſcatis. Siquidem guſtaſtis, quod beni gnus ſit dominus: ad quem accedentes, qui lapis eſt uiuus, ab hominibus quidem reprobatus, apud deũ uero electus, ac precioſus: ipſi quoq; ueluti uiui la/ pides ædificemini, domus ſpiritualis, ſacerdotiũ ſan ctum, ad offerendum ſpirituales hoſtias, acceptabi/ les deo per Ieſum Chriſtũ: quapropter & continet ſcriptura: Ecce pono in Sion lapidem, in ſummo po Eſa.28
nendum angulo, electum, precioſum. Et qui credide
rit in illo, non pudefiet. Vobis igitur precioſus eſt, Pſal. 117
qui creditis. Cæterum ijs qui non credunt lapis, quẽ Matth.21
reprobauerant ædificantes, hic cœpit eſſe caput an
guli: & lapis in quem impingitur, & petra ad quã
offendant, nempe his qui impingunt in ſermonem,
neq; credunt in id, ad quod & inſtituti fuerãt. Vos
autem genus electum, regale ſacerdotium, gens ſan

ĉta,populus qui in lucrum acceßit,ut uirtutes præ/
dicetis illius,qui è tenebris uos uocauit in admirabi
Oſee 2 lem ſuam lucem. Qui quondam eratis nõ populus,
Rom.9 nunc populus dei: qui quondam non conſecuti miſe
Gal. 5 ricordiam,nunc eſtis miſericordiam conſecuti.Dile
ĉti,obſecro,tanquam aduenas ac peregrinos,abſti/
nete à carnalibus concupiſcentijs, quæ militant ad/
uerſus animam: & conuerſationem ueſtram habe/
te honeſtam inter gentes:ut in hoc quod obtrectant
uobis quaſi maleficis,ex bonis operibus æſtimantes
uos,glorificent deum in die uiſitationis. Proinde ſu
bditi eſtote cuiuis humanæ creaturæ propter domi
num,ſiue regi tanquam præcellẽti,ſiue præſidibus:
ut qui per eum mittantur ad uindictam quidem no
centium,laudem uero recte agentium : quoniam ſic
eſt uoluntas dei,ut benefaciendo obturetis os homi/
nibus ſtultis & ignorantibus:tanquã liberi,& non
ueluti prætextum habentes malitiæ libertatem, ſed
Rom.12 tanquam ſerui dei.Omnes honorate, fraternitatem
Eph.6 diligite,deũ timete,regem honorate.Famuli ſubdi/
Coloſs.3 ti ſint cum timore dominis,nõ ſolum bonis ac huma
nis,uerum etiam prauis.Nam hæc eſt gratia,ſi quis
propter conſcientiã dei ſuffert moleſtias,præter me
ritum affectus malis.Quæ enim eſt laus,ſi cum pec/
cantes alapis cædimini,ſufferetis? At ſi cum benefa/
citis,& tamen malis afficimini,ſuffertis . Hæc enim

eſt

est gratia apud deum. Siquidem in hoc uocati estis, quoniam & Christus afflictus est pro nobis, relinquens nobis exemplum, ut insequeremini uestigia ipsius, qui peccatum nõ fecerat, nec inuentus est dolus in ore illius: qui cũ maledictis incessceretur, non regessit maledicta, cum malis afficeretur, non minabatur. Sed tradidit uindictam ei, qui iudicat iuste: qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignũ, quo peccatis mortui, iustitiæ uiueremus. Cuius eiusdem uibice sanati fuistis. Nã eratis uelut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem, & curatorem animarum uestrarum.

CAP. III

Similiter uxores subditæ sitis uestris uiris, ut 1.Cor.11
etiam qui non obtemperant sermoni, per uxo- Colos.3
rum conuersationem absq; sermone lucrifiant, dum Eph.5
conspexerant cum reuerentia coniunctam castam conuersationem uestram: quarũ ornatus sit, non externus, qui situs est in plicatura capillorum, & additione auri, aut in palliorum amictu, uerum occultus, qui est in corde homo, si is careat omni corruptela: ita ut spiritus placidus sit ac quietus, qui spiritus in oculis dei magnifica ac sumptuosa res est. Nam ad eum modum olim & sanctæ illæ mulieres sperantes in deo, comebant sese & subditæ erant suis uiris, quemadmodum Sara obediuit Abrahæ, Gen.16

dominum illum appellãs:cuius factæ eſtis filiæ, dum benefacitis,& non terremini ullo pauore. Viri ſimiliter cohabitent ſecundum ſcientiam,uelut infirmiori uaſi muliebri impartientes honorem,tanquã etiã cohæredes gratiæ uitæ,ne interrũpantur preces ueRom.12 ſtræ.In ſumma,omnes ſitis unanimes,ſimiliter affecti,fraterna præditi charitate,miſericordes, affabiles,non retaliantes malum malo,aut conuicium conuicio:ſed cõtra benedicentes,ſcientes uos in hoc uocatos eſſe,ut benedictionem hæreditate poſſideatis.
Pſal.33 Nam qui uult uitam diligere,& uidere dies bonos, coërceat linguam ſuam à malo, & labia ſua ne loquantur dolum. Declinet à malo, & faciat bonum: quærat pacem,& perſequatur eam:quoniam oculi domini ſuper iuſtos, & aures eius ad deprecationẽ illorũ.Rurſus aſpectus domini ſuper eos qui faciunt mala. Et quis eſt qui ſit afflicturus uos,ſi bonitatis
Matth.5 æmulatores fueritis? Imò ſi quid etiam acciderit incõmodi propter iuſtitiã,beati tamen eſtis.Cæterum terrore illorũ ne terreamini,neq; turbemini,ſed dominum deũ ſanctificate in cordibus ueſtris.Sitis autem parati ſemper ad reſpõdendum cuilibet petenti,ut loquamini de ea quæ in uobis eſt ſpe,cum manſuetudine & reuerentia, conſcientiam habentes bonam:ut in hoc quod uobis detrahũt, tanquã ſcelerois,pudefiant hi qui inceſſunt ueſtrã bonam in Chriſto con/

ſto conuerſationem. Præſtat enim, ut bene agentes, ſi ita uelit dei uoluntas, malis afficiamini, q̃ male facientes. Quandoquidẽ & Chriſtus ſemel pro pec Heb.9
catis paſſus fuit, iuſtus, pro iniuſtis, ut nos adduce- Rom.5
ret deo, mortificatus quidem carne, ſed uiuificatus ſpiritu: in quo etiam abijt, & ſpiritibus, qui erant in carcere prædicauit, qui inobedientes fuerant quon- Matth.24
dam. Cum ſemel expectabatur dei lenitas in diebus Luc.17
Noë, cum apparabatur arca, in qua paucæ, hoc eſt, octo animæ ſeruatæ fuerunt per aquam: cuius figu-ræ nunc reſpõdens baptiſmus, nos quoq; ſaluos red-dit: quo non carnis ſordes abijciuntur, ſed quo fit, ut bona conſcientia bene reſpondeat apud deum, per reſurrectionem Ieſu Chriſti, qui eſt ad dexterã dei, profectus in cœlũ, ſubiectis ſibi angelis, & poteſta-tibus, ac uirtutibus.

CAP. IIII

CVm igitur Chriſtus paſſus ſit pro nobis car-ne, uos quoq; iuxta eandem cogitationẽ ar-memini: quod qui patiebatur in carne, deſtitit à pec-cato: in hoc, ut iam non concupiſcentijs hominũ, ſed uolũtati dei, quod ſupereſt in carne tempus uiuat. Sat enim eſt nobis, quod anteacto uitæ tempore uo-luntatem gentium patrauerimus, cũ uerſaremur in laſciuijs, concupiſcentijs, uinolentijs, comeſſationib. cõpotationibus, & nefarijs ſimulacrorum cultibus. Atq; id abſurdum illis uidetur, quod non accuratis

unà cum ipſis in eandem luxus refuſionem, qui de uobis male loquũtur. Qui reddituri ſunt rationem ei, qui paratus eſt ad iudicãdum uiuos & mortuos. Nam in hoc mortuis quoq; prædicatum eſt Euangelium, ut iũdicentur quidem ſecundum homines carne: uiuant autem iuxta deum ſpiritu. Porrò rerum omnium finis imminet. Sitis igitur ſobrij, & uigilãtes ad orandum. Ante omnia uero charitatem inter
Rom.12 uos uehementem habentes. Nam charitas operiet multitudinem peccatorum. Hoſpitales eſtote erga uos inuicem, ſine murmurationibus: ut quiſq; accepit donum, ita alius in alium illud miniſtrantes, ut boni diſpenſatores uariæ gratiæ dei. Si quis loquitur, loquatur ut eloquia dei: ſi quis miniſtrat, miniſtret tanquam ex uirtute, quam ſuppeditat deus, ut in omnibus glorificetur deus per Ieſum Chriſtum, cui eſt gloria & imperium in ſecula ſeculorum, Amen. Chariſſimi, ne miremini, dũ per ignem exploramini: quæ res ad experimentum ueſtri fit, perinde quaſi nouum aliquid uobis obtingat: imò in hoc, quod conſortes eſtis afflictionum Chriſti, gaudete: ut in reuelatione quoque gloriæ eiuſdem gaudeatis exultantes. Si probris afficimini in nomine Chriſti, beati eſtis: quoniã gloria & ſpiritus dei ſuper uos requieſcit. Iuxta ipſos quidem maledictis afficitur, iuxta uos autẽ glorificatur. Ne quis enim ueſtrum

afflígatur

affligatur,ut homicida,aut fur,aut facinoroſus, aut curioſus alienarũ rerũ.Porrò ſi ut Chriſtianus affligitur aliquis,ne pudefiat,imò glorificet deũ in parte hac. Quandoquidẽ & tempus eſt,ut incipiat iudicium à domo dei: quod ſi primũ incipit à nobis, quis erit finis eorũ, qui non credunt dei Euãgelio? Et ſi iuſtus uix ſaluus efficitur, impius & peccator ubi comparebit? Proinde qui affliguntur iuxta uoluntatem dei, tanquam apud fidelem cõditorem deponant animas ſuas benefaciendo.

CAP. V

PResbyteros qui inter uos ſunt obſecro, qui ſum & ipſe presbyter, ac teſtis afflictionum Chriſti, atq; idem conſors gloriæ, quæ reuelabitur, paſcite quãtum in uobis eſt gregem Chriſti, curam illius agentes non coacte,ſed uolentes:non turpiter affectantes lucrum,ſed propenſo animo:neq; ceu dominium exercentes aduerſus cleros, ſed ſic ut ſitis exemplaria gregis.Et cũ apparuerit ille paſtorum princeps, reportabitis immarceſſibilem gloriæ coronam. Similiter iuniores ſubditi eſtote ſenioribus, ſic ut omnes alius alij uiciſſim ſubijciamini.Humilitatem animi uobis infixam habete:propterea quod deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autẽ dat gratiam. Humiliemini igitur ſub potenti manu dei,ut uos extollat cum erit opportũnum:omni cura ueſtra conijcta in illum. Nam illi cura eſt de uobis. Sobrij eſtote

Iaco.4

Luc.12

eſtote,uigilate:quoniam aduerſarius uester diabo/lus tanquam leo rugiens obambulat, quærẽs quem deuoret. Cui reſiſtite ſolidi fide:ſcientes eaſdem aſ/flictiones,uestræ quæ in mundo eſt fraternitati,con ſummari. Sed deus omnis gratiæ, qui uocauit nos ad æternam ſuam gloriam per Chriſtum Ieſum,pa/rumper afflictos,idẽ inſtauret uos,fulciat,roboret, ſtabiliat. Ipſi gloria,imperium in ſecula ſeculorum, Amen. Per Syluanum uobis fidelem fratrem, ut ar/bitror,paucis ſcripſi, adhortans ac teſtificans hanc eſſe ueram gratiam dei,in qua ſtatis. Salutat uos ea quæ eſt in Babylone, ueſtræ conſors electionis ec/cleſia, & Marcus filius meus. Salutate uos mutuo charitatis oſculo. Pax uobis omnibus, qui eſtis in Chriſto Ieſu, Amen.

IN EPISTOLAM PETRI SE cundã argumentũ per Eraſmum Rot.

HAnc, ut apparet, ſcripſit admodũ ſenex, & iam morti uicinus: quan doquidem de obitu ſuo meminit. Scribit autem promiſcue Chriſtia nis omnibus, adhortans ad uitæ pu ritatem, & ueterum exemplis ac terrore iudicij ex tremi deterrens à turpibus: uehementer inſectans eos, qui ſimplicium animos peruerſa doctrina cor/rũperẽt, negantes aduenturũ Chriſtũ. FINIS

PETRI APOSTOLI
EPISTOLA SECVNDA.
CAP. I

SYMEON Petrús ſeruus & apoſtolus Ieſu Chriſti, his qui æque precioſam nobiſcũ ſortiti ſunt fidem, per iuſtitiã dei noſtri, & ſeruatoris Ieſu Chriſti. Gratia uobis & pax multiplicetur per agnitionẽ dei, & Ieſu domini noſtri: ſic ut eius diuina uirtus omnia nobis largita eſt, quæ ad uitam ac pietatem pertinent, per agnitionem eius qui uocauit nos per gloriam & uirtutẽ, per quæ precioſa nobis ac maxima promiſſa donata ſunt, ut per hæc efficeremini diuinæ conſortes naturæ, ſi refugeritis à corruptione quæ eſt in mundo per concupiſcentiã. Sed & in hoc ipſum omni adhibito ſtudio, ſubminiſtrate in fide ueſtra uirtutem, in uirtute uero ſcientiam, in ſcientia uero temperantiã, in temperãtia uero patientiam: rurſus in patientia pietatẽ, in pietate aũt fraternã charitatẽ, in fraterna uero charitate dilectionem. Hæc enim cũ uobis adſint, & exuberent, haud ocioſos, nec in irritũ laborantes efficiunt, ad domini noſtri Ieſu Chriſti cognitionẽ. Nam cui nõ adſunt hæc, is

hæc,is cæcus est,& manu uiam tentans,oblitus sa/
se à ueteribus peccatis suis fuisse purgatum. Quar
propter fratres potius operam date,ut uocationem
& electionem uestram firmam efficiatis.Hæc enim
si feceritis,non labemini unquam. Siquidem ad hũc
modum,abunde subministrabitur uobis introitus in
æternum regnum domini nostri, & seruatoris Iesu
Christi. Quapropter haud negligam uos semper
commonere de his,tametsi sciatis,& confirmati si/
tis in præsenti ueritate. Attamen iustum arbitror,
quandiu sum in hoc tabernaculo, excitare uos per
commonitionem:cum sciam breui futurum,ut depo
nam hoc tabernaculum meum,quemadmodũ & do
minus noster Iesus Christus significauit mihi.Quin
& dabo semper operam, ut uos post exitũ meum,
horum mentionẽ facere posſitis.Non enim arte com
positas fabulas secuti, notam uobis fecimus domini
nostri Iesu Christi uirtutem & aduentum: sed qui
oculis nostris aspeximus illius maiestatem.Accepe
rat enim à deo patre honorem & gloriã, uoce ad
Matth.17 illum delata huiusmodi à magnifica gloria: Hic est
Mar.9 ille filius meus dilectus,in quo mihi complacitũ est.
Luc.9 Et hanc uocem nos audiuimus è cœlo delatam,cum
essemus unà cum illo in mõte sancto.Et habemus fir
miorem sermonem propheticũ: cui dum attenditis,
ceu lucernæ apparẽti in obscuro loco, recte facitis,

donec

donec dies illuceſcat,& Lucifer exoriatur in cordi bus uestris.Si illud prius noueritis,quod omnis pro phetica ſcriptura non ſit priuatæ interpretationis. Non enim uolũtate hominis allata eſt olim prophe tia:ſed à ſpiritu ſancto impulſi,locuti ſunt ſancti dei homines.

CAP. II

FVerunt autem & pſeudoprophetæ in populo, quemadmodum & inter uos erunt fălſi docto/ res,qui clàm inducent ſectas perniciosas, etiam do/ minum qui illos mercatus eſt,abnegantes: accerſen tes ſibijpſis celerem interitum: & pleriq; ſequẽtur illorum exitia,per quos uia ueritatis maledictis af/ ficietur,& per auaritiă făcticijs ſermonibus de uo/ bis negociabuntur:quibus iudiciũ iam olim non tar dat,& perditio illorum non dormitat. Nam ſi deus Iob 4 angelis, qui peccauerant, non pepercit, ſed catenis noctis in Tartarum præcipitatos, tradidit ſeruatos in iudicium: & priſco mundo nõ pepercit, ſed octa Gen.7 uum iuſtitiæ præconẽ Noë ſeruauit,diluuio in mun dum impiorum inducto: & ciuitates Sodomorum ac Gomorrhæ,in cinerem redactas,ſubuerſione con demnauit, eoſq; fecit exemplum his, qui impie fo/ rent acturi:& iuſtum Loth, qui opprimebatur à ne & 19 farijs per libidinoſam conuerſationem, eripuit. Is enim oculis & auribus iuſtus cum habitaret in/ ter illos, quotidie animam iuſtam iniquis illorum factis

factis excruciabat. Nouit dominus pios è tentatione eripere, iniustos autem in diem iudicij puniẽdos seruare: maxime uero illos, qui carnem sequẽtes in concupiscentia pollutionis ambulant, ac dominationem cõtemnunt, audaces, præfracti, qui gloria præcellentes non uerentur cõuicijs incessere. Cum ipsi angeli, qui sunt robore ac uirtute maiores, nõ ferũt aduersus sese apud dominum, maledicum iudicium. At isti ueluti bruta animantia, natura genita in captu ram & in perniciem, in his quæ non intelligunt maledicentes, in perditione sua peribunt, reportantes mercedem iniustitiæ, pro uoluptate ducentes, si in diem delitijs fruantur, labes ac maculæ: qui conuiuantes in erroribus suis, insultant uobis, oculos habentes plenos adulteræ, & qui à peccando cessare nesciant, inescantes animas instabiles, cor habentes exercitatũ rapinis, execrabiles filij, qui relicta

Num. 22 *recta uia, aberrauerũt, secuti uiam Balaam, filij Bosor, qui mercedem iniquitatis dilexit, sed redargutus fuit de sua iniquitate. Animal subiugale mutum, humana uoce loquens, prohibuit prophetæ dementiam. Isti sunt fontes aqua carentes, nebulæ quæ à*

Iudæ 1 *procella feruntur, quibus caligo tenebrarũ in æternum seruata est. Siquidem ubi uehementer fastuosa uanitatis uerba sonuerint, inescãt homines per concupiscentias carnis uoluptatibus, eos qui uere aufugerant*

gerant,ab his qui in errore cõuersantur,dum illis li/bertatem pollicentur, cum ipsi serui sint corruptio/nis.Siquidem à quo quis superatus est, huic etiam in seruitutem est addictus.Nam si postea quàm refuge/runt ab inquinamentis mundi, per agnitionem domi ni & seruatoris Iesu Christi:tamen his rursum inuo/luti superantur: facta sunt illis postrema peiora pri/mis.Satius enim fuisset illis, non cognouisse uiam iu/sticiæ,quàm ubi cognouerunt, conuerti ab eo, quod illis traditum fuit,sancto præcepto. Verum accidit il lis id quod uero prouerbio dici solet. Canis reuersus ad suum ipsius uomitum:& sus lota,reuersa ad uolu tabrum cœni. Prou.26

CAP. III

HAsce iam alteras uobis charißimi,scribo lite ras,in quibus extimulo uestram,per commo nitionem,synceram mentem: ut memores sitis uerbo rum,quæ prædicta sunt à sanctis prophetis,& man/dati nostri,qui sumus apostoli domini & seruatoris: illud primum scientes, uenturos in extremis diebus illusores, qui iuxta proprias concupiscentias ambu/lent,& dicant:Vbi est pollicitatio aduentus eius?Si/quidem ex quo die patres obdormierunt, sic omnia permanent ab initio cõditionis.Nã illud uolentes ne sciunt, quod cœli iam olim fuerint ac terra,ex aqua & per aquam consistens dei sermone, per quæ is qui tum erat mundus,aqua inundatus perijt. At qui 1.Tim.4

nunc ſunt cœli ac terra, eiuſdem ſermone repoſiti ſunt, & ſeruantur igni in diẽ iudicij, & perditionis impiorum hominum. Vnum autem hoc ne lateat uos dilecti, quod unus dies apud dominum, perinde eſt ut mille anni: & mille anni, ut dies unus. Haud tardat dominus qui promiſit, quemadmodum nonnulli tarditatem exiſtimant. Verũ patiens eſt erga nos, dum non uult ullos perire, ſed omnes ad pœnitentiam recipere. Veniet autem dies domini, ſicut fur in nocte, quo cœli procellæ in morem tranſibũt: elementa uero æſtuantia ſoluentur, terraq; & quæ in ea ſunt opera exurentur. Cum igitur hæc omnia ſoluantur, quales oportet eſſe uos in ſanctis cõuerſationibus ac pietatibus, expectantes et accelerantes aduentũ diei dei: per quẽ cœli incenſi ſoluentur, & elementa æſtuantia liqueſcent. Sed cœlos nouos ac terram nouam iuxta promiſſum illius expectamus, in quibus iuſtitia inhabitat. Quapropter dilecti, hæc expectantes, date operam, ut immaculati & incontaminati ab illo reperiamini in pace, dominiq; noſtri patientiam, ſalutem arbitremini: quemadmodum & dilectus frater noſter Paulus, iuxta ſibi datam ſapientiam ſcripſit uobis: etiam in omnibus ferè epiſtolis loquens de his, inter quæ ſunt nonnulla difficilia intellectu, quæ indocti parumq; firmi detorquent, ſicut & cæteras ſcripturas ad ſuam ipſorum perniciem. Vos igitur dilecti

Ezech. 12

2. Theſſ. 5

lecti, posteaquàm præmoniti estis, cauete, ne simul cum alijs nefariorũ errore abducti, excidatis à propria stabilitate: sed crescite in gratia & cognitione domini nostri & seruatoris Iesu Christi. Ipsi gloria, & nunc, & in diem æternitatis. Amen

IN EPISTOLAM IOANNIS primam, argumentum per Erasmum Roterodamum.

HANC epistolam esse Ioannis apostoli, qui scripsit euangeliũ, uel ipse sermonis character arguit: multus est in mentione lucis ac tenebrarũ, uitæ ac mortis, odij & charitatis, in iterandis uerbis, uelut exceptis ex sermone proximo. Quod genus est illud, ut exemplo quod dicimus, fiat dilucidius: Nolite diligere mundum, neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo: quoniam omne quod in mundo est &c. Ac mox: Non est ex patre, sed ex mundo est. Et mundus transit. Quoties hic iteratur mundus? Postremo, est in toto huius sermone quiddã, minus astrictum ac fusius, quàm in sermone reliquorum apostolorum. Est autem dilucidior epistola, quàm ut egeat argumento, quemadmodũ & duæ sequentes, quæ Ioanni cuidam presbytero, non apostolo tribuuntur.

IOANNIS APO=
STOLI EPISTOLA PRIMA
CAPVT I

Vod erat ab initio, quod audiuimus, quod uidimus oculis noſtris, quod perſpeximus, & manus noſtræ contrectauerunt de ſermone uitæ, & uita manifeſtata eſt, & uidimus: etiam teſtamur, et annunciamus uobis uitam æternã, quæ erat apud patrẽ, & manifeſtata eſt nobis. Quod uidimus & audiuimus annũciamus uobis, ut et uos ſocietatẽ habeatis nobiſcum, & ſocietas noſtra ſit cũ patre & filio eius Ieſu Chriſto. Et hæc ſcribimus uobis, ut gaudiũ ueſtrũ ſit plenum. Et hæc eſt promiſſio, quam audiuimus ex ipſo, & annunciamus uobis, quod deus lux eſt, & tenebræ in eo non ſunt ullæ. Si dixerimus, quod ſocietatem habemus cũ eo, & in tenebris ambulamus, mentimur, & ueritatem nõ facimus. Quod ſi in luce ambulamus, ſicut ipſe eſt in luce, ſocietatem habemus
Heb.9 inter nos mutuam, & ſanguis Ieſu Chriſti filij eius emundat nos ab omni peccato. Si dixerimus, peccatum non habemus, noſipſos fallimus, & ueritas in nobis

bis non est. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & iustus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. Si dixerimus, non peccauimus, mendacem facimus eum, & sermo eius nõ est in nobis.

CAP. II

Filioli mei, hæc scribo uobis, ne peccetis: & si quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, Iesum Christum iustum. Et ipse est propitiatio pro peccatis nostris, non pro nostris autem tantum, sed etiam pro totius mundi. Et per hoc scimus, quod cognouimus eum, si iussa illius obseruamus. Qui dicit, noui eum, & præcepta eius non seruat, mendax est, & in eo ueritas non est. Qui autem seruat sermonem eius, uere in hoc charitas dei perfecta est. Per hoc scimus, quod in ipso sumus. Qui dicit se in eo manere, debet sicut ille ambulauit, & ipse ambulare. Fratres, non præceptum nouũ scribo uobis, sed præceptum uetus, quod habuistis ab initio. Præceptum uetus est sermo, quem audistis ab initio. Rursum præceptum nouum scribo uobis, quod uerum est in ipso, idem uerum est & in uobis, quia tenebræ præteriunt, & uerum lumen iam lucet. Qui dicit se in luce esse, & fratrem suũ odit, in tenebris est usq; adhuc. Qui diligit fratrem suũ, in lumine manet, & offendiculum in eo non est. Qui autẽ odit fratrem suũ, in tenebris est, & in tenebris ambulat, & nescit quò Ioan. 13

eat,quia tenebræ obcæcauerunt oculos eius. Scribo uobis filioli, quoniã remittuntur uobis peccata propter nomẽ eius. Scribo uobis patres,quoniam cognouistis eũ,qui ab initio est. Scribo uobis adolescentes, quoniam uicistis illum malũ. Scribo uobis filioli,quoniam cognouistis patrem. Scripsi uobis patres,quoniam cognouistis eum,qui ab initio est. Scripsi uobis adolescentes,quoniam fortes estis, & uerbũ dei manet in uobis,& uicistis illum malũ. Ne diligatis mundum,neq; ea quæ in mundo sunt. Si quis diligit mundum, non est charitas patris in eo. Quoniam omne quod est in mundo, ueluti concupiscentia carnis, & concupiscentia oculorum, & fastus uitæ, non est ex patre,sed ex mundo est. Et mundus transit & concupiscentia eius. Qui autem facit uoluntatem dei, manet in æternum. Filioli,nouissimum tempus est: & sicut audistis, quod Antichristus uenturus sit, etiam nunc Antichristi multi cœperunt esse. Vnde scimus nouissimum tempus esse. E nobis profecti sunt,sed nõ erant ex nobis. Nam si fuissent ex nobis, permansissent utiq; nobiscum. Sed ut manifesti fierent,quod nõ sint omnes ex nobis. Sed uos unctionẽ habetis à sancto illo,& nostis omnia: non scripsi uobis, quasi ignorantibus ueritatem,sed tanquam scientibus eam: quódque omne mendacium ex ueritate non est. Quis est mendax, nisi is, qui negat Iesum esse Chri-

stum

ſtum? Hic eſt Antichriſtus, qui negat patrem & filium. Quiſquis negat filium, is ne patrem quidem habet. Vos igitur quod audiſtis ab initio, in uobis permaneat. Si in uobis permanſerit quod audiſtis ab initio, & uos in filio & patre manebitis. Et hæc eſt repromiſſio, quam ipſe pollicitus eſt nobis, uitam æternam. Hæc ſcripſi uobis de his qui ſeducunt uos: & unctio quam uos accepiſtis ab eo, manet in uobis. Et non neceſſe habetis, ut quiſquam doceat uos, ſed ſicut ipſa unctio docet uos de omnibus, & uerax eſt, & non eſt mendacium. Et ſicut docuit uos, manete in ea. Et nunc filioli manete in eo, ut cũ apparuerit, habeamus fiduciam, & nõ pudefiamus ab eo in aduentu eius. Si ſcitis quod iuſtus eſt, ſcitote quod omnis qui facit iuſticiam, ex ipſo natus eſt.

CAPVT III

Videte qualem charitatem dedit nobis pater, ut filij dei nominemur Propter hoc mundus non nouit uos, quia non nouit eum. Chariſſimi, nunc filij dei ſumus, & nondum apparuit id quod futuri ſumus. Scimus autem, quod ſi apparuerit, ſimiles ei erimus, quoniã uidebimus eũ ſicuti eſt. Et omnis qui habet hanc ſpem in eo, purificat ſe, ſicut et ille purus eſt. Omnis qui cõmittit peccatum, idem & iniquitatem cõmittit, & peccatũ eſt iniquitas. Et ſcitis quod ille apparuit, ut peccata noſtra tolleret, & peccatũ

in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: omnis qui peccat, nõ uidit eum, nec cognouit eum. Filioli, nemo uos seducat. Qui exercet iusticiã, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare eo qđ ex deo natus est. In hoc manifesti sunt filij dei, & filij diaboli. Omnis qui nõ facit iusticiam, non est ex deo, & qui non diligit fratrem suũ. Quoniam hæc est annunciatio quã audistis ab initio, ut diligamus nos inuicẽ. Nõ sicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris autem eius iusta. Ne miremini fratres mei, si odit uos mundus. Nos scimus, quod translati sumus de morte ad uitã, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quod omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uero habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Filioli mei,

Gen. 4

Ioan. 15

nc

ne diligamus uerbo,neq; lingua,ſed opere & uerita
te.Per hoc cognoſcimus,quod ex ueritate ſumus,&
in conſpectu eius ſuadebimus cordibus noſtris.Quo
niam ſi condemnet nos cor noſtrum, maior eſt deus
corde noſtro,& nouit omnia.Chariſſimi, ſi cor no
ſtrum non condemnet nos , fiduciam habemus erga
deũ:et quicquid petierimus,accipimus ab eo,quoniã
præcepta eius cuſtodimus,& ea quæ ſunt placita co
ram eo,facimus.Et hoc eſt præceptum eius,ut creda
mus nomini filij eius Ieſu Chriſti , & diligamus nos
mutuo,ſicut dedit præceptum. Et qui ſeruat præcep
ta eius, in illo manet , & ipſe in eo . Et per hoc ſci-
mus,quod manet in nobis,è ſpiritu quẽ nobis dedit.

CAPVT IIII

CHariſſimi,ne cuiuis ſpiritui credatis,ſed pro
bate ſpiritus an ex deo ſint : quoniam multi
pſeudoprophetæ exierunt in mundum.Per hoc cog
noſcite ſpiritum dei.Omnis ſpiritus qui cõfitetur Ie
ſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex deo eſt. Et omnis
ſpiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne
ueniſſe,ex deo nõ eſt. Et hic eſt ille ſpiritus Antichri
ſti,de quo audiſtis quod uenturus ſit,& nunc iam in
mundo eſt.Vos ex deo eſtis filioli,et uiciſtis eos,quo
niam maior eſt qui in uobis eſt, quàm qui in mundo.
Ipſi è mundo ſunt,ideo è mundo loquuntur,& mun
dus eos audit.Nos ex deo ſumus. Qui nouit deũ,au

in eo non est. Omnis qui in eo manet, non peccat: omnis qui peccat, nõ uidit eum, nec cognouit eum. Filioli, nemo uos seducat. Qui exercet iusticiã, iustus est, sicut & ille iustus est. Qui committit peccatum, ex diabolo est, quoniam ab initio diabolus peccat. Ad hoc apparuit filius dei, ut dissoluat opera diaboli. Omnis qui natus est ex deo, peccatum non committit, quoniam semen ipsius in eo manet, & non potest peccare eo qđ ex deo natus est. In hoc manifesti sunt filij dei, & filij diaboli. Omnis qui nõ facit iusticiam, non est ex deo, & qui non diligit fratrem suũ. Quoniam hæc est annunciatio quã audistis ab initio, ut diligamus nos inuicẽ. Nõ sicut Cain ex illo malo erat, & occidit fratrem suum. Et propter quid occidit eum? quia opera eius mala erant, fratris autem eius iusta. Ne miremini fratres mei, si odit uos mundus. Nos scimus, quod translati sumus de morte ad uitã, quia diligimus fratres. Qui non diligit fratrem, manet in morte. Omnis qui odit fratrem suum, homicida est: & scitis, quod omnis homicida non habet uitam æternam in se manentem. Per hoc cognouimus charitatem, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. Qui uero habuerit substantiam mundi, & uiderit fratrem suum egentem, & clauserit uiscera sua ab eo, quomodo charitas dei manet in eo? Filioli mei,

Gen. 4

Ioan. 15

nẽ

ne diligamus uerbo,neq; lingua,ſed opere & uerita
te.Per hoc cognoſcimus,quod ex ueritate ſumus,&
in conſpectu eius ſuadebimus cordibus noſtris.Quo
niam ſi condemnet nos cor noſtrum, maior eſt deus
corde noſtro,& nouit omnia.Chariſſimi,ſi cor no
ſtrum non condemnet nos, fiduciam habemus erga
deũ:et quicquid petierimus,accipimus ab eo,quoniã
præcepta eius cuſtodimus,& ea quæ ſunt placita co
ram eo,facimus.Et hoc eſt præceptum eius,ut creda
mus nomini filij eius Ieſu Chriſti, & diligamus nos
mutuo,ſicut dedit præceptum. Et qui ſeruat præcep
ta eius, in illo manet, & ipſe in eo. Et per hoc ſci-
mus,quod manet in nobis,è ſpiritu quẽ nobis dedit.

CAPVT IIII

CHariſſimi,ne cuiuis ſpiritui credatis,ſed pro
bate ſpiritus an ex deo ſint : quoniam multi
pſeudoprophetæ exierunt in mundum.Per hoc cog
noſcite ſpiritum dei.Omnis ſpiritus qui cõfitetur Ie
ſum Chriſtum in carne ueniſſe, ex deo eſt. Et omnis
ſpiritus, qui non confitetur Ieſum Chriſtum in carne
ueniſſe,ex deo nõ eſt. Et hic eſt ille ſpiritus Antichri
ſti,de quo audiſtis quod uenturus ſit,& nunc iam in
mundo eſt.Vos ex deo eſtis filioli,et uiciſtis eos,quo
niam maior eſt qui in uobis eſt, quàm qui in mundo.
Ipſi è mundo ſunt,ideo è mundo loquuntur,& mun
dus eos audit.Nos ex deo ſumus. Qui nouit deũ,au

dit nos: qui non est ex deo non audit nos. Per hoc cognoscimus spiritum ueritatis, & spiritum erroris. Charissimi, diligamus nos inuicem, quia charitas ex deo est. Et omnis qui diligit, ex deo natus est, & cognoscit deum. Qui non diligit, non nouit deum, quoniam deus charitas est. In hoc apparuit charitas dei in nobis, quod filium suum unigenitũ misit deus in mundum, ut uiuamus per eũ. In hoc est charitas, nõ quod nos dilexerimus deum, sed quod ipse dilexerit nos, & miserit filiũ suũ propitiationem pro peccatis nostris. Charissimi, si sic deus dilexit nos, & nos debemus nos mutuo diligere. Deum nemo uidit unquam. Si diligamus nos inuicem, deus in nobis manet, & charitas eius est perfecta in nobis. Ex hoc cognoscimus, in eo nos manere, & ipsum in nobis, quod de spiritu suo dedit nobis. Et nos uidimus & testamur, quod pater misit filiũ seruatorẽ mundi. Quisquis confessus fuerit, quod Iesus est filius dei, deus in eo manet, & ipse in deo. Et nos cognouimus, & credidimus charitatem, quã habet deus in nobis. Deus charitas est, et qui manet in charitate, in deo manet, & deus in eo. In hoc perfecta est charitas nobiscum, ut fiduciam habeamus in die iudicij, quod sicut ille est, & nos sumus in mundo hoc. Timor nõ est in charitate, sed perfecta charitas foras eijcit timorẽ, quoniam timor cruciatum habet. Qui autem timet, nõ est

perfectus

perfectus in charitate. Nos diligimus eum, quoniam ipse prior dilexit nos. Si quis dixerit: diligo deum, & fratrem suum oderit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum quem uidit, deum quem non uidit, quomodo potest diligere? Et hoc præceptum habemus ab eo, ut qui diligit deum, diligat & fratrem suum.

CAPVT V

OMnis qui credit Iesum esse Christum, ex deo natus est. Et omnis qui diligit eum, qui genuit, diligit et eum, qui natus est ex eo. In hoc cognoscimus quod diligamus filios dei, cum deum diligimus, & præcepta eius seruamus. Hæc est enim charitas dei, ut præcepta eius seruemus, & præcepta eius grauia non sunt. Quoniam omne quod natum est ex deo, uincit mundũ: et hæc est uictoria, quæ uicit mundum, fides nostra. Quis est qui uincit mundũ, nisi qui credit quod Iesus est filius dei? Hic est qui uenit per aquam & sanguinem Iesus Christus: nõ per aquam solum, sed per aquam & sanguinem. Et spiritus est qui testificatur, quoniam spiritus est ueritas. Quoniam tres sunt, qui testimonium dant in cœlo, pater, sermo, & spiritus sanctus: & hi tres unum sunt: & tres sunt qui testimonium dant in terra, spiritus, & aqua, & sanguis: & hi tres unum sunt. Si testimonium hominum accipimus, testimoniũ dei maius est: quoniam 1.Cor.15

quoniam hoc est testimonium dei, quo testificatus est
Ioan.3 de filio suo. Qui credit in filiũ dei, habet testimoniũ in seipso. Qui nõ credit deo, mendacẽ fecit eum, quia non credit in testimonium, quod testificatus est deus de filio suo. Et hoc est testimoniũ, quod uitã æternam dedit nobis deus, & hæc uita in filio eius est. Qui habet filiũ, habet uitam: qui nõ habet filium dei, uitam nõ habet. Hæc scripsi uobis, qui creditis in nomine filij dei, ut sciatis, quod uitam habetis æternam, & ut credatis in nomine filij dei. Et hæc est fiducia quam habemus apud eum, quod si quid petierimus secundum uoluntatẽ eius, audit nos. Et si scimus quod audit nos, quicquid petierimus, scimus quod habemus petitiones quas postulauimus ab eo. Si quis uiderit fratrem suũ peccare peccatũ nõ ad mortem, petet et dabit ei uitam, peccantibus nõ ad mortem. Est peccatum ad mortem, nõ pro illo dico ut roges. Omnis iniquitas peccatũ est. Et est peccatũ nõ ad mortem. Scimus, quod omnis qui natus est ex deo, nõ peccat: sed qui genitus est ex deo, seruat seipsum, & malus ille nõ tangit eũ. Scimus quod ex deo sumus, & mundus totus in malo constitutus est. Scimus autem quod filius dei uenit, & dedit nobis mentem, ut cognoscamus illũ qui uerus est: & sumus in uero, in filio eius Iesu Christo Hic est uerus deus, & uita æterna. Filioli, cauete uobis à simulachris. Amen.

BEATI IOANNIS

PRESBYTERI EPI/ *ſtola ſecunda.*

ENIOR *electæ domi/ næ, & filijs eius, quos ego diligo in ueritate: et nõ ego ſolus, ſed & om- nes qui cognouerunt ue ritatem, propter uerita/ tem, quæ permanet in no bis, & nobiſcum erit in æternum. Erit nobiſcum gratia, miſericordia, pax à deo patre, & à domino Ieſu Chriſto filio patris in ueritate & charitate. Gauiſus ſum ualde, quod inue ni de filijs tuis ambulantes in ueritate, ſicut præcep/ tum accepimus à patre. Et nunc rogo te domina, nõ tanquam mandatum nouum ſcribo tibi, ſed quod ha/ buimus ab initio, ut diligamus nos mutuo. Et hæc eſt charitas, ut ambulemus ſecundum præceptum eius. Hoc eſt præceptum, quemadmodum audiſtis ab ini/ tio, ut in eo ambuletis: quoniam multi ſeductores in/ greſſi ſunt in mundũ: qui non confitetur Ieſum Chri/ ſtum uenturũ in carne, hic eſt ſeductor & Antichri/ ſtus. Intuemini uoſipſos, ne perdamus quæ operati ſu/*

mus

mus, ſed ut mercedem plenam recipiamus. Omnis qui tranſgreditur, & non manet in doctrina Chriſti, deum non habet. Qui manet in doctrina Chriſti, hic & patrem & filium habet. Si quis uenit ad uos, & hanc doctrinam non affert, ne recipiatis eum in domum, nec aue ei dixeritis. Qui enim dicit illi aue, cõmunicat operibus eius malis. Cũ multa haberem uobis ſcribenda, nolui per chartam & atramentum. Sed ſpero me uenturum ad uos, & præſentem præſentibus locuturum, ut gaudium noſtrum ſit completum. Salutant te filij ſororis tuæ electæ. Amen.

BEATI IOANNIS THEOLOGI CATHOLICA epiſtola tertia.

SENIOR Gaio dilecto, *quem ego diligo in ueritate. Dilecte, de omnibus opto, ut proſpere agant, et recte ualeãt, ſicut proſpere agit anima tua. Gauiſus ſum enim ualde uenientibus fratribus, & teſtimonium reddentibus ueritati tuæ, ſicut tu in ueri-*

tate

tate ambulas. Maius his non habeo gaudium, quàm ut audiam filios meos in ueritate ambulare. Chariſſime, fideliter facis quicquid operaris in fratres, & in hoſpites, qui teſtimonium reddiderunt charitati tuæ in cõſpectu eccleſiæ: quos benefacies, ſi deduxeris digne deo. Pro nomine enim eius profecti ſunt, nihil accipientes à gentibus. Nos ergo debemus recipere huiuſmodi, ut cooperatores ſimus ueritati. Scripſi eccleſiæ, ſed is qui amat primatum gerere in eis Diotrephes, non recipit nos. Propter hoc ſi uenero, indicabo facta illius quæ facit, uerbis malicioſis garriẽs in nos: & nec in his contentus, non ſolum nõ recipit fratres, uerum etiam uolentes recipere, prohibet, & è congregatione eijcit. Dilecte, ne imiteris quod malum eſt, ſed quod bonum eſt. Qui bene facit, ex deo eſt: qui autem male facit, non uidet deum. Demetrio teſtimonium redditum eſt ab omnibus, & ab ipſa ueritate, ſed & nos teſtimonium perhibemus, & noſtis quod teſtimonium noſtrum uerum eſt. Multa habebam quæ ſcriberem, ſed nolo per atramentũ & calamum ſcribere tibi. Spero autem protinus me uiſurum te, & præſentes coràm loquemur. Pax tibi.

Salutant te amici. Saluta amicos nominatim.

FINIS

IN EPISTOLAM IVDAE

Argumentum per Eraſmũ Roterod.

Multis uerbis deſtomachatur in eos, qui cupiditatibus ſuis excæcati, aduerſabantur euangelio. Quod tamen nouũ uideri nõ debeat, cum iam olim in hoc deſtinati ſint, & ab apoſtolis prædictum ſit, id genus homines irrepturos in gregem Chriſtianorum. Aduerſus hos ſic armat eos, ut ſtudeant & illos uel increpatione coërcere, uel admonendo ſeruare. Quod ſi nõ queant, certe ipſi ſeſe parẽt in aduentũ Chriſti.

BEATI IVDAE
APOSTOLI EPISTOLA
Catholica.

IVDAS Ieſu Chriſti ſeruus, frater Iacobi, his qui in deo patre ſanctificati ſunt, quiq; Ieſu Chriſto ſeruati ſunt uocatis. Miſericordia uobis, & pax, & charitas multiplicetur. Dilecti, tantum mihi ſtudium fuit ſcribendi ad uos de communi ſalute, ut nõ potuerim nõ ſcribere uobis, obſecrans, ut ueſtris laboribus

laboribus adiumento ſitis fidei, quæ ſemel data eſt ſanctis. Obiter enim ſubierunt quidam homines impij, qui prius deſcripti fuerant in hoc iudicium, qui dei noſtri gratiam transferunt ad laſciuiam, ac deū, qui ſolus eſt herus, ac dominum noſtrum Ieſum Chriſtum negant. Volo autem uos commonefacere, cum ſciatis ſemel illud: quod dominus, poſteaquam populum ex Aegypto ſaluum eduxerat, rurſus eos qui nō credebant, perdidit: quodq; angelos, qui non ſeruauerant ſuam originem, ſed reliquerant ſuum domicilium, ad iudicium magni illius diei, uinculis æternis ſub caligine ſeruauit. Sicut Sodoma & Gomorrha, & his finitimæ ciuitates, quæ ad cōſimilem modum cum illis ſtupris inquinatæ fuerant, ac ſequutæ fuerant carnem alienam, propoſitæ ſunt exemplo, ignis æterni pœnam ſuſtinentes. Similiter ſanè & hi delu ſi in ſomnijs, carnem quidem polluunt, dominos uero ſpernunt, in poteſtate præditos maledicta congerunt. At Michaël archangelus, cum aduerſus diabolum certans diſceptaret de corpore Moyſi, nō auſus eſt illi impingere notam maledicti, ſed dixit: Increpet te dominus. At iſti quæ non nouerunt, ea maledictis inſectantur: quæ uero natura ceu animantia rationis expertia ſciunt, in his corrumpuntur. Væ illis, quoniā uiam Cain ingreſſi ſunt, & deceptione mercedis, qua deceptus fuit Balaam, effuſi ſunt, & con- Gen. 19

traditione Core pericrunt. Hi ſunt inter charitates uestras maculæ, inter ſe conuiuantes, abſq; ullius timore ſuopte ductu arbitrioq; uiuentes: nubes aquã non habentes, quæ à uentis circunaguntur, arbores autumno marceſcentes: infrugiferæ, bis emortuæ & eradicatæ: undæ efferæ maris, deſpumantes ſua ipſorũ dedecora: ſtellæ erraticæ, quibus caligo tenebrarum in æternum ſeruata eſt. Prius autem his uaticinatus eſt ſeptimus ab Adam Enoc, dicens: Ecce uenit dominus in ſanctis milibus ſuis, ut faciat iudicium aduerſus omneis, & redarguat omneis ex eis qui ſunt impij, de factis omnibus, quæ impie patrarunt, deq; omnibus duris quæ locuti ſunt aduerſus eum peccatores impij: Hi ſunt murmuratores, queruli, iuxta concupiſcentias ſuas ambulantes, & os illorũ loquitur tumida, admirantes perſonas, utilitatis gratia. Vos aũt dilecti, memores eſtis uerborũ, quæ antehac dicta fuerunt ab apoſtolis domini noſtri Ieſu Chriſti, quod dixerũt uobis in extremo tempore futuros 1. Tim. 4 *illuſores, qui iuxta ſuas impias cupiditates ambularent. Hi ſunt, qui ſegregant animales, ſpiritum non habentes. Vos autem dilecti, ſanctiſſimæ ueſtræ fidei ſuperſtruentes uoſipſos, per ſpiritum ſanctum orantes, uos inuicem in charitate dei ſeruate, expectantes miſericordiã domini noſtri Ieſu Chriſti in uitam æternam. Et hos quidem commiſeremini, dum dijudi-*

camini

eamini:illos autem per timorem ſaluos facite,ex in/cendio rapientes,odio proſequentes & eam quæ ex carne eſt maculatam tunicam. Ei uero qui poteſt il/los ſeruare à peccato immunes, & ſtatuere in con/ſpectu gloriæ ſuæ, incontaminatos cum exultatione: ſoli ſapienti deo ſeruatori noſtro, gloria & magnifi/centia & imperium & poteſtas, nunc & in omnia ſecula. Amen

FINIS

APOCALYPSIS

BEATI IOANNIS THEOLOGI.

Euelatio Ieſu Chriſti, quã de/dit illi deus, ut palàm facceret ſeruis ſuis,quæ oporteat fieri cito:& ſignificauit, cũ miſiſ/ſet mandatũ p angelũ ſuũ ſer/uo ſuo Ioanni,qui teſtificatus eſt ſermonẽ dei,et teſtimoniũ Ieſu Chriſti & quæcunq; uidit. Beatus qui legit & audit uerba prophetiæ,& ſeruat ea quæ in ea ſcrip/ta ſunt. Tempus enim propè eſt. Ioannes ſeptem ec/cleſijs quæ ſunt in Aſia. Gratia uobis & pax ab eo qui eſt,& qui erat,& qui uenturus eſt:& à ſeptem ſpiritibus, qui in conſpectu throni eius ſunt, & à Ie/

ſu Chriſto,qui eſt teſtis fidelis primogenitus mortuorum,& princeps regum terræ:ei qui dilexit nos,& lauit nos à peccatis noſtris per ſanguinem ipſius,& fecit nos reges & ſacerdotes deo & patri ſuo: ipſi
Eſa.3 gloria & imperium in ſecula ſeculorum. Amen. Ecce uenit cũ nubibus,& uidebit eum omnis oculus,et qui eũ cõpunxerunt. Et plangent ſe ſuper eũ omnes tribus terræ,etiã, Amen. Ego ſum alpha & Ω,principium & finis, dicit dominus:qui eſt, & qui erat, & qui uenturus eſt omnipotens. Ego Ioannes frater ueſter & particeps in afflictione,& regno,& patientia in Chriſto Ieſu, fui in inſula, quæ appellatur Patmos,propter ſermonem dei & teſtimonium Ieſu Chriſti. Fui in ſpiritu in dominico die,& audiui poſt me uocem magnã tanquàm tubæ,dicentis: Ego ſum alpha & Ω,primus & nouiſſimus. Quod uides ſcribe in libro:& mitte ſeptẽ eccleſijs, quæ ſunt in Aſia, Epheſo,& Smyrnæ, & Pergamo,& Thyatiræ, & Sardis,& Philadelphiæ, & Laodiciæ. Et conuerſus ſum,ut uiderẽ uocem quæ loquebatur mecũ. Et conuerſus,uidi ſeptẽ candelabra aurea:et in medio ſeptẽ candelabrorũ aureorũ ſimilem filio hominis,ueſtitũ ueſte ad pedes uſq; demiſſa,& præcinctũ ad mammillas zona aurea. Caput autẽ eius & capilli erant candidi, uelut lana alba, & tanquam nix. Et oculi eius tanquàm flamma ignis & pedes eius ſimiles chalcolibano

libano, uelut in camino ardentes, & uox illius tanquam uox aquarum multarum: & habebat in dextera ſua ſtellas ſeptẽ. Et de ore eius gladius utraq; parte acutus exibat. Et facies eius ſicut ſol lucet in uirtute ſua. Et cum uidiſſem eum, cecidi ad pedes eius tanquàm mortuus. Et poſuit dexteram ſuam ſuper me, dicens mihi: Noli timere, ego ſum primus & nouiſſimus, & uiuus: & fui mortuus, & ecce ſum uiuẽs in ſecula ſeculorũ: amẽ & habeo claues inferorum, & mortis. Scribe quæ uidiſti, & quæ ſunt, & quæ oportet fieri poſt hæc. Sacramentum ſeptem ſtellarum, quas uidiſti in dextera mea, & ſeptem candelabra aurea. Septem ſtellæ, angeli ſunt ſeptem eccleſiarum: & candelabra ſeptem quæ uidiſti, ſeptem eccleſiæ ſunt.

CAP. II

ANgelo Epheſinæ eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit, qui tenet ſeptem ſtellas in dextera ſua: qui ambulat in medio ſeptem candelabrorũ aureorum: Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quod non potes ſuſtinere malos: & tentaſti eos, qui ſe dicunt apoſtolos eſſe, & non ſunt: & inueniſti eos mendaces, & tuliſti. Et patientiã habes, & propter nomen meum laboraſti, & non defeciſti. Sed habeo aduerſum te, quod charitatem tuam primam reliqui ſti. Memor eſto itaq; unde excideris, & age pœnitentiam, & prima opera fac. Sin minus, ueniã tibi cito,

& mouebo candelabrum tuum de loco ſuo, niſi reſi-
pueris. Sed hoc habes, quia odiſti facta Nicolaitarũ,
quæ & ego odi. Qui habet aurem, audiat, quid ſpiri
tus dicat eccleſijs. Vincenti dabo edere de ligno ui-
tæ, quod eſt in medio paradiſi dei. Et angelo Smyr-
næorum eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit primus & nouiſ-
ſimus, qui fuit mortuus & uiuit: Scio opera tua &
afflictionem & paupertatẽ, ſed diues es: & blaſphe-
miam eorum qui ſe dicunt Iudæos eſſe & non ſunt,
ſed ſunt ſynagoga ſatanæ. Nihil horũ timeas quæ paſ
ſurus es. Ecce miſſurus eſt diabolus aliquos ex uobis
in carcerem ut tentemini, et habebitis afflictionẽ die
rum decem. Eſto fidelis uſq; ad mortem, & dabo tibi
coronam uitæ. Qui habet aurem audiat, quid ſpiri-
tus dicat eccleſijs: Qui uicerit, non lædetur à morte
ſecunda. Et angelo Pergamẽſis eccleſiæ ſcribe: Hæc
dicit, qui habet romphæam utraq; parte acutã. Scio
opera tua, & ubi habitas, ubi ſedes eſt ſatanæ, & te-
nes nomen meum, & non negaſti fidem meam. Et in
diebus meis Antipas teſtis meus fidelis, qui occiſus eſt
apud uos, ubi ſatanas habitat. Sed habeo aduerſus te
pauca: quia habes iſtic tenentes doctrinam Balaam,
qui docebat in Balac mittere ſcandalum coram filijs
Iſraël, edere ex his quæ ſimulacris immolantur, &
ſcortari: Ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolai
tarum, quod odi. Reſipiſce, alioqui ueniam tibi cito,

&

& pugnabo cum illis gladio oris mei. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs: Vincenti dabo edere ex manna abſcondito, & dabo illi calculũ candidum, & in calculo nomen nouũ ſcriptũ, quod nemo ſcit, niſi qui accipit. Et angelo Thyatirenſis ecclesiæ ſcribe: Hæc dicit filius dei, q̃ habet oculos tanquam flammam ignis, & pedes eius ſimiles chalcolibano. Noui opera tua, & charitatem, & miniſteriũ, & fidem, & patientiam tuam, & opera tua, & nouiſſima plura prioribus. Sed habeo aduerſus te pauca: quia permittis mulierem Hiezabel, quæ ſe dicit prophetam, docere & ſeducere ſeruos meos, ſcortari, & edere ex his quæ ſimulacris immolantur. Et dedi illi tempus, ut reſipiſceret à ſcortatione ſua, nec reſipuit. Ecce ego mitto eam in lectum, & qui adulterio miſcentur cum ea, in afflictionem maximam, niſi pœnitentiã egerint ab operibus ſuis: & filios eius interficiã morte: & ſcient omnes eccleſiæ, quod ego ſim ille ſcrutans renes & corda: & dabo unicuique ueſtrum ſecundum opera ſua. Vobis autem dico, & cæteris qui Thyatiræ eſtis: quicunq; non habent doctrinam hanc, & qui non cognouerunt profunditates ſatanæ, quemadmodum dicunt: non mittam ſuper uos aliud pondus: tamen id quod habetis, tenete donec ueniam. Et qui uicerit & cuſtodierit uſq; in finem opera mea, dabo illi poteſtatem ſuper gentes,

& reget eas uirga ferrea, & tanquàm uasa figuli confringentur. Sicut & ego accepi à patre meo, & dabo illi ſtellam matutinam. Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs.

CAPVT III

ET angelo eccleſiæ, quæ eſt Sardis ſcribe: Hæc dicit qui habet ſeptem ſpiritus dei, & ſeptem ſtellas. Scio opera tua: quia nomẽ habes, quod uiuas, & mortuus es. Eſto uigilans, & confirma cætera quæ moritura erant. Non enim inueni opera tua plena coram deo. In mente ergo habe, qualiter acceperis & audieris, & ſerua, & reſipiſce. Si ergo non uigilaueris, ueniam ad te tanquàm fur: & neſcis qua hora ueniam ad te. Habes pauca nomina & Sardis, qui non inquinauerunt ueſtimenta ſua: & ambulabunt mecum in albis, quia digni ſunt. Qui uicerit, ſic ueſtietur ueſtimentis albis: & nõ delebo nomen eius de libro uitæ, & confitebor nomen eius coram patre meo, & coram angelis eius. Qui habet aurẽ audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs. Et angelo Philadelphienſis eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit ſanctus & uerax,
Eſaiæ 22 qui habet clauẽ Dauid: qui aperit, & nemo claudit: claudit, et nemo aperit. Scio opera tua. Ecce dedi coram te oſtiũ apertum, et nemo poteſt claudere illud, qa modicam habes uirtutẽ. Et ſeruaſti ſermonẽ meũ, & non negaſti nomen meum. Ecce do de ſynagoga

ſatanæ

ſatanæ,qui dicunt ſe Iudæos eſſe,& nõ ſunt,ſed mentiuntur:Ecce adigam illos,ut ueniant,& adorent ante pedes tuos:& ſciant quod ego dilexi te, quoniam ſeruaſti ſermonem patientiæ meæ, & ego ſeruabo te ab hora tentationis , quæ uentura eſt in orbem uniuerſum,ut tentet habitantes in terra. Ecce uenio cito. Tene quod habes, ut nemo accipiat coronã tuã. Qui uicerit , faciam illum columnam in templo dei mei,& foras non egredietur amplius. Et ſcribam ſuper eum nomen dei mei, & nomen ciuitatis dei mei nouæ Hieruſalem,quæ deſcendit de cœlo à deo meo, & nomen meum nouum . Qui habet aurem audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs . Et angelo Laodicenſiũ eccleſiæ ſcribe: Hæc dicit Amen teſtis fidelis & uerus,principium creaturæ dei . Scio opera tua , quia neque frigidus es,neque feruidus:utinam frigidus eſſes,aut feruidus.Itaq; quoniam tepidus es, & nec frigidus,nec feruidus,incipiam te euomere ex ore meo: quia dicis,diues ſum,& ditatus ſum,et nullius egeo, & neſcis quod tu es miſer & miſerabilis, & pauper,& cæcus,ac nudus. Suadeo tibi emere à me aurum ignitum ex igni,ut locuples fias: & ueſtimentis albis induaris , ut non appareat dedecus nuditatis tuæ:& collyrio inunge oculos tuos, ut uideas . Ego quoſcunque amo,arguo & caſtigo . Aemulare ergo ac reſipiſce . Ecce ſto ad oſtium & pulſo.Si quis audierit

dierit uocem meam, & aperuerim ianuam, intrabo ad illum, & cœnabo cum illo, & ipſe mecum: Qui uicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo ſicut & ego uici, & conſedi cum patre meo in throno eius. Qui habet aurẽ, audiat, quid ſpiritus dicat eccleſijs.

CAPVT IIII

Poſt hæc uidi, & ecce oſtium apertum in cœlo, & uox prima quam audiui, tanquàm tubæ loquentis mecum, dicens: Aſcende huc, & oſtendam tibi quæ oportet fieri poſt hæc. Et ſtatim fui in ſpiritu. Et ecce ſedes poſita erat in cœlo, & ſupra ſedem ſedens. Et qui ſedebat, ſimilis erat aſpectu, lapidi Iaſpidi & Sardio: & iris erat in circuitu ſedis ſimilis aſpectu Smaragdino. Et in circuitu ſedis ſedilia uiginti quatuor, & ſuper thronos uigintiquatuor ſeniores ſedentes, circũamicti ſtolis albis, et habebant in capitibus ſuis coronas aureas. Et de throno procedebant fulgura, & tonitrua, & uoces, & ſeptem lampades ignis ardentes ante thronum, quæ ſunt ſeptem ſpiritus dei. Et in conſpectu ſedis tanquàm mare uitreum ſimile cryſtallo, & in medio ſedis, & in circuitu ſedis quatuor animalia, plena oculis ante & retro. Et animal primum ſimile leoni, & ſecundum animal ſimile uitulo, & tertium animal habens faciem uelut homo, & quartum animal ſimile aquilæ uolanti. Et

quatuor

quatuor animalia ſingula eorum habebant alas ſenas in circuitu, & intus plena erant oculis. Et requiem nõ habent die ac nocte, dicentia, Sanctus, ſanctus, ſanctus dominus deus omnipotens, qui erat, & qui eſt, & qui uenturus eſt. Et cum darent illa animalia gloriam, & honorem, & benedictionem ſedenti ſuper thronum, uiuenti in ſecula ſeculorum, procidunt uiginti quatuor ſeniores ante ſedentem in throno, & adorant uiuentem in ſecula ſeculorum: & abijciunt coronas ſuas ante thronum, dicentes: Dignus es domine accipere gloriam, & honorem, & uirtutem: quia tu creaſti omnia, & propter uoluntatem tuam ſunt, & creata ſunt.

CAPVT V

ET uidi in dextra ſedentis ſuper thronũ librũ ſcriptum intus & in tergo, ſignatũ ſigillis ſeptem. Et uidi angelũ fortem, prædicantem uoce magna: Quis eſt dignus aperire libram, & ſoluere ſignacula eius? Et nemo poterat, neq; in cœlo, neque in terra, neq; ſubter terram aperire librum, neq; aſpicere illum. Et ego flebam multũ, quod nemo dignus inuentus eſſet aperire & legere librum, nec uidere eum. Et unus de ſenioribus dicit mihi: Ne fleueris. Ecce uicit leo de tribu Iuda, radix Dauid, ut aperiat librum, & ſoluat ſeptem ſignacula eius. Et uidi, & ecce in medio throni & quatuor animalium

lium & in medio ſeniorum agnus ſtans tanquàm occiſus habens cornua ſeptem, & oculos ſeptem: qui ſunt ſeptem ſpiritus dei, miſſi in omnem terram. Et uenit, & accepit de dextera ſedentis in throno librum. Et cum accepiſſet librum, quatuor animalia et uigintiquatuor ſeniores ceciderunt coram agno, habentes ſinguli citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt precationes ſanctorum, & cantant canticum nouum, dicentes: Dignus es accipere librum, & aperire ſignacula eius: quoniam occiſus es, & redemiſti nos deo per ſanguinem tuũ ex omni tribu, & lingua, & populo, & natione: et feciſti nos deo noſtro reges, et ſacerdotes, et regnabimus ſuper terram. Et uidi & audiui uocem angelorum multorum in circuitu throni & animalium, & ſeniorum, & milia miliũ, dicentia uoce magna: Dignus eſt agnus qui occiſus eſt, accipere uirtutem, & diuitias, & ſapientiam, & fortitudinẽ, & honorem, & gloriam, & benedictionem. Et omnem creaturam quæ in cœlo eſt, & quæ ſuper terram, & quæ ſub terra, & in mari, & quæ in eis ſunt, omnia: audiui dicentes: ſedenti in throno & agno benedictio, & honor, & gloria, & poteſtas in ſecula ſeculorum. Et quatuor animalia dicebant: Amen. Et uigintiquatuor ſeniores ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt uiuentem in ſecula ſeculorum.

Caput

CAPVT VI

ET uidi, cum aperuisset agnus unũ de sigillis, & audiui unũ de quatuor animalibus, dicens tanquã uocem tonitrui: Veni & uide, & uidi. Et ecce equus albus, et qui sedebat super eum, habebat arcum, & data est ei corona, & exiuit uincens, & ut uinceret. Et cum aperuisset sigillum secundum, audiui secundum animal, dicens: Veni & uide. Et exiuit alius equus rufus: & qui sedebat super illum, datum est ei, ut tolleret pacem de terra, & ut inuicem se interficiant, & datus est ei gladius magnus. Et cũ aperuisset sigillum tertium, audiui tertiũ animal, dicens: Veni & uide, & uidi. Et ecce equus niger: & qui sedebat super illum, habebat stateram in manu sua, & audiui uocem in medio quatuor animaliũ, dicentem: Chœnix tritici denario uno, et tres chœnices hordei denario uno, & uinum & oleum ne læseris. Et cum aperuisset sigillum quartũ, audiui uocem quarti animalis, dicentem: Veni & uide, & uidi. Et ecce equus pallidus, & qui sedebat super eum, nomen illi mors, & infernus sequitur eũ: & data est illis potestas interficiendi super quartam partem terræ, gladio, & fame, & morte, et à bestijs terræ. Et cũ aperuisset sigillum quintum, uidi subter altare animas interfectorum propter uerbũ dei, et propter testimoniũ quod habebant. Et clamabant uoce magna, dicentes: Vsq;

quò

quò domine, qui es ſanctus & uerax, non iudicas ac uindicas ſanguinem noſtrum de his, qui habitant in terra? Et datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictũ eſt illis, ut requieſcerent adhuc tempus modicum, donec complerentur conſerui eorũ, & fratres eorum, qui interficiendi eſſent, ſicut & illi. Et uidi, cum aperuiſſet ſigillum ſextum, & ecce terræmotus magnus factus eſt. Et ſol factus eſt niger tanquam ſaccus cilicinus: & luna tota facta eſt ſicut ſanguis: & ſtellæ de cœlo ceciderũt ſuper terram, ſicut ficus abijcit groſſos ſuos, cum à uento magno mouetur. Et cœlum receßit ſicut liber qui circunuoluitur: & omnis mons & inſulæ de locis ſuis motæ ſunt: & reges terræ, & principes, & diuites, & tribuni, & fortes, & omnis ſeruus, & liber abſconderunt ſe in ſpeluncis, & in petris montium. Et dicunt montibus & petris: Cadite ſuper nos, & abſcondite nos à facie ſedentis ſuper thronum, & ab ira agni: quoniam uenit dies magnus iræ illius, & quis poterit ſtare?

CAPVT VII

Poſt hæc uidi quatuor angelos ſtantes ſuper quatuor angulos terræ, tenentes quatuor uentos terræ, ne flaret uentus ſuper terram, neq; ſuper mare, neq; in ullam arborem. Et uidi alterum angelum aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſigillũ dei uiui: & clamauit uoce magna quatuor angelis, quibus

bus datum est nocere terræ & mari, dicens: Nolite nocere terræ, neq; mari, neq; arboribus, quoadusq; signemus seruos dei nostri in frontibus suis. Et audiui numerum signatorum, centum quadragintaquatuor milia signati ex omni tribu filiorum Israël. Ex tribu Iuda, duodecim milia signati. Ex tribu Ruben, duodecim milia signati: Ex tribu Gad, duodecim milia signati. Ex tribu Aser, duodecim milia signati. Ex tribu Neptalim, duodecim milia signati. Ex tribu Manasse, duodecim milia signati. Ex tribu Symeon, duodecim milia signati. Ex tribu Leui, duodecim milia signati. Ex tribu Isachar, duodecim milia signati. Ex tribu Zabulon, duodecim milia signati. Ex tribu Ioseph, duodecim milia signati, Ex tribu Beniamin, duodecim milia signati. Post hæc uidi, et ecce turba multa, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus, & tribubus, & populis, & linguis, stantes ante thronum, & in conspectu agni, amicti stolis albis & palmæ in manibus eorum, & clamabant uoce magna, dicentes: Salus ei qui sedet super thronum dei nostri, & agno. Et omnes angeli stabant in circuitu throni & seniorum, & quatuor animalium: & procubuerunt in conspectu throni in facies suas: & adorauerunt deum, dicentes: Amen. Benedictio, & claritas, & sapientia, & gratiarũ actio, honor & uirtus et fortitudo deo nostro in secula seculorum

ſeculorum, Amen. Et reſpondit unus de ſenioribus, & dixit mihi: Hi qui amicti ſunt ſtolis albis, qui ſunt, & unde uenerunt? Et dixi illi: Domine, tu ſcis. Et dixit mihi: Hi ſunt qui uenerunt ex afflictione magna, & dilatauerunt ſtolas ſuas, & dealbauerunt eas per ſanguinem agni. Ideo ſunt ante thronum dei, & ſeruiunt ei die ac nocte in templo eius: & qui ſedet in throno habitabit ſuper illos. Non eſurient, neq; ſitient amplius, nec cadet ſuper illos ſol, neque ullus æſtus: quoniam agnus qui in medio throni eſt, reget illos, & deducet eos ad uiuos fontes aquarum: & abſterſurus eſt deus omnẽ lachrymam ab oculis eorũ.

Eſaiæ 25

CAPVT VIII

ET cum aperuiſſet ſigillum ſeptimum, factum eſt ſilentium in cœlo media fermè hora. Et uidi angelos ſtantes in conſpectu dei, & datæ ſunt illis ſeptem tubæ. Et alius angelus uenit, & ſtetit ante altare, habens thuribulum aureum, et data ſunt illi incenſa multa, ut daret de precationibus ſanctorũ omnium ſuper altare aureum, quod eſt ante thronum. Et aſcendit fumus incenſorũ de precibus ſanctorum è manu angeli coram deo. Et accepit angelus thuribulum, & impleuit illud de igne altaris, & miſit in terram: & facta ſunt tonitrua & uoces & fulgura, & terræmotus: & ſeptem angeli, qui habebant ſeptem tubas, præparauerunt ſe, ut tuba canerent. Et

primus

primus angelus tuba cecinit & facta est grando,& ignis mixta sanguine,& missa sunt in terrã: & tertia pars arborum concremata est, & omne fœnum uiride combustum est. Et secundus angelus tuba cecinit, & tanquam mons magnus igne ardens proiectus est in mare. Et facta est tertia pars maris sanguis, & mortua est tertia pars creaturarum, quæ erant in mari, quæ habebant animas:& tertia pars nauium interijt. Et tertius angelus tuba cecinit, & cecidit è cœlo stella magna ardens tãquam facula, & cecidit in tertiam partem fluminum & in fontes aquarum, & nomen stellæ dicitur absinthium. Et uersa est tertia pars in absinthium, & multi homines mortui sunt ex aquis:quia amaræ factæ sunt. Et quartus angelus tuba cecinit:& percussa est tertia pars solis,& tertia pars lunæ,& tertia pars stellarum:ita ut obscuraretur tertia pars eorum, & diei non luceret pars tertia,& noctis similiter. Et uidi, & audiui unum angelum uolantem per mediũ cœli,dicentem uoce magna:Væ,uæ habitantibus in terra:é cæteris uocibus tubæ trium angelorũ,qui erãt tuba canturi.

CAP. IX

ET quintus angelus tuba cecinit,& uidi stellam de cœlo cecidisse in terram, & data est ei clauis putei abyssi. Et aperuit puteum abyssi, & ascẽdit fumus putei,sicut fumus fornacis magnæ:&

obſcuratus eſt ſol & aër à fumo putei. Et de fumo exierunt locuſtæ in terram, & data eſt illis poteſtas, ſicut habẽt poteſtatẽ ſcorpiones terræ. Et præceptũ eſt illis, ne læderent fœnum terræ, neq; omne uiride, neq; omnẽ arborem: niſi tantũ homines, qui nõ habẽt ſignũ dei in frõtib. ſuis. Et datũ eſt illis, ne occiderent eos, ſed ut cruciarẽtur menſibus quinq;. Et cruciatus eorũ, ut cruciatus ſcorpij, cũ percuſſerit hominẽ. Et in diebus illis quærent homines mortem, & nõ inuenient eam, & deſiderabunt mori, & fugiet mors ab eis. Et ſimilitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prœliũ, & ſuper capita earum tanquã coronæ, ſimiles auro, & facies earũ tanquã facies hominũ. Et habebant capillos ſicut capillos mulierũ, & dentes earũ quaſi leonũ erant. Et habebant loricas ſicut loricas ferreas: & uox alarum earum ſicut uox curruũ equis multis currentibus ad bellũ. Et habent caudas ſimiles ſcorpionũ, & aculei erant in caudis earũ: & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinq;. Et habent ſuper ſe regem angelũ abyſſi, cui nomen Hebraice abaddon, Græce autem ἀπολλύων, id eſt, perdẽs, Væ unum abijt, & ecce ueniunt adhuc duo uæ poſt hæc. Et ſextus angelus tuba cecinit, & audiui uocem unã ex quatuor cornibus altaris aurei, quod eſt ante oculos dei, dicentem ſexto angelo, qui habebat tubam: Solue qua-

ue quatuor angelos, qui alligati ſunt in flumine ma gno Euphrate. Et ſoluti ſunt quatuor angeli, qui pa rati erant in horam & diem, & menſem, & annũ, ut occiderent tertiam partem hominum. Et nume rus equeſtris exercitus, uicies millies decem milia. Et audiui numerum eorum. Et ita uidi equos in ui ſione: & qui ſedebant ſuper eos, habebant thoraces igneas & hyacinthinas, & ſulphureas. Et capita equorum erant tanquam capita leonum, & de ore ipſorũ procedebat ignis & fumus, & ſulphur. Ab his tribus plagis occiſa eſt tertia pars hominum, de igne & de fumo, & ſulphure, quæ procedebant ex ore ipſorum. Poteſtas enim eorum in ore eorum eſt, & in caudis eorum. Nam caudæ eorum ſimiles ſer pentibus, habentes capita, & per hæc nocent. Et cæ teri homines, qui non ſunt occiſi his plagis, neq; re ſipuerunt ab operibus manuum ſuarum, ut non ado rarent dæmonia, & ſimulacra aurea & argentea, & ærea, & lapidea, et lignea, quæ neq; uidere poſ ſunt, neq; audire, neq; ambulare: & non egerũt pœ nitentiam ab homicidijs ſuis, neq; à ueneficijs ſuis, neq; à fornicatione ſua, neq; à furtis ſuis.

CAP. X

ET uidi alium angelum fortem deſcendentem de cœlo, amictum nube, et iris in capite eius. & facies eius erat ut ſol, & pedes eius tanquam

columnæ ignis:& habebat in manu ſua libellũ aper tum:& poſuit pedem ſuum dextrum ſuper mare, ſi niſtrum autem ſuper terram. Et clamauit uoce ma gna,quemadmodum cum leo rugit. Et cum clamaſ ſet,locuta ſunt ſeptem tonitrua uoces ſuas.Et cũ lo cuta fuiſſent ſeptẽ tonitrua uoces ſuas, ego ſcriptu rus eram. Et audiui uocem de cœlo dicentem mihi: Obſigna quæ locuta ſunt ſeptem tonitrua, & ne ea ſcribas. Et angelum quem uidi ſtantem ſuper mare & ſuper terram , leuauit manum ſuam ad cœlum, & iurauit per uiuentẽ in ſecula ſeculorũ,qui creaſ uit cœlum, & ea quæ in illo ſunt, & terram, & ea quæ in ea ſunt,& mare, & ea quæ in eo ſunt:tẽpus nõ fore amplius, ſed in diebus uocis ſeptimi angeli, cum cœperit tuba canere, conſummandum eſſe my ſterium dei,ſicut euãgelizauit per ſeruos ſuos pro phetas.Et audiui uocem de cœlo iterum loquentem mecum,& dicẽtem:Vade,& accipe libellum aperſ tum in manu angeli , ſtantis ſuper mare, & ſuper terram.Et abij ad angelum,dicens ei, ut daret mihi libellum.Et dixit mihi:Accipe libellum, & deuora illum,& facict amaricari uentrem tuum,ſed in ore tuo erit dulcis tanquam mel . Et accepi libellum de manu angeli,& deuoraui illum,& erat in ore meo tanquam mel dulcis. Et cum deuoraſſem eum,amaſ ricatus eſt uenter meus , Et dicit mihi: Oportet te

iterum

iterum prophetare in gentibus, & linguis, & populis, & regibus multis. CAP. XI

ET datus est mihi calamus similis uirgæ, & dictum est mihi: Surge, & metire templum dei & altare, & adorantes in eo. Et atrium quod intra templum est, eijce foras, & ne metiaris illud, quoniam datum est gentibus, & ciuitatem sanctam calcabunt mensibus quadraginta duobus: & dabo duobus testibus meis, & prophetabunt diebus mille ducentis sexaginta amicti saccis. Hi sunt duæ oliuæ & duo candelabra in conspectu dei terræ stantia. Et si quis uoluerit eis nocere, ignis exit de ore eorum, & deuorat inimicos eorum. Et si quis uoluerit eos lædere, sic oportet eum occidi. Hi habent potestatem claudendi cœlum, ne pluat diebus prophetiæ ipsorum: & potestatem habent super aquas conuertendi eas in sanguinem, & percutiendi terram omni plaga, quotiescunque uoluerint. Et cum finierint testimonium suum, bestia quæ ascendit de abysso, faciet aduersus eos bellum: & uincet illos, & occidet eos. Et corpora eorum iacebunt in plateis ciuitatis magnæ, quæ uocatur spiritualiter Sodoma, & Aegyptus, ubi et dominus noster crucifixus est. Et uidebunt de tribubus, & populis, & linguis, & gentibus corpora eorũ per tres dies & dimidium, & corpora eorum non sinent poni in monumentis. Dan. 7

Et inhabitantes terram, gaudebũt ſuper illis & lætabuntur, & munera mittent inuicem: quoniam hi duo prophetæ cruciauerunt eos qui habitant ſuper terram. Et poſt dies tres & dimidiũ, ſpiritus uitæ à deo intrauit in eos. Et ſteterunt ſuper pedes ſuos, et timor magnus cecidit ſuper eos qui uiderũt eos. Et audierũt uocem magnam de cœlo, dicentẽ ipſis: Aſcendite huc. Et aſcenderunt in cœlum in nube, & uiderũt illos inimici eorum. Et in illa hora factus eſt terræmotus magnus, & decima pars ciuitatis cecidit: & occiſa ſunt in terræmotu nomina hominum ſeptem milia: & reliqui territi ſunt, & dederunt gloriam deo cœli. Væ ſecundum abijt, & ecce uæ tertium ueniet cito. Et ſeptimus angelus tuba cecinit, & factæ ſunt uoces magnæ in cœlo dicentes: Facta ſunt regna huius mũdi domini noſtri & Chriſti eius, & regnabit in ſecula ſeculorum, Amen. Et uigintiquatuor ſeniores, qui in conſpectu dei ſedẽt in ſedibus ſuis, ceciderunt in facies ſuas, & adorauerunt deum, dicentes: Gratias agimus tibi domine deus omnipotens, qui es, & qui eras, & qui uenturus es: quia accepiſti uirtutem tuam magnã, & regnaſti. Et iratæ ſunt gentes, & aduenit ira tua, & tempus mortuorum ut iudicẽtur: & reddas mercedem ſeruis tuis prophetis & ſanctis, & timẽtibus nomẽ tuum puſillis, & magnis: & perdas eos qui perdũt

terram

terram. Et apertum est templum dei in cœlo, & uisa est arca testamenti eius in templo eius: & facta sunt fulgura, & uoces, & tonitrua, & terræmotus, & grando magna.

CAP. XII

ET signũ magnũ apparuit in cœlo. Mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarũ duodecim. Et in utero habẽs, clamat parturiẽs, & cruciatur ut pariat. Et uisum est aliud signũ in cœlo, & ecce draco magnus rufus, habẽs capita septẽ, & cornua decẽ: & in capitib. suis diademata septẽ: & cauda eius trahit tertiã partẽ stellarũ cœli, & misit eas in terrã: & draco stetit ante mulierẽ, quæ erat paritura: ut cũ peperisset filiũ eius, deuoraret. Et peperit filiũ masculũ, q̃ recturus erat oẽs gẽtes uirga ferrea: et raptus est filius eius ad deũ, et ad thronũ eius. Et mulier fugit in solitudinẽ, ubi habebat locũ paratũ à deo, ut ibi pascãt eã diebus mille ducẽtis sexaginta. Et factum est præliũ magnũ in cœlo. Michaël & angeli eius præliabãtur cũ dracone: & draco pugnabat & angeli eius, & nõ ualuerũt, neq; locus inuẽtus est eorũ amplius in cœlo. Et proiectus est draco ille magnus, serpẽs antiquus, q̃ uocatur diabolus & satanas, q̃ seducit totũ terrarũ orbẽ: & proiectus est in terrã, et angeli eius cũ illo, iecti sunt. Et audiui uocẽ magnã dicentẽ: In cœlo nũc facta est salus & uir

tus,& regnum dei nostri,& potestas Christi eius: quia proiectus est accusator fratrum nostrorũ, qui accusabat illos ante cõspectum dei nostri die ac nocte: & ipsi uicerunt eum propter sanguinem agni, & propter sermonem testimonij sui,& non dilexerunt animam suam usq; ad mortem. Propterea lætamini cœli,& qui habitatis in eis. Væ habitatoribus terræ & maris, quia descendit diabolus ad uos habens iram magnam, sciens quod modicũ tempus habet. Et postquàm uidit draco, quod proiectus esset in terram, persecutus est mulierem, quæ peperit masculum. Et datæ sunt mulieri alæ duæ aquilæ magnæ,ut uolaret in desertum, in locum suum ubi alitur per tempus & tempora & dimidium temporis à facie serpentis. Et eiecit serpẽs ex ore suo post mulierem aquam tanquam flumen, ut eam faceret rapi à flumine. Et adiuuit terra mulierem, & aperuit terra os suum, & absorbuit flumen quod eiecerat draco ex ore suo. Et iratus est draco aduersus mulierem:& abijt ut faceret prælium cum reliquis de semine eius,qui custodiunt mandata dei, & habent testimonium Iesu Christi. Et stetit super arenam maris.

CAP. XIII

ET uidi de mari bestiam ascendentem, habentem capita septem & cornua decem, & super cornua eius decem diademata,& super capita

eius

eius nomen blasphemiæ. Et bestia quam uidi similis erat pardo, & pedes eius sicut pedes ursi, & os eius sicut os leonis. Et dedit illi draco uirtutẽ suam, & sedem suam, et potestatem magnã. Et uidi unum de capitibus eius quasi occisum in mortem, & plaga mortis eius curata est. Et admiratio fuit in uniuersa terra post bestiam. Et adorauerũt draconem, qui dedit potestatem bestiæ: & adorauerunt bestiam, dicentes: Quis similis bestiæ, & quis poterit pugnare cum ea? Et datũ est ei os loquens magna & blasphemias, & data est ei potestas faciendi menses quadraginta duos. Et aperuit os suum in conuicia ad deum, ut conuicijs afficeret nomen eius, & tabernaculum eius, & eos qui in cœlo habitant. Et est datum illi bellum facere cum sanctis, et uincere eos. Et data est illi potestas in omnem tribum & populum, & linguã, et gentem, & adorabũt eam omnes qui inhabitant terram: quorum non sunt scripta nomina in libro uitæ agni, qui occisus est ab origine mundi. Si quis habet aurem, audiat. Qui in captiuitatem ducit, in captiuitatem ũadit: qui gladio occiderit, oportet eum gladio occidi. Hic est patientia & fides sanctorum. Et uidi aliam bestiam ascẽdentem de terra, & habebat cornua duo similia agni, & loquebatur sicut draco. Et potestatẽ prioris bestiæ omnem facit in conspectu eius, & facit terram,

& inhabitantes in ea adorare bestiam primam, cuius curata est plaga mortis. Et facit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere in terram in conspectu hominum. Et seducit habitantes in terra propter signa quæ data sunt illi, ut faceret in conspectu bestiæ, dicens habitantibus in terra, ut faciãt imaginem bestiæ, quæ habet plagam gladij, & uixit. Et datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ, & ut loquatur imago bestiæ, & faciet ut quicunq; non adoraucrint imaginẽ bestiæ, occidantur. Et facit oẽs pusillos, & magnos, & diuites, & pauperes, & liberos, & seruos accipere characterem in manu sua dextera, aut in frõtibus suis. Et ne quis posset emere aut uendere, nisi qui habeat characterem, aut nomen bestiæ, aut numerum nominis eius. Hic sapientia est. Qui habet intellectum, computet numerum bestiæ. Numerus enim hominis est, & numerus eius sexcenti sexaginta sex.

CAP. XIIII

ET uidi, & ecce agnus stãs super montẽ Sion, & cum eo centum quadraginta quatuor milia habentia nomen patris eius scriptũ in frontibus suis. Et audiui uocem de cœlo, tanquã uocem aquarum multarum, & tanquã uocem tonitrui magni: & uocem audiui citharœdorum citharizantium citharis suis. Et cantant quasi canticum nouum ante

sedem

ſedem,& ante quatuor animalia,& ſeniores:& ne mo poterat diſcere canticum,niſi illa centũ quadra ginta quatuor milia,q empti ſunt de terra. Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati, uirgines enim ſunt. Hi ſequuntur agnum quocunq; ierit. Hi empti ſunt ex hominibus primitiæ deo & agno,& in ore eorum non eſt inuentus dolus. Sine macula enim ſunt ante thronum dei. Et uidi alterũ angelum uolantem per medium cœli, habentem Euangelium æternum,ut euangelizaret habitantibus ſuper ter/ ram,& omni gẽti,& tribui,& linguæ,& populo, dicentem magna uoce: Timete deũ, & date illi ho/ norem,quia uenit hora iudicij eius: & adorate eũ, qui fecit cœlum & terram,marc,& fontes aquarũ. Et alius angelus ſecutus eſt, dicens: Cecidit cecidit Babylon ciuitas illa magna,quia à uino iræ fornica/ tionis ſuæ potauit omnes gentes. Et tertius angelus ſecutus eſt illos,dicens uoce magna: Si quis adora/ uerit beſtiam & imaginem eius,& acceperit cha/ racterẽ in fronte ſua, aut in manu ſua, & hic bibet de uino iræ dei,quod mixtum eſt mero in calice iræ ipſius. Et cruciabitur igne & ſulphure in cõſpectu angelorũ ſanctorũ,& ante cõſpectũ agni. Et fumus torměti eorũ aſcendit in ſecula ſeculorũ. Nec habẽt requiẽ die ac nocte,qui adorãt beſtiam,& imaginẽ eius:& ſi quis acceperit characterem nominis eius.

Hic

Hic patientia ſanctorum eſt. Hic qui cuſtodiũt mandata & fidem Ieſu. Et audiui uocem de cœlo, dicentem mihi: Scribe: Beati mortui, qui in domino moriuntur amodo, etiam dicit ſpiritus, ut requieſcant à laboribus ſuis: ſed opera illorum ſequuntur illos. Et uidi, & ecce nubem candidam, & ſuper nubem ſedentem ſimilem filio hominis, habentem in capite ſuo coronam auream, & in manu ſua falcem acutã. Et alius angelus exiuit de templo, clamans uoce magna ad ſedentem ſuper nubem: Mitte falcem tuam & mete: quia uenit tibi hora, ut metas, quoniã aruit meßis terræ. Et miſit qui ſedebat ſuper nubem, falcem ſuam in terram, & demeßa eſt terra. Et alius angelus exiuit de templo, quod eſt in cœlo, habens & ipſe falcem acutam. Et alius angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, & clamauit uoce magna ad eum qui habebat falcem acutam, dicens: Mitte falcem tuam acutã, & uindemia botros terræ: quoniam maturæ ſunt uuæ eius. Et miſit angelus falcem ſuam acutam in terram, & uindemiauit uineam terræ: & miſit in lacũ iræ dei magnum, & calcatus eſt lacus extra ciuitatem, & exiuit ſanguis de lacu uſq; ad frenos equorum per ſtadia mille ſexcenta.

CAP. XV

ET uidi aliud ſignum in cœlo magnum & mirabile, angelos ſeptẽ, habentes plagas ſeptẽ nouiſſi-

nouiſſimas: quoniã in illis cõſummata eſt ira dei. Et uidi tanquã mare uitreũ mixtũ igni, & eos qui uictoriam reportabant de beſtia & de imagine eius, & de charactere eius, & de numero nominis eius, ſtantes ſuper mare uitreũ, habẽtes citharas dei, & cantãt canticũ Moſi ſerui dei, & cãticũ agni, dicentes: Magna & mirabilia ſunt opera tua domine deus omnipotens: iuſtæ & ueræ ſunt uiæ tuæ rex ſanctorum. Quis non timebit domine, & magnificabit Hiere.10 *nomen tuum? Quia ſolus pius es: quoniã omnes gentes uenient & adorabunt in cõſpectu tuo: quoniam iudicia tua manifeſtata ſunt. Et poſt hæc uidi, & ecce apertũ eſt templum tabernaculi teſtimonij in cœlo: & exierunt ſeptem angeli, habentes ſeptem plagas, de templo, ueſtiti lino mundo & candido, & præcincti circa pectora zonis aureis. Et unum ex quatuor animalibus dedit ſeptẽ angelis ſeptẽ phialas aureas, plenas iracundiæ dei uiuentis in ſecula ſeculorum. Et impletum eſt templum fumo à maieſtate dei, & de uirtute eius: & nemo poterat introire in templum, donec conſummarentur ſeptem plagæ ſeptem angelorum.*

CAP. XVI

ET audiui uocem magnam de templo, dicentem ſeptẽ angelis: Ite effundite ſeptem phialas iræ dei in terram. Et abijt primus angelus, & effudit phialam ſuam in terram, & factum eſt uulnus

nus malum ac noxium in homines, qui habebãt cha racterem bestiæ, & in eos qui adorabãt imaginem eius. Et secundus angelus effudit phialam suã in ma re, & factus est sanguis tanquam mortui, & omnis anima uiuens mortua est in mari. Et tertius angelus effudit phialam suam in flumina, & in fontes aqua rũ, & factæ sunt sanguis. Et audiui angelũ aquarũ dicẽtẽ: Iustus es domine, qui es, & q eras: et sanctus, quia hæc iudicasti, quia sanguinẽ sanctorũ & pro phetarũ effuderũt, & sanguinẽ eis dedisti bibere. Digni enim sunt. Et audiui alterũ è sanctuario dicẽ tẽ: Etiã domine deus omnipotẽs, uera & iusta iudi cia tua. Et quartus angelus effudit phialam suã in solẽ, et datũ est illi æstu affligere homines per ignẽ. Et æstuauerũt homines æstu magno, & blasphema uerunt nomen dei habentis potestatẽ super has pla gas: neq; egerunt scelerũ pœnitentiã, ut darent illi gloriam. Et quintus angelus effudit phialam suã sie per sedem bestiæ, & factum est regnũ eius tenebro sum, & cõmanducauerunt linguas suas præ dolore, & cõuicijs affecerunt deũ cœli præ doloribus suis, & ulceribus suis: nec resipuerunt ab operibus suis. Et sextus angelus effudit phialã suam in flumẽ illud magnũ Euphratẽ, & siccata est aqua eius, ut præ pararetur uia regum ab ortu solis. Et uidi ex ore draconis, & ex ore bestiæ, & ex ore pseudoprophe tæ exire

tæ exire ſpiritus tres immundos in modū ranarum. Sūt enim ſpiritus dæmoniorū faciētes ſigna, ut procedant ad reges totius terræ ad congregandū illos in prælīū diei illius magni dei omnipotētis. Ecce uenio ſicut fur. Beatus qui uigilat & cuſtodit ueſtimenta ſua, ne nudus ambulet, & uideant turpitudinem eius. Et congregauit illos in locū, qui uocatur Hebraice Armageddō. Et ſeptimus angelus effudit phialā ſuā in aërē. Et exiuit uox magna de cœlo à throno, dicens: Factū eſt. Et facta ſunt fulgura & uoces, & tonitrua, & terræmotus factus eſt magnus, qualis nūquā fuit, ex quo homines fuerūt ſuper terram, talis terræmotus adeo magnus. Et facta eſt ciuitas magna in tres partes, & ciuitates gentiū cecidērūt. Et Babylon magna uenit in memoriā ante deū, ut daret illi calicē uini īdignatiōis iræ ſuæ. Et oīs inſula fugit, & mōtes nō ſunt inuēti. Et grādo magna ſicut talētū deſcēdit de cœlo in homines, & blaſphemauerūt deū hoīes ꝓpter plagā grādinis, quoniā magna facta eſt plaga eius uehemēter. Cap XVII

ET uenit unus de ſeptē angelis, qui habebāt ſeptem phialas, & locutus eſt mecū, dicens mihi: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas, cum qua ſcortati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt qui inhabitāt terrā de uino proſtitutionis eius. Et abſtulit me

ſpiritus

ſpiritus in deſertum. Et uidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccinam plenam nominibus maledicentiæ, habentem capita ſeptem, & cornua decem. Et mulier erat circundata purpura & coccino, & inaurata auro & lapide precioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua, plenum abominationibus & immũdicia libidinis ſuæ. Et in fronte eius nomẽ ſcriptum myſterium: Babylon magna mater ſcortationum, & abominationum terræ. Et uidi mulierem ebriam de ſanguine ſanctorũ, & de ſanguine martyrum Ieſu: & miratus ſum cum uiderem illam, admiratione magna. Et dixit mihi angelus: Quare miraris? Ego dicam tibi myſterium mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. Beſtia quam uidiſti, fuit, & non eſt, & aſcenſura eſt de abyſſo, & in interitũ ibit, & mirabuntur inhabitantes terram, quorũ nomina ſcripta non ſunt in libro uitæ, à condito mundo, uidentes beſtiam, quæ erat, & non eſt. Hic eſt mens, quæ habet ſapientiam. Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt. Quinq; ceciderũt, unus eſt, & alius nondum uenit. Et cum uenerit, oportet illum breue tempus manere. Et beſtia quæ erat, & non eſt, & ipſe octauus eſt, & de ſeptem eſt, & in interitum uadit. Et decem cornua quæ uidiſti, decem reges ſunt, qui

regnum

regnum nondum acceperunt, ſed poteſtatẽ tanquàm reges una hora accipient cum beſtia. Hi unum conſilium habent, & uirtutem et poteſtatem ſuam beſtiæ tradent. Hi cum agno pugnabunt, & agnus uincet illos: quoniam dominus dominorũ eſt, & rex regum: & qui cum illo ſunt uocati, & electi, & fideles. Et dicit mihi: Aquæ quas uidiſti, ubi meretrix ſedet, populi ſunt & turbæ, & gentes, & linguæ. Et decem cornua quæ uidiſti in beſtia, hi odio proſequentur meretricem, & deſolatam facient illam & nudam, & carnes eius comedent, & ipſam igne concremabunt. Deus enim dedit in corda eorum, ut faciant quod placitum eſt illi, ut unam faciant uoluntatem, ut dent regnum ſuum beſtiæ, donec conſummentur uerba dei. Et mulier quam uidiſti, eſt ciuitas magna, quæ habet regnum ſuper reges terræ.

CAPVT XVIII

ET poſt hæc uidi aliũ angelũ deſcendentem de cœlo, habentem poteſtatẽ magnam, & terra illuminata eſt à gloria eius. Et exclamauit per fortitudinem uoce magna, dicẽs: Cecidit, cecidit Babylon magna, & facta eſt habitatio dæmoniorum, & cuſtodia omnis ſpiritus immundi, & cuſtodia omnis uolucris immundæ & inuiſæ: quia de uino iræ ſcortationis eius biberunt omnes gentes. Et reges terræ cum illa ſcortati ſunt, & mercatores terræ de uirtute de-

liciarum eius diuites facti sunt. Et audiui aliam uocẽ de cœlo dicentẽ: Exite de illa populus meus, ne participes sitis delictorum eius, & de plagis eius ne accipiatis. Quoniam peruenerunt peccata eius usq; ad cœlum, & recordatus est deus iniquitatum eius. Reddite illi sicut & ipsa reddidit uobis, & duplicate ei duplicia secundũ opera eius. In poculo quo miscuit, miscete illi duplum. Quantum glorificauit se & in delicijs fuit, tantum date illi tormentum & luctum, quia in corde suo dicit: Sedeo regina & uidua non sum, & luctum non uidebo. Ideo in una die uenient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, & igne combu retur: quia fortis est dominus deus, qui iudicabit illam. Et flebunt illam, & plangent se super illa reges terræ, qui cum illa scortati sunt, & in delicijs uixerunt, cum uiderint fumum incendij eius, longe stantes propter timorem tormenti eius, dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna Babylon, ciuitas illa fortis: quoniam in una hora uenit iudicium tuum. Et negociatores terræ flent et lugent super illa: quoniam merces eorum nemo emit amplius, merces auri & argenti & lapidis precioſi, neq; margaritæ, & byſſi, & purpuræ, & cocci, & omne lignum thyinum, & omne uas eburneum, & omnes uas de ligno precioſiſſimo, & ære, & ferro, & marmore, & cinamomum, & odoramentum, & unguentum, & thus, & uinum, et

oleum

oleum,& ſimilam,& triticum,& iumenta,& oues, & equorum,& rhedarum,& mancipiorum,& animas hominum. Et poma deſiderij animæ tuæ diſceſſerunt à te,& omnia pinguia & præclara perierũt à te,& amplius illa iam non inuenies. Mercatores horum qui diuites facti ſunt,ab ea longe ſtabunt propter timorem tormenti eius,flentes ac lugentes,& dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, quæ amicta erat byſſo & purpura & cocco, & deaurata erat auro & lapide precioſo & margaritis:quoniam una hora deſtitutæ ſunt tantæ diuitiæ, & omnis gubernator, & omnis in nauibus uerſantium turba & nautæ,& qui in mari operantur,longe ſteterunt:& clamauerunt,uidentes fumum incendij eius,dicentes: Quæ ſimilis ciuitati huic magnæ? Et miſerunt puluerem ſuper capita ſua, & clamauerunt flentes & lugentes,dicentes: Væ uæ ciuitas illa magna, in qua diuites facti ſunt omnes qui habebant naues in mari de precijs eius, quoniam una hora deſolata eſt. Exulta ſuper eam cœlum & ſancti apoſtoli & prophetæ, quoniam iudicauit deus iudicium ueſtrum de illa. Et ſuſtulit unus angelus fortis lapidem quaſi molarem magnum, & miſit in mare, dicens: Hoc impetu mittetur Babylon ciuitas illa magna, & ultra iam non inuenietur. Et uox citharœdorum & muſicorum, & tibia canentium, & tuba non audietur

in te amplius: & omnis artifex, cuiuſcunque artis non inuenietur in te amplius. Et uox molæ non audietur in te amplius: & lux lucernæ nõ lucebit in te amplius: & uox ſponſi & ſponſæ non audietur poſthac in te: quia mercatores tui erant principes terræ: quia in ueneficijs tuis errauerunt omnes gentes: & in ea ſanguis prophetarum & ſanctorum inuentus eſt, & omnium qui interfecti ſunt in terra.

CAPVT XIX

Poſt hæc audiui uocem magnam turbæ multæ in cœlo dicentis: Alleluia, *ſalus & honor & gloria & uirtus domino deo noſtro eſt, quia uera & iuſta iudicia eius: quia iudicauit de meretrice magna, quæ corrupit terram proſtitutione ſui, & uindicauit ſanguinem ſeruorũ ſuorũ de eius manu. Et iterum dixerũt: alleluia. Et fumus eius aſcendit in ſecula ſeculorũ. Et ceciderunt uigintiquatuor ſeniores, & quatuor animalia: & adorauerunt deum ſedentem ſuper thronum, dicentes:* Amen, alleluia. *Et uox de throno exiuit, dicens: Laudem dicite deo noſtro omnes ſancti eius, & qui timetis eum puſilli & magni. Et audiui ſicut uocẽ turbæ multæ, et ſicut uocem aquarũ multarũ, et ſicut uocem tonitruorũ magnorum, dicentium: alleluia, quoniam regnauit dominus deus noſter omnipotens: Gaudeamus & exultemus & demus gloriam ei: quia uenerunt nuptiæ agni*

ni,& uxor eius præparauit se.Et datũ est illi,ut co/
operiat se byssino puro et splendido.Byssinum enim
iustificationes sunt sanctorum.Et dicit mihi: Scribe:
Beati qui ad cœnam nuptiarum agni uocati sunt. Et
dicit mihi:Hæc uerba dei uera sunt.Et cecidi ante pe
des eius,ut adorarem eum.Et dicit mihi:Vide ne fe/
ceris.Conseruus tuus sum,& fratrum tuorũ haben/
tium testimoniũ Iesu.Deum adora. Testimoniũ enim
Iesu,est spiritus prophetiæ. Et uidi cœlum apertum,
& ecce equus albus,& qui sedebat super eum uoca/
batur fidelis & uerax,& per iusticiã iudicat & pu
gnat. Oculi autem eius sicut flamma ignis, & in ca/
pite eius diademata multa, habens nomen scriptum,
quod nemo nouit nisi ipse. Et uestitus erat ueste tin/
cta sanguine.Et uocatur nomẽ eius,sermo dei.Et ex/
ercitus qui sunt in cœlo,sequebantur eum in equis al
bis,uestiti byssino albo & mundo:et ex ore eius pro
cedit gladius ex utraq; parte acutus,ut eo percutiat
gentes. Et ipse reget eas uirga ferrea, & ipse calcat
torcular uini furoris & iræ dei omnipotentis.Et ha/
bet in uestimento et in fœmore suo nomen scriptum:
Rex regum,et dominus dominantium. Et uidi unum
angelum stantem in sole,et clamauit uoce magna,di
cens omnibus auibus,quæ uolabant per medium cœ/
li:Venite & congregamini ad cœnam magni dei: ut
edatis carnes regum,& carnes tribunorũ,et carnes

fortium, & carnes equorum, & ſedentium in ipſis, & carnes omnium liberorum, ac ſeruorum, & puſillorum ac magnorum. Et uidi beſtiam et reges terræ, & exercitus eorum congregatos ad faciendum prælium cum illo qui ſedebat in equo & cum exercitu eius. Et apprehenſa eſt beſtia, & cũ illa pſeudo propheta, qui fecit ſigna coram ipſo, in quibus ſeduxit eos qui acceperunt characterem beſtiæ, & qui adorauerunt imaginẽ eius. Viui coniecti ſunt hi duo in ſtagnum ignis ardens ſulphure: & cæteri occiſi ſunt gladio ſedentis ſuper equũ, qui procedit ex ore ipſius, & omnes aues ſaturatæ ſunt carnibus eorum.

CAPVT XX

ET uidi angelum deſcendentem de cœlo, habentem clauem abyſſi, & catenã magnam in manu ſua. Et apprehendit draconẽ ſerpentem antiquũ, qui eſt diabolus & ſatanas, et ligauit eum per annos mille, & miſit eum in abyſſum, & clauſit eum: & obſignauit ſuper illum, ut non ſeducat amplius gentes, donec cõſummentur mille anni. Et poſt hoc oportet illum ſolui modico tempore. Et uidi ſedes, & ſederũt ſuper eas, & iudicium datum eſt illis: & animas decollatorum propter teſtimoniũ Ieſu, & propter ſermonem dei: et qui nõ adorauerunt beſtiam, neq; imaginem eius, nec acceperũt characterem eius in frontibus ſuis, aut in manibus ſuis: & uixerunt, & regnauerunt

uerunt cum Christo mille annis. Cæteri uero mortuorum non reuixerunt, donec consummentur mille anni. Hæc est resurrectio prima. Beatus & sanctus qui habet partẽ in resurrectione prima. In his secunda mors nõ habet potestatẽ, sed erunt sacerdotes dei & Christi, & regnabunt cum illo mille annis. Et cũ consummati fuerint mille anni, soluetur satanas de carcere suo, & exibit ut seducat gentes, quæ sunt super quatuor angulos terræ Gog & Magog, ut congreget eos in prælium, quorũ numerus est sicut arena maris: & ascenderunt super latitudinem terræ, et circumierũt castra sanctorũ & ciuitatem dilectam. Et descendit ignis à deo de cœlo, & deuorauit eos: & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudoprophetæ cruciabuntur die ac nocte in secula seculorum. Et uidi thronum magnum candidum et sedentem super eum: à cuius conspectu fugit terra, & cælũ, & locus nõ est inuentus eis. Et uidi mortuos magnos, & pusillos stantes in conspectu dei: & libri aperti sunt, & alius liber apertus est qui est uitæ, & iudicati sunt mortui ex his, quæ scripta erant in libris secundum opera ipsorũ: & dedit mare mortuos, qui in eo erãt, & mors & infernus dederunt eos, qui in ipsis erant mortuos, & iudicatum est de singulis secundũ opera ipsorũ. Et infernus & mors coniecti sunt in stagnum

ignis. Hæc est mors secunda. Et qui non inuentus est in libro uitæ scriptus, coniectus est in stagnum ignis.

CAPVT XXI

ET uidi cœlum nouum, & terram nouam. Primum enim cœlũ, & prima terra abijt, & mare iam non est. Et ego Ioannes uidi sanctam ciuitatẽ Hierusalẽ nouam, descendentem de cœlo à deo paratam sicut sponsam ornatam uiro suo. Et audiui uocẽ magnam de cœlo, dicentem: Ecce tabernaculum dei cum hominibus, & habitabit cum eis. Et ipsi populi eius erunt, & ipse deus cum eis erit eorum deus. Et absterget deus omnem lachrymam ab oculis eorum. Et mors ultra nõ erit, neq; luctus, neq; clamor, neq; dolor erit ultra, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno: Ecce noua facio omnia. Et dixit mihi: Scribe, quia hæc uerba fidelia sunt & uera. Et dixit mihi: Factũ est. Ego sum alpha et Ω, initium et finis. Ego sitienti dabo de fonte aquæ uiuæ gratis. Qui uicerit, possidebit omnia, et ero illi deus, et ipse erit mihi filius. Timidis autem et incredulis, et execratis, et homicidis, et scortatoribus, & uenesicis, & idololatris, & omnibus mendacibus pars illorũ erit in stagno ardenti igne & sulphure, quod est mors secunda. Et uenit ad me unus de septem angelis habentibus septem phialas plenas septẽ plagis nouissimis: & locutus est mecum, dicens: Veni, ostendam tibi

sponsam

ſponſam uxorem agni. Et ſuſtulit me ſpiritu in mon
tem magnum & altum,& oſtendit mihi ciuitatem
magnam,ſanctam Hieruſalem,deſcendentem de cœ
lo à deo,habentem claritatem dei.Et lumen eius ſi/
mile lapidi precioſiſſimo tanquã lapidi iaſpidi cry/
ſtallizanti:& habebat murum magnũ & altum,ha
bentem portas duodecim: & in portis angelos duo
decim:& nomina inſcripta, quæ ſunt nomina duo/
decim tribuum filiorũ Iſraël. Ab oriẽte portæ tres,
ab aquilone portæ tres,ab auſtro portæ tres, ab oc
caſu portæ tres:& murus ciuitatis habẽs fundamẽ/
ta duodecim, & in ipſis duodecim nomina duode/
cim apoſtolorum agni. Et qui loquebatur mecũ ha
bebat menſuram arundineam auream,ut metiretur
ciuitatem & portas eius,& murum eius.Et ciuitas
in quadro poſita eſt , & longitudo eius tanta eſt,
quanta & latitudo,& menſus eſt ciuitatẽ de arun/
dine aurea per ſtadia duodecim milia : & longitu/
do , & altitudo , & latitudo eius æqualia ſunt . Et
menſus eſt murum eius centũ quadragintaquatuor
cubitorum,mẽſura hominis,quæ eſt angeli.Et erat
ſtructura muri eius ex iaſpide.Ipſa uero ciuitas au/
rum mundum,ſimilis uitro mundo, & fundamenta
muri ciuitatis omni lapide precioſo ornata.Funda/
mentum primum,iaſpis:ſecundum,ſaphirus: tertiũ,
calcedonius:quartum, ſmaragdus:quintum, ſardo/

nyx:ſextum,ſardius:ſeptimũ,chryſolitus:octauum,
berillus:nonum,topazius:decimũ,chryſopraſus::un
decimũ,hyacinthus:duodecimũ,amethyſtus.Et duo
decim portæ,duodecim margaritæ ſunt, per ſingu-
las,& ſingulæ portæ ſingulis margaritis:& platea
ciuitatis aurũ mundũ, tanquã uitrũ perlucidum..Et
templum non uidi in ea.Dominus enim deus omni-
potẽs templũ illius eſt,& agnus. Et ciuitas nõ eget
ſole neq; luna,ut luceant in ea.Nam claritas dei illu
minat eã,& lucerna eius eſt agnus . Et ambulabũt
gentes,quæ ſeruatæ fuerũt in lumine eius, & reges
terræ afferent gloriam ſuam in illam.Et portæ eius
non claudentur per diem . Nox enim non erit illic.
Non intrabit in eam aliquid quod inquinat,aut abo
minationem facit,& mendaciũ, niſi qui ſcripti ſunt
in libro uitæ agni.

CAP. XXII

ET oſtendit mihi purum fluuium aquæ uiuæ
ſplendidum tanquam cryſtallum, procedẽ-
tem de ſede dei & agni.In medio plateæ eius,& ex
utraq; parte fluminis lignum uitæ , afferens fructus
duodecim, per menſes ſingulos reddẽs fructum ſuũ,
& fõlia ligni ad ſanitatem gentium.Et omne male-
dictum non erit amplius:ſed ſedes dei & agni in il-
la erunt,& ſerui eius ſeruient illi. Et uidebũt faciẽ
eius, & nomen eius in frontibus ſuis . Et nox ultra
non erit,& non egent lumine lucernæ, neq; lumine
ſolis

ſolis:quoniam dominus deus illuminat illos, & re/
gnabunt in ſecula ſeculorũ. Et dixit mihi: Hæc uer/
ba fidelia ſunt, & uera. Et dominus deus ſanctorũ
prophetarũ miſit angelum ſuũ oſtẽdere ſeruis ſuis,
quæ oportet fieri cito. Et ecce uenio uelociter. Bea/
tus q̃ cuſtodit uerba prophetiæ libri huius. Et ego
Ioãnes, qui audiui & uidi hæc. Et poſtquàm audiſ/
ſem & uidiſſem, cecidi, ut adorarem ante pedes an
geli, qui mihi hæc oſtẽdebat. Et dicit mihi: Vide ne
feceris, cõſeruus enim tuus ſum, et fratrũ tuorũ pro
phetarum, & eorũ qui ſeruant uerba prophetiæ li/
bri huius. Deũ adora. Et dicit mihi: Ne obſignaueris
uerba prophetiæ libri huius. Tempus enim propè
eſt. Qui nocet, noceat adhuc: & qui ſordidus eſt, ſor
deſcat adhuc: & qui iuſtus eſt, iuſtificetur adhuc:
& ſanctus, ſanctificetur adhuc: & ecce uenio cito,
& merces mea mecũ eſt, ut reddã unicuiq; ut opus
illius erit. Ego ſum alpha & Ω, primus & nouiſſi/
mus, principium & finis. Beati qui ſeruant manda/
ta illius, ut ſit poteſtas eorum in ligno uitæ, & per
portas intrent in ciuitatem. Foris autẽ canes & ue/
nefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruien/
tes, & omnis qui amat & facit mendacium. Ego Ie
ſus miſi angelum meũ, ut teſtificaretur uobis hæc
in eccleſijs, ego ſum radix & genus Dauid, ſtella
ſplendida & matutina. Et ſpiritus & ſponſa dicũt,

ueni: & qui audit, dicat, ueni. Et qui sitit, ueniat: & qui uult, accipiat aquã uitæ gratis. Contestor enim omni audienti uerba prophetiæ libri huius. Si quis apposuerit ad hæc, apponet deus super illũ plagas scriptas in libro isto. Et si quis diminuerit de uerbis prophetiæ huius, auferet deus partem eius è libro uitæ, & à ciuitate sancta, & ex his quæ scripta sunt in libro isto. Dicit qui testimoniũ perhibet istorũ: Etiã uenio cito, Amẽ, etiã: ueni domine Iesu. Gratia domini nostri Iesu Christi cũ omnibus uobis, Amen

NOVI TESTAMENTI TOTIVS PER Des. Erasmũ Rot. nouissime recogniti finis.

DE LIBRIS VTRIVSQVE TE/ stamenti, partim reiectis, aut non sine contradictione admissis, partim apocryphis. Ex Athanasio, tametsi mihi suspectus est titulus, Erasmo Rot. interp.

TAQVE qui libri sint ueteris instrumenti, quibus reclamatur à nonnullis, iam antea quoq; diximus, uidelicet Sapientia Solomonis, Sapientia Iesu filij Sirach. Præterea Hester & Iudith ac Tobias. Quibus annumerantur & hi: Machabæorũ libri quatuor, Ptolemaici, Canticũ Solomonis, Susanna. Hi sunt libri

ueteris

ueteris testamenti, qui recepti sunt, non sine cõtradictione. Rursus apocryphi, hoc est, qui secreto habebantur ueteris instrumenti libri, sunt hi: Enoch, Patriarchæ, Assumptio Mosi, Abraham, Eldad, & Modad, Heliæ prophetæ, Sophoniæ prophetæ, Zachariæ patris Ioannis Baptistæ, Baruch, Abacuc, Ezechiel. Et qui falsò inscribuntur Danielli. Porrò noui testamenti libri, quibus contradicitur, sunt hi: Itinerarium Petri, Itinerarium Ioannis, Itinerarium Thomæ, Euangelium secũdum Thomam, Doctrina apostolorum, Libri Clementis, à quibus semoti sunt ac decerpti libri ueriores, ac diuino afflatu scripti, hi qui nunc leguntur. Atq; hæc quidem omnia sunt ædita, uti cognoscerentur. Cæterum illi notati sunt omnes, ut adulterini, & reiectitij. Ac ne horum quidem, maxime apocryphorum, ulla certitudo aut utilitas, præcipue qui pertinent ad nouum testamentũ. Sed omnes, præter illos, qui primum à ueteribus ac doctis patribus recepti sunt, & cõprobati, nimirũ digniores sunt, qui occultentur, quàm legãtur. Etiã reliqua illa, quæ inter apocrypha numerãtur Euangelia, exceptis his quatuor quæ nobis tradita sunt. Nam quatuor Euangelia nobis diuinitus tradiderunt sanctæ catholicæ & apostolicæ ecclesiæ, uidelicet: Euangelium secundum Matthæum, secundum Marcum, secundum Lucam, & secũdum Ioannem,

iuxta propheticam uisionem, quam uidit Ezechiel propheta de quatuor Cherubin. Vidit enim hic propheta quatuor Cherubin. Vnum simile homini, hoc est, Euangelium secundum Matthæum. Alterum simile leoni, hoc est, Euangelium secũdum Marcum. Tertium simile uitulo, hoc est, Euãgelium secũdum Lucam. Quartũ simile aquilæ, hoc est, Euangelium secundum Ioannem. Porrò præter hæc quatuor nõ est aliud ullum Euangelium. Euangelium igitur secundum Matthæum, descriptũ est ab ipso Matthæo Hebraica lingua, atq; æditum Hierosolymis. Interpretatus est autem Iacobus, qui fuit frater domini iuxta carnem, qui idem primus electus est à sanctis apostolis, episcopus Hierosolymitanus. Euangeliũ autem secundum Marcum, dictatum quidem fuit à Petro apostolo Romæ, sed æditum à beato Marco apostolo, & ab eodem prædicatum in Alexandria, Aegypto, Pentapoli, & Libya. Cæterũ Euangeliũ secundum Lucam dictatum quidem fuit ab ipso Paulo apostolo, conscriptum autem & æditum à Beato Luca apostolo & medico. Quemadmodum & acta apostolorum, dictauit quidem Petrus apostolus, sed idem Lucas conscripsit. Euangelium autem secundum Ioannem, prædicatum quidem est ab ipso Ioanne apostolo & Iesu dilecto, cum exularet in insula Patmo, æditum ab eodem Ephesi, per Caium dilectum

ctum & hospitem apostolorum, de quo & Paulus Romanis scribens, ait: Salutat uos Caius hospes meus ac totius ecclesiæ.

DES. ERASMVS ROTERODAMVS PIO LECTORI S. D.

QVANQVAM in rebus diuinis ita subinde caligat ingenium mortale, quamlibet alioqui perspicax, ut identidē exclamare cogatur illud Apostoli Pauli, qui quam quam raptus in tertium cœlum audisset quædā reconditiora, quàm ut expediret ea prodere mortali adhuc corpore grauatis animis: tamē Romanis scribens, ubi sermonis progressus cogitationē illius propius perduxisset ad adytum diuini cōsilij, protinus obstupescens exclamat: O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ dei. Quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & imperuestigabiles uiæ eius. Quis cognouit sensum domini, aut quis cōsiliarius eius fuit? Moxq; submittens imbecillitatem humani captus, maiestati numinis, nihil non optime dispensantis, etiamsi ratio consilij nō potest à nobis percipi: Ipsi, inquit, honor & gloria in secula seculorum. Sic ab adorata

adorata maiestate sese reuerenter subducens, transit ad mores instituendos. Obsecro, inquit, uos fratres per misericordiam dei, ut exhibeatis corpora uestra hostiam uiuentem. Exclamat itidem Prophe ta: Iudicia domini abyssus multa. Est tamen quò fas sit prodire piæ curiositati Christianorum, modo ad Paulinum exemplar, simulatq; senserit aciem humanæ mentis non ferre lucem illam inaccessibilem, quam pater cœlestis inhabitat, cedat adorabunda, & uenerata numinis inscrutabile mysterium, suam agnoscat imbecillitatem, & ea potius curet ὅπτοι ἐν μεγάροισι λαχὼν τ' ἀγαθῶν πέτυκται. At nescio quo pacto fit, ut hominum curiositas non alibi magis intẽdat omnes ingenij neruos, quàm in his, quæ & plurimum absunt à captu mortalitatis, & ad uitæ pietatem quàm minimum conducunt. Quod genus ferè sunt illa, quæ disputantur de essentia diuina. Nullum autem mysterium magis ad nos pertinet, quàm ineffabile consilium quo deus per filium suum restituit humanum genus. In huius contemplatione crebro uersanti, nonnunquam illud mihi uisum est uestigatu dignũ, ecquod operæprecium fuerit, ut ipse dei filius, factus homo, doctrina sua uiam salutis nobis ostenderet. Nam ingens aliquod operæprecium fuerit necesse est. Atqui uix quicquam est proditum Euangelicis literis, quod non

multis

multis ante ſeculis proditũ fuerit ueteris Teſtamenti uoluminibus, quædam etiam philoſophorũ libris. Animas ſuperſtites eſſe corporibus, proq; meritis actæ uitæ uel præmijs, uel pœnis affici, præter alios docuit Socrates ille Platonicus. Idem docet non eſſe uirum iuſtũ, qui malit deſinere eſſe iuſtus, quàm ſuſtineat haberi iniuſtus. Docet animũ abducendũ ab amore rerũ uiſibilium, ad ſtudiũ earum, quæ ueræ ſemperq; ſunt. Docet mortem nõ eſſe metuendam, ſed optandam potius ei, qui bene uixerit. Docet nõ oportere quenq; ſuis factis fidere. Sed tamen eum qui conatus eſt pro uiribus pure uiuere, oportere de benigno deo bonam habere ſpem. Hæc an nõ congruunt cum illis Euangelicis dogmatibus? Et ibunt illi quidem in uitam æternam, illi uero in ignẽ æternũ. Et beati eritis cum uobis exprobrauerint homines, & beati cũ uos perſequentur propter iuſticiam. Et nolite uobis theſaurizare theſauros in terra. Et operamini cibũ qui nõ perit. Et nolite timere eos qui occidunt corpus. Et cum omnia feceritis, dicite ſerui inutiles ſumus. Iam uero lex illa charitatis, quæ ſola cunctas leges cõplectitur, an nõ planè diligenterq; tradita eſt in uetere teſtamento: Diliges dominũ deũ tuũ ex toto corde tuo, ex tota mente tua, ex totis uiribus tuis, & proximũ tuũ tanq; teipſum? Quid potuit inculcari diligentius, quid efficacius exprimi? Iam illa charitatis

tatis euangelicæ præcepta,quibus iubemur esse misericordes ac benefici erga egenos, sic inculcantur in prophetarum ac ueteris testamenti uoluminibus, ut uix possint uel apertius uel accuratius. Clamat Esaias: Subuenite oppresso, iudicate pupillo, defendite uiduam. Rursum alibi: Dimitte eos qui confracti sunt liberos, & omne onus disrumpe. Frange esurienti panem tuum, & egenos uagosq; induc in domũ tuam. Quũ uideris nudum operi eum. Christus docet, omni petenti te da. At Deuteronomij liber, hoc ipsum etiam efficacius. Non erit, inquit, in te egens, ut benedicat te dominus deus tuus. Plus enim exigere uidetur qui iubet curari ne quis egeat, quã qui iubet dari petenti. Quin & illud quod euangelicæ philosophiæ uidetur esse peculiare, quibus in rebus sita sit Christiana beatitudo, licet apud Esaiam audire. Dominus Iesus dixit: Beati pauperes, beati qui esuriũt, beati qui lugent. Quàm his concinit Esaias: Ecce, inquit, serui mei comedent, & uos esurietis: Ecce serui mei bibent, et uos sitietis. Ecce serui mei lætabuntur, & uos confundemini. Ecce serui mei laudabunt præ exultatione cordis, & uos clamabitis præ dolore cordis. Christus ait: Beati eritis cum uos oderint homines. Quid Esaias? Ne metueritis, inquit, ignominiam ab hominibus, & contemptu illorum ne minuamini. Postremo quod proprie uidebatur euangelicæ

perfectionis

perfectionis, ne læsi referamus iniuriã, ut diligamus & inimicos, ut bene mereamur de male merentibus: an nõ & Esaias docuit, cum ait. Dicite fratres nostri estis, eis qui uos oderunt. Rursum cum præcipit Zacharias, ne quis meminerit maliciæ proximi sui. Rursum cum per prophetam clamat dominus: Mihi uindicta, & ego retribuam. Ac ne exempla quidẽ euangelicæ perfectionis desiderantur in ueteris testamenti libris. Nam & Moses deleri postulat de libro dei ni rebelli populo cõdonaret peccatum. Et Aaron intercedit pro coniuratis aduersum sese. Neque desunt exempla fortium, qui pro iusticia passi sint extrema, quemadmodum euangelici Martyres. Quod si quis requirit miracula, comperiet excitatos mortuos, sanatum leprosum, auctam oleo lecythum, nõ defecisse hydriam farinæ: ignem cœlitus demissum absumpsisse carnes uictimæ, multa ui aquarum perfusas: fontem ad uirgæ ictum exilisse è petra, aquas iniecto ligno ex amaris ac pestiferis factas dulces ac salubres, aliaq; non pauca notiora quàm ut hic sint repetenda. Nec illic sacræ triadis siletur mysterium. De patris nomine plena sunt omnia, filij locis aliquot mentio, quem Augustinus testatur sese et in Platonicorũ libris repperisse. Spiritus diuini nomen ac uis non tacetur. Reuiuiscentiam corporum docuit Iob, & ante Christũ natum credebant Pharisæi. Hæc, inquam,

omnia

omnia cũ tot retro ſeculis fuiſſent prodita, quid erat illud nouũ cuius gratia filius dei deſcendit in terras, qui ſe profitetur nouatorem omniũ? Equidẽ dicam meam ſententiam, ſed ita ut integrũ ſit ſuũ cuiq; iudiciũ, ſi quis qd habet, qd' uero ſit propius. Quũ uetus teſtamentũ fuerit umbra, ac ueluti progymnaſma philoſophiæ Euangelicæ, quumq; Euangelica doctrina ſit inſtauratio ſimul & perfectio naturæ, ut erat primũ condita ſyncere, mirũ uideri nõ debet, ſi philoſophis quibuſdam ethnicis, datum eſt naturæ ui quædam animaduertere, quæ cũ doctrina Chriſti cõſentiant, quũ, teſte Paulo, iiſdem contigerit ex uiſibili mundi fabrica ea colligere, quæ nõ oculis, ſed animo cõprehenduntur, uſq; ad ſempiternam dei uirtutem ac diuinitatẽ: & maxime cõgruebat ut nihil adferret Chriſtus, cuius nõ aliqua uel umbra, uel ſcintilla præceſſiſſet in ueteris teſtamenti libris, quo propenſior eſſet omniũ fides, ad rem non omnino ſubitã atq; inexpectatam. Primũ igitur quicquid Chriſtus præſtitit, promiſſum eſt ſacrorũ uatum oraculis, adumbratum eſt figuris, & carptim etiam expreſſum eſt, ueluti ſubinde promicantibus hinc atq; hinc ſcintillulis aliquot, quæ lucem illam poſt erupturam orbi portenderent. Quid igitur eximium habuit ille rerum omniũ innouator? Multa ſanè. Primũ quod abſolutæ uirtutis uel præcepta uel exempla, quæ per

partes

partes alia ab alijs prodita fuerant, hic unus & tradidit & expreßit omnia. Nec tradidit solũ, sed inßixit, inculcauit, uarijsq; parabolis sic impreßit animis omniũ, ut elabi non poßint. Et sic expreßit moribus ac factis, ut tota uita nihil aliud sit, quàm absolutum quoddam exemplar absolutæ charitatis, modestiæ, tolerantiæ, clementiæ, ac mansuetudinis. Hanc harmoniam, hunc omniũ uirtutũ concentũ in nullo sanctorum reperies, præterquam in uno Christo Iesu. Siquidem hic erat uere sermo ille contractus & in cõpendium redactus, quẽ tandem fecit dominus super terrã, in quo recapitularet omnia, quæ in cœlis & quæ in terris: ut quæcũq; è tot libris, è tot sanctis uiris ante petebantur, nũc compendio ab uno Christo longe tum expreßiora, tũ absolutiora sumi possent. Ab hoc semina ac uelut elementa pietatis, ab hoc progreßus & auctus, ab hoc perfectio rectißime sumitur, q̃ est alpha & Ω rerũ omnium. Quanq̃ hoc ipsum qd' uirtutis emicuit in sanctis, Christi munus est, tamẽ nihil in eis tam eximiũ est, quod nõ frigeat, & obscuretur, si ad Christi doctrinam & facta cõferatur, ut ne dicam interim quod aliorum uita sic enituit aliquot eximijs uirtutibus, ut eadẽ aliqua ex parte uitijs saltem humanis obscuraretur: Christũ quacũq; ex parte cõtempleris, nihil deprehẽdes nõ absolutũ ac perpetuum. Quis enim unq̃ mortaliũ tanta præditus innocentia

nocentia,tanta poteſtate,tot miraculis clarus,tot beneficijs liberalis in omnes,ſic ſe deiecit,ſic per petua manſuetudine pertulit hominũ infirmitatem,ingratitudinem,peruerſitatem uſq; ad flagra,uſq; ad ſputa,uſq; ad conuicia,uſq; ad crucem? Quis ſic omnia perfecte docuit,et præſtitit abſolute quæ docuit? Vincit & hoc titulo, quod Iudaica iuſticia, finibus angustis circunſcribebatur, nec ultra gentem unam, eamq; nõ amplam proferebatur. Dabis abſq; fœnore mutuum,ſed fratri tuo. Ne memineris malitiæ,ſed fratris tui. Non erit egens,ſed inter uos. At Chriſtus ſuã philoſophiam cunctis totius orbis nationibus cõmunem eſſe uoluit. Da omni petenti te. Benefac omnibus etiam inimicis. Deprecamini pro omnibus etiã perſequentibus uos. Porrò cõrporum reſurrectionẽ non modo docuit,& inculcauit, uerumetiã præſtitit ipſe reuiuiſcens. Itaq; nõ mirũ eſt,ſi philoſophiã euangelicam totus mundus ante in uarias philoſophorũ & religionũ ſectas diuiſus, unanimi conſenſu amplexus eſt. Amplectamur & nos doctoris ac principis noſtri monumenta: demusq; operã,ut illius philoſophia quàm latiſſime propagetur. Id fiet ſi eam omnibus innocentia uitæ, mutuaq; charitate commendemus. Hac cõmendatione olim annis nõ ita multis, fuſtra rebellante mundo,per omnes orbis plagas diffuſa eſt euangelica philoſophia. Quemadmodum autẽ nomẽ

dei

dei glorificatur ſanctis moribus Chriſtianorum, & quodammodo dehoneſtatur & infamatur uicijs noſtris, ita noſtris moribus cæteri mortales uel alliciuntur ad amorẽ euangelij, uel alienantur. Mundus iam olim belligeratur cum Chriſto. Cæterum ubicunque ſunt cupiditates rerum mundanarũ, ibi mundus eſt. His obnoxios offẽdit euangelica ueritas. Hi cõſpirati deuotis animis ſubinde cooriuntur aduerſus ſermonem cœleſtem, dicentes: Venite opprimamus eũ, quoniam contrarius eſt operibus noſtris. Nos autẽ fortibus & inuictis animis contranitamur, nõ iurgijs, nõ minis, nõ armis, non iniurijs, ſed ſimplici prudentia, ſed benefactis, ſed manſuetudine & tolerantia. Hac uia ſuperat Euangelica ueritas. Viuit adhuc & regnat Chriſtus, qui nouit & malorum tumultus, & bonorum afflictiones in ſuam gloriam uertere. Ei ſit honos & imperium in omne æuum. Amen.

SERIES CHARTARVM.

A a B b C c a b c d e f g h i k l m n o p q ſequitur s t u x y z

A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z

Baſileæ per Hieronymum Frobenium & Nicolaum Epiſcopium, Menſe Auguſto, M. D. XXXII

B S B MÜNCHEN

FRO BEN.

BSB